Heft 4/16 auf 481 Druckseiten b 69/14 x

19
D
109

278

DE MORBIS CAPITIS FREQVENTIORIBVS,

QVORVM COGNITIO, ET CVRATIO ita traduntur, vt ad alios etiam cognoſcendos, & curandos mirificè conducant,

HOC EST

De Catarrho, Phrenitide, Lethargo, & Epilepſia, ſeu Comitiali Morbo, Libri Septem.

AVCTORE

VINCENTIO ALSARIO A CRVCE GENVENSE

Ciue Romano, & in Romano Gymnaſio Medicinæ Practicam vocatam Profitente.

CVM DVPLICI INDICE.

A D

SCIPIONEM CARD. BVRGHESIVM

PAVLI V. PONT. MAX. NEPOTEM.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M.DC.XVII.

Imprimatur. Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſt. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Vicesgerens.

LIbrum hunc Excellentiſsimi D. Vincentij Alſarij à Cruce Medicinæ Profeſſoris, cui titulus DE MORBIS CAPITIS FREQVENTIORIBVS, ex commiſsione Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij à me perlectum, & recenſitum nihil continere quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus officiat, ac proinde typis excudi poſſe atteſtor.

Ludouicus Ceſcherinus Phyſicus.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Romanus Magiſter, & Reuerendiſs. P.Mag.Sacri Palatij Apoſtolici Socius.

ILLVSTRISS. PRINCIPI SCIPIONI BVRGHESIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Vincentius Alſarius à Cruce . S . P . D.

M VLTIS nominibus Tibi debeo (Illuſtriſsime, idemq; humaniſsime Princeps) ſed eo potiſsimùm, quòd per Te SANctiſsimus D. N. PAVLVS QVINTVS iam quinto ab hinc anno me in Romana Schola Medicinæ Practicam vocatam eminentiori loco docendi præclara dignitate ornauit . Quo in munere hucuſq; omnes ferè Humani corporis morbos , iuxta veterum tam Græcorum , quàm Arabum , & Latinorum doctrinam , pro viribus expoſui ; quorum nonnulli CAPVT nobiliſsimam noſtri corporis partem, ac, vt Plato vocat in Timæo, diuiniſsimā mi-

ſerè diuexantes , & cum alijs multis in locis , tum præſertim ſub hoc Romano Cælo admodum frequentes , & curatu perquam difficiles, à me ſelecti, ac diffusè enarrati communis, & publicæ vtilitatis gratia in lucem eduntur . Qui quidem Tibi ideo nuncupantur , quia debentur , tanquam primitiæ laborum , quos Tuo ſub patrocinio Romæ primùm ſubire incœpi , & vt in paruo , ac tenui dono gratitudinem animi , deuotamque voluntatem offerentis agnoſcas . Tuæ interim vbique locorum decantatæ humanitatis, ac celſitudinis animi partes erunt , librum , qualiſcunq; ſit, hilari vultu, & exporrecta fronte ſuſcipere, vnàq; auctorem, quem nullis erga Te meritis ornare dignatus es , potentiæ Tuæ clypeo defendere , vt inde mens eius tanto ſuffulta præſidio ad maiora promulganda ſe accingat. Aeternus Deus Te, & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ CAPVT Auunculum Tuum diutiſsimè conſeruet . Datũ Romæ Idibus Februarij M. DC. XVII.

DE VTILITATE OPERIS, ET INTENTIONE AVCTORIS

Ad Lectorem.

LICEAT mihi quæſo per te, candide, ac ſtudioſe Lector, ab initio meorum Opuſculorũ, quæ hac in iuniori, & cõſiſtente adhuc ætate, inter varias cum domeſticas, tũ publicas occupationes mentem non parũ turbãtes, pro viribus, pro temporis anguſtia concinnaui, illud ipſum proloqui, ac præmittere, quod olim aſſeruit Vir non minus doctrina, & eloquẽtia admirandus, quàm morum probitate, ac vitæ ſanctitate venerandus D. Hieronymus per illa verba; Legant prius, & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata dãnare. Spero enim fore, vt inchoatum opus vel omnino laudes, vel certè nullo modo damnes. In hoc ſiquidem priori Tomo habentur quatuor pręcipui morbi CAput, & cerebrum admodum frequenter diuexantes, quorum curatio præ alijs difficillima iudicatur ab omnibus. Ne dicã, quòd ſub horum principaliũ affectuũ COGnitione, & CVRatione, quæ duo in hoc Opere accuratè tradita leguntur, comprehẽditur ſimul cognitio, & curatio cæterorum, qui CAput infeſtare ſolent. Differentia enim, quæ inter aliquos ipſorum adeſt, ad maioris, & minoris læſionis rationem, veluti quę inter alios quoſdam, ad aliquam in affecta particula diuerſitatem tantummodo pertinere videtur: Sed omnes in vno, & eodem ſubiecto, ac membro fiunt, nempe CApite, & ſimiles, ac eaſdem ferè cauſas habent, ſibiq; inuicem magna ex parte, ſi non ex omni communicant; ſaltem, quod negari poteſt à nemine, in curatione, vt vna fidelia plures poſſimus dealbare parietes. Ita videmus ijſdem ſcopis, ijſdemq; auxilijs obuiam iri apoplexiæ curãdæ, ac præcauẽdæ, quæ nos prolixè in Epilepſia enarramus, præter ea, quę à proprietate, ac tota, vt inquiunt, forma, aut ſubſtantia iuuare creduntur, de quibus tamen aliqui cum ratione dubitant, locũ ne

habeāt in Epilepſia, quæ de Hippocratis, & Galeni ſentētia, ab humoribus craſſioribus, tum pituitoſis, tum melancholicis, non autē à re ſemper venenata qualitate prædita, vt alij neoterici putauere, originem ducit. Quàm ſæpè verò de apoplexiæ cauſis, ſymptomatis, & loco affecto agatur, cuique librū legenti facilè apparebit. Si dixeris melancholiam morbum frequenter, & maniam propriè dictam interdum quoq; homines afficere, & nihilominus nullum hîc de illis verbum fieri, dicam ego in huiuſmodi affectibus debellandis, illa ipſa conuenire præſidia, quæ proponuntur in Phrenitide atrabilaria, in Epilepſia ab humore atro, & melancholico, præterquam quòd de vtriuſq; morbi natura à me aliquādo diſſeri obſeruabis. Obijciet alter morbum CApitis continuū ferè, nedum frequentem eſſe dolorem, de quo pariter ſermo non ſit, cui reſponſum velim, dolorem illum in CApite, vel genitum eſſe per eſſentiam, vel per conſenſum ab infernis partibus, & cauſam, aut frigidam eſſe materiam, aut calidam, ab his enim duabus cauſis maximè oritur CApitis dolor. In hoc profligando eadem methodo proceditur, qua vtimur in Phrenitide, ſi cauſa calida ſit, & cephalalgia potius, quàm cephalæa, veluti ſi hęc magis, quàm illa, & à cauſa omnino frigida, curari ſolet à nobis ea prorſus ratione, qua curātur Lethargus, Catarrhus, & Epilepſia à cauſa pituitoſa. Ita ſi vertiginem, & incubum quis me prætermiſiſſe affirmauerit, nō arduū erit reſponſum dare, quòd vtriq; morbi ſunt veluti pręludium Epilepſiæ, & cum ea magnam habent in omnibus affinitatem, vt ambo meritò pro parua, & iam præ foribus exiſtente Epilepſia accipiantur; de quorum tamen eſſentia, & veris cauſis abundè agitur in Comitiali morbo. Varij tradūtur ſoporoſi cerebri affectus, quos etiam nos quotidie in Medicina facienda obſeruamus, vti caros, cataphora, ſeu coma, catochus, ſiue catalepſis, Lethargusque, qui quidem ſunt adeo ſimiles, vt ob ſimilitudinē confundantur, & pro ipſis diſtinguendis perito artifice opus ſit, iuxta illud, quod Ariſtoteles 7. Topic. poſt Platonem in Sophiſta memoriæ mandauit; Vnum eſſe ex principijs humanæ ſapientiæ rerum diſſimiliū ſimilitudines, & ſimilium diſſimilitudines cognoſcere. Qui quidem affectus omnes in quibus conueniant, ac diſcrepent in Lethargo demonſtratur, & de illorum natura, vt de abolita memoria ſparſim

quoque

quoque habetur oratio, quæ haud minori cum facilitate extendi poteſt ad amentes, & fatuos, ſeu ſit illorum dementia illa, in qua ægri debiliter quidem diſcurrunt, ſed conſequentia, & ordinata dicunt, & faciunt, Græci μωρωσιν vocant, ſeu in qua ægri non ſolùm debiliter diſcurrunt, verùm etiam neq; dicunt, neq; faciunt conſequentia, & ordinata, ſed confusè omnia, & nullo ex propoſito loquũtur, & operantur, quam Paulus inter alios ληρὸν appellat; quorum omnium curatio licet in aliquibus differat, in multis nihilominus conſimilis eſt. Vnde per ea prope omnia, quæ ad Lethargũ expugnandum afferuntur, reliqua eiuſdem generis ſymptomata pariter oppugnantur. Quid ſi paralyſin, & conuulſionem, & ex vtraque compoſitam oris torturam in medium alter adducat? Profectò paucis admodum ademptis, quæ Theoricam dictam potius reſpiciunt, quàm Practicam, ego non video, cur quæcunque à me tradita ſunt in curandis CApitis morbis iam propoſitis, ad alios omnes ad idẽ membrũ ſpectantes à perito in Arte adaptari non poſſint, nedum ad hæc tria neruorum ſymptomata; vt ſileam quòd de natura, & cauſis conuulſionis diffuſiſſimè in Epilepſia diſſeritur. Id ſimiliter de Oculorum morbis magis præcipuis, vt puta ſuffuſione, & ophthalmia cenſendum eſt, quẽadmodũ de Aurium tinnitu, de Dentium dolore, corroſione, aliaue eorum praua affectione. Quid ſi dicam etiam ex Catarrhi potiſſimùm curatione rectè tradita non difficilè elici poſſe curationem variorum ſymptomatum, atq; morborum aliarum corporis partium, nedũ ipſius CApitis? Patet hoc quam maximè in morbis medij, & infimi ventris. Quis enim ritè vnquam tuſſim perſanabit, niſi CApite prius diligenter curato! A materia ſiquidem catarrhali à membro illo ad partes ſpiritales tranſmiſſa ſymptoma hoc ſæpiſſimè cõtingit, dum ſcilicet naturalis facultas irritata talem efficit motum pro expulſione rei vias ſpiritus occupantis. Quod quidem ſymptoma ſi diutius perſeueret, nec ea CApitis fluxionem mittentis ratio habeatur, quæ pro huiuſmodi deprauato motu compeſcendo neceſſaria omnino exiſtit, plura etiam, & ea grauiora mala progignit, hæmoptoidem, ſeu ſputum ſanguinis, ac phthiſim ipſam. Clarè docuit id nos Galenus in hiſtoria illius Matronæ Romanæ, quæ ex iugi Catarrho non tenui, & acri, vt cum Tralliano Altimarus, &

 alij,

alij,quibus ego etiam adhærere aliquando viſus ſum,exiſtimarũt, ſed frigido,& omnis erodentis qualitatis experte ad pectus delabente, in ſputum ſanguinis incidit. Lancinantur enim partes illæ thoracis interiores ex vehementiori,ac diuturniori motu, ſicq; vaſa tenſa interdum diſrumpũtur,& ſanguinem proijciunt. Vnde etiã de mente Galeni illa tuſsis aſpernenda non eſt, quæ à ſola intemperie citra vllam materiæ miſcellam enaſcitur, ne videlicet ex ea alijs contingat,quod 5.Meth.13.eueniſſe refert adoleſcenti cuidã, qui tuſſi ex ſola frigida qualitate laborans, ſanguinem expuit ad heminam dimidiam. Prætermitto varias in ſpirando difficultates, dyſpnæam, aſthma,& orthopnæam,necnõ empyema, pleuritidẽq; ipſam,ſaltem non genuinam; qui affectus omnes vix rectè curãtur, niſi ea methodo,niſi præſidijs illis, quæ pro Catarrho debellando afferuntur. Cenſeatur idem de multis vitijs ventriculi, & ventris, veluti de tarda alimẽtorũ coctione,inappetentia,& alui fluoribus, ſiue bradypepſia, anorexia, lienteria, ac diarrhæa;quæ,niſi prius catarrhalis materia in fonte abſumatur, & CAput perſanetur, diutiſsimè perdurant. De podagricis, iſchiadicis,& alijs arthriticis doloribus nõ eſt cur loquar,cum res ſit luce meridiana clarior, & nemo non in dies videat, & experiatur ſedari illos neutiquam poſſe,niſi CApite curato, & ſiccata fluxione, quæ ab intemperato illo membro tanquam à fonte quodam primùm ſcaturit,ac in imbecilliores partes demandatur. Exemplo ſit,& rem,de qua ſermo, atteſtetur,Patiens ille à me in Conſilio propoſitus, qui etiamnum viuit,& ſeptuagenarius eſt, qui licet non vndequaque liber degat ab omnibus ærumnis,quas aliquot ab hinc annis occaſione Catarrhi pati conſueuit, ex quo tamen præcepta illi tradita amplectitur,nec ab illis diſcedit, neq; à pedum doloribus,neque à pectoris morbis ita infeſtatur, vt idem paulò ante mihi per literas ſignificauit. Tãdem,quicquid hac de re ſit,mea maximè intentio eſt, illa CApitis mala adamuſſim enucleata in lucem edere, à quibus cum alios infinitos locos, tum præſertim almam Vrbem, in qua dego,in qua Medicinam & doceo, & exerceo, ſæpiſſimè infeſtari animaduerto, quod etiam antiquiores Medici,& Romæ diutiſsimè verſati ſuis monumentis prodiderunt. In Vrbe ſiquidem omnes vel ſolita obeuntes munia,ſiue æſtas ſit,ſiue hyems,ſeu ver, autũ-

nuſue,

nuſue, perpetuò de Catarrho conqueruntur; vix vlla apparet febris quantumuis à principio lenis, quin paulò poſt, ſi ad exitium tendat, aut in Phrenitidem, aut in Lethargum deſinat, ſi ad ſalutē, vel Paraphrenitis, vel ſopor aliquis in ea ſuboriatur, adeo propenſum CAput eſt ſub hoc Romano aere huiuſmodi læſionibus contrahendis. Ideo ſumma cum ratione aſſerere mihi conſueuit Princeps nobiliſsimus Medicos illos Romæ eſſe magnifaciendos, qui de CApite ſoliciti ſunt, quiq; morbos eius, prius quàm facti ſint, præcauere norunt, quia poſtquam reuera facti apparent, vt in ſeipſo verebatur Galenus Phrenitidi propinquus, curationem minimè admittunt. Epilepſiæ, præſertim in pueris, ita frequentes cernuntur, vt quotquot pueros hactenus inuiſere mihi contigit, ſingulos Epilepſiæ obnoxios adinuenerim. Quod horrificum, & monſtruoſum mali genus Romani ſcitè Infantiglioli appellant, ſecuti nimirum Hippocratem, qui infantilem, ac puerilem morbum vocat, eo quod tenellam hanc ætatem maximè afficit. Vnde ego exiſtimo, ſi cælum hoc Romanum ſanitatis gratia fugiendum aliquibus videatur, id aliquam tantummodo habere veritatem propter hos ipſos CApitis morbos, quemadmodum olim magis cauſa febrium, vt de ſua ætate, quingentis & quinquaginta ab hinc circiter annis, apertè ſcripſit B. Petrus Damianus l. De abdic. Epiſc. his verſibus:

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum,
Roma ferax febrium, necis eſt vberrima frugum,
Romanæ febres ſtabili ſunt iure fideles,
Quem ſemel inuadunt, vix à viuente recedunt.

Neq; de hoc aliquis miretur, quia tempore, quo Galenus Romæ Artem medicam exercuit, & multa cōpoſuit volumina, febris hemitritæus, vel ſemitertiana vocata multum frequens erat, vt ex eodem patet lib. De tot. mor. temp. cap. 7. & 2. in 1. Epid. 25. Quod tamen noſtra ætate verum non eſt, cauſa latet, ſed alibi opportunius inueſtigabitur. Remanent Tomus alter Pectoris, & Ventris frequētiores morbos amplectens, Cēturiæ de Quæſitis per Epiſtolā, & Medicæ Conſultationes, quæ omnia non multos poſt mēſes, diuino afflante numine, typis excudenda tradētur. Interim ex his, qui primi efferuntur in lucem, laboribus vnuſquiſq; de cæteris facilè

cilè iudicium feret,potiſſimùm verò, an qui ita publicè docet, & medetur,cum vtilitate doceat,& medeatur.Non ſit autem,qui iudicium daturus eſt,atro liuore denigratus,& qui, vt ait Hippocrates lib.de Arte, quod ignorat, falſum eſſe putet,neq; ita mihi neceſſitudinis vinculo coniunctus, ſed animo candido ,qui diu in literarum ſtudijs verſatus ſit, cuique tandem magis amica veritas, quàm vel Socrates,vel Plato,cum dicat Ariſtoteles lib.1.Eth.c.6. licet ambo amici ſint, ſanctum nihilominus eſſe veritatem ipſis in honore anteponere. Veriſſimum eſt enim quod legitur apud Ptolemæum in Centiloquio, Sent. 12.Amor,odiumque,ne vera eueniant iudicia,prohibent:ſiquidem minuunt maxima,augent minima.Vale candide Lector,atque iterum Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM. SIVE LECTIONVM

LIBRI PRIMI.

QVAM frequens vbiq; ſit Catarrhus, & Romæ in primis, eiuſque nomenclaturæ explicatio. Lect. I. pag. 1
Catarrhi definitio. Lect. II. 5
Quæ mala à Catarrho proueniant. Lect. III. 9
A quonã cerebri morbo Catarrhus fiat. Lect. IV. 13
De cauſis internis præternaturalibus, & externis etiam non naturalibus; vbi Hippocratis locus enarratur; & quæritur an Catarrhus à frigore per expreſsionem, an per colliquationem diffluat. Lect. V. 17
De differentijs, & Signis omnibus Catarrhi. Lect. VI. 21
De Scopis in Catarrho curando, deq; Victus ratione, & in primis de Prandio, & Cœna. Lect. VII. 24
De Potu, Somno, Vigilia, & Concubitu in Catarrho. Lect. VIII. 28
De Chirurgia, & primùm de Sanguinis miſsione. Lect. IX. 32
De Sinapiſmis, phœnigmis, & cauterijs in Catarrho; Et an Matronæ illius Romanæ apud Gal. 5. Meth. Catarrhus calidus, an potius frigidus fuerit. Lect. X. 34
De Pharmacia in Catarrho; In qua controuerſiæ duæ de vſu, ac tempore purgantium in hoc affectu paucis diſcutiuntur. Lect. XI. 41

Additur Conſilium.

De Catarrho curando tum in Nobili Rauennate, tum in omnibus hoc morbo detentis. 47. vſque ad 103

LIBRI SECVNDI.

DEfinitio Phrenitidis. Lect. I. 103
A quonam morbo cerebri pendeat Phrenitis. Lect. II. 106

Quæ

Quæ animæ potentiæ lædantur in Phreniticis,& argumenta negantium in Phrenitide ſubiectum eſſe cerebrum. Lect.III. 109
Subiectũ in Phrenitide cerebrũ ſtatuitur,reſponſioq; affertur ad contra ſentientium argumenta, & quomodo inflammationẽ, ac delirium patiatur.Lect.IV. 112
De cauſis omnibus Phrenitidis; In quibus dubitationes, & contrarietates in doctrina Galeni, & aliorum tolluntur. Lect.V. 116
Differentiæ Phrenitidis, & quænam ſit vera cauſa ſimilitudinis Phrenitidis cum delirio per conſenſum à Diaphragmate.Lect.VI. 119
De ſignis Phrenitidem ab alijs conſimilibus morbis diſtinguentibus.Lect.VII. 124
Signa tam impedentis, quàm præſentis Phrenitidis,nec non differentiarum,& cauſarum eius. Lect.VIII. 127
De Prognoſtico in Phreniticis, & an vrinæ inſpiciendæ ſint in affectibus Capitis.Lect.IX. 131
De eodem.Lect.X. 134
De eodem prognoſtico, vbi perpulchra ſoluuntur problemata. Lect.VI. 137
De Scopis in curanda Phrenitide, & de auxilijs à Diætetico Fonte hauſtis.Obiter de communi errore in fructu Perſeo,& Perſico,& de ordine in cibis ſeruando.Lect.XII. 143
De potu in Phreniticis,deq; alijs quibuſdam ad Diætam pertinentibus. In quibus quæ dubia ſunt, & controuerſa apud Medicos dilucidantur.Lect. XIII. 149
De Chirurgia in Phrenitide. In qua controuerſiæ Medicorum de ſanguinis miſſione, & alijs eiuſdem Fontis ſedantur. Lect.XIV. 153
De Pharmaciæ vſu. Vbi de recto vſu, forma,ac tempore purgantium medicamentorum in hoc morbo potiſſimum agitur. Lect.XV. 158
De recta adminiſtratione repellentium, ac digerentium in Phrenitide, deq; huius morbi per conſenſum à Diaphragmate curatione.Lect.XVI. 164

LIBRI

LIBRI TERTII.

MEdicinæ Practicæ vocatæ encomium, & aliqua de ordine ſeruando in explicandis ſoporoſis, alijſq; cerebri morbis. Lect. I. 170
Breuis quædam, & dilucida Capitis, & partium eius delineatio, ex melioribus Anatomicis. Lect. II. 174
De eadem materia, & an cerebri facultates principes ſedibus inter ſe diſtinctæ ſint. Lect. III. 180
Definitio Lethargi, & an Lethargus ſit inflammatio. Lect. IIII. 184
Explicatur magis Lethargi eſſentia, & quæritur in primis vtrum Lethargici delirent. Lect. V. 189
Noua Mercati opinio de cauſa delirij in Lethargo. Vtrum Lethargus morbus ſit, an ſymptoma, & variæ eiuſdem affectus differentiæ. Lect. VI. 192
De cauſis Lethargi tam internis, quam externis, deq; ſignis præindicantibus, & pathognomonicis. Vbi de pulſibus, & vrina Lethargicorum diſſeritur. Lect. VII. 196
De Signis diſtinctiuis, & prognoſticis, vbi duo Hippocratis loca dilucidantur. Lect. VIII. 200
De Scopis, & indicationibus in curando Lethargo, deque Victus ratione in illo præſcribenda. Vbi de vini vſu in Lethargicis controuerſiæ veterum Medicorum conciliantur. Lect. IX. 205
De auxilijs Chirurgicis in Lethargo, & paucis quibuſdam è Pharmacia. Lect. X. 211
De alijs auxilijs è Pharmacia deſumendis. Vbi de medicamento quodam Tralliani, & aliorum ex ſcammonio, & caſtoreo, nec non vſu hieræ in Lethargo diſputatur. Lect. XI. 215

LIBRI QVARTI.

DEfinitio quid nominis. Lect. I. 221
Definitio quid rei. Lect. II. 226
In legitima Epilepſia veram ſemper conuulſionem fieri probatur. Lect. III. 230

Vt

*Vt in Epilepſia per eſſentiam legitima conuulſio, motuſque conuulſiuus, ita in eadem per conſenſum motus ſolùm conuulſiuus reperitur.*Lect.*IV.* 234

Ex cerebri ventriculorum, nempe medij, aut poſtremi occluſione Epilepſiam fieri oſtenditur. Lect.*V.* 236

*An motrix facultas ad motum epilepticum edendum concurrat.*Lect.*VI.* 239

Qua ratione dicatur cerebrum tam promptè aduerſus rem inſenſam inſurgere, cum ex ſui natura ſenſu carere dicatur Lect.VII. 242

Vtrum cerebro non affecto Epilepſia aliquando fiat, obſtructis ſolùm carotidibus arterijs, veniſq; iugularibus. Lect.VIII. 246

*Quamobrem Epileptici non modò ingruente morbo ſenſum, & motum, rationem, & memoriam amittant, ſed etiam ab eo liberi tanquam fatui, immemoreſq; videantur.*Lect.*IX.* 250

Obiectionum aduerſus anteactam Lectionem *dilutio.*Lect.*X.* 256

*De differentijs Epilepſiæ, & modis omnibus, quibus non ſolùm cerebrum, ſed vnaquæque pars ab altera per conſenſum afficitur.*Lect.*XI.* 261

LIBRI QVINTI.

*AN in Deum referenda ſit cauſa Epilepſiæ, vt quorundam fuit opinio.*Lect.*XII.* 267

An Luna *ſtatuenda ſit Epilepſiæ cauſa.*Lect.*XIII.* 273

*De proximis Epilepſiæ cauſis.*Lect.*XIV.* 279

*Auctorum magni nominis de cauſa proxima Epilepſiæ ſententia refertur, & confutatur.*Lect.*XV.* 282

Ariſtotelis opinio de ſomni, ac Epilepſiæ cauſa expenditur. Lect.*XVI.* 288

Epilepſiam & in acutorum, & chronicorum morborum ſeriem cooptari poſſe oſtenditur. Lect.*XVII.* 292

Dubitationum contra habitam Lectionem *ſolutio.*Lect.*XVIII.* 296

De cauſis Epilepſiæ per conſenſum. Lect.*XIX.* 300

De præparantibus Epilepſiæ cauſis internis, Lect.*XX.* 304

Dubitationes omnes ex antehabita Lectione *inſurgentes perſoluuntur.* Lect. *XXI.* 308

LIBRI SEXTI.

QVàm neceſſaria ſit ea Pathologiæ pars, quæ de Signis morborum pertractat, Simiotice dicta. Lect. *XXII.* 316
De Signis imminentem Epilepſiam per eſſentiam prædicentibus, eorumq; cauſis omnibus. Lect. *XXIII.* 319
Enarrantur cætera ſigna impendentis Epilepſiæ per eſſentiam in antecedenti Lectione *omiſſa*.Lect.*XXIV.* 325
Vter humor pituitoſusne, an melancholicus Epilepſiam genuerit, quibus notis deprehendatur. Lect. *XXV.* 333
De Signis Epilepſiæ à ventriculo, cæteriſq; corporis partibus progenitæ. Lect.*XXVI.* 341
De Signis Epilepticorum, quæ pathognomonica dicuntur. Et an oris ſpuma pecularis ſit Epilepſiæ nota. Lect. *XXVII.* 347
De læſa reſpiratione Epilepticorum, & quamobrem ſenſus omnes hoc in affectu amittantur, probabilior cauſa affertur, quàm factum ſit in ſuperioribus. Pulſus, & vrinæ Epilepticorum qualesnam ſint. Lect.XXVIII. 353
Quæ ſymptomata circa finem Epilepſiæ, & ea iam finita cernantur. An in paralyſin hic morbus deſinat, & quò materia illius cauſa trudatur.Lect.*XXI X.* 360
De Prognoſtico Epilepticorum. Lect.*XXX.* 365
An ſoli homines, inter animantes, Epilepſia laborent, vt ſentire videtur Ariſt. & cur ingenio præpollentes viri maxime omnium Epileptici euadant.Lect.*XXXI.* 369
Quamobrem Epilepſia hæreditario quodam iure in filios, &, quod mirum magis eſt, in nepotes, parentibus illæſis, ex auis deſcendat.Lect. XXXII. 374

LIBRI SEPTIMI.

DE Indicationibus in quacunq; ſpecie Epileſiæ, deque huius curatione in Infantibus lacte adhuc veſcentibus. Lect.*XXXIII.* 381
De eadem curatione in pueris lactentibus, & potiſsimùm de

*Cauterio ad inion.*Lect.*XXXIV.* 386
De eodem Cauterio ad inion in pueris Epilepticis, & reliqua curatione in ijſdem. Lect.*XXXV.* 391
De curatione Epilepſiæ in pueris ablactatis, natuq; grãdioribus. Obiter de liquore Chalcanthi, ſeu Vitrioli, eiuſque abuſu. Lect. *XXXVI.* 397
*De eadem curatione in pueris grandioribus, & an tuſsis poſsit eſſe peculiare ſymptoma lumbricorum.*Lect.*XXXVII.* 413
De curatione Paroxyſmi Epileptici in omnibus. Lec.XXXVIII. 419
De curatione Epilepſiæ per eſſentiam extra paroxyſmum in adoleſcentulis, ac iuuenibus per Pharmaciam. Lect.XXXIX. 425
De diaphoreticis. ſeu reſoluentibus materiã in Capite, deq; eius intemperiem corrigẽtibus, & illud corroborãtibus. Lect.XL. 425
De Aquis, ac Trochiſcis quibuſdam ad Epilepſiã admirandis, deq; multis Empiricis remedijs. De Periaptis, & Amuletis tam Phyſicis, quàm Magicis quid ſentiat Auctor. Lect.XLI. 437
De eiuſdem Epilepſiæ curatione per Chirurgiam, & primò de ſanguinis miſsione controuerſiæ proponuntur, & ſedantur. Lect.XLII. 444
De ſanguine ex hæmorrhoidibus vacuando; de Cauterijs & Phœnigmis. Lect. XLIII. 453
De Fonte Diætetico in Epilepticis, *primùmq; de Aere, mox de Somno, & Vigilia. Lect. XLIV.* 461
De Motu, & Quiete; ſub quibus de exercitationibus, & frictionibus; De Animi pathematis. De Inanitione, et Repletione; ſub quibus de vſu Balnei, & Veneris in Epilepticis. Lect.XLV. 470
De Cibo, & Potu. Vbi dubitationes quædam de carne hædina, & Coturnicum, de vſu apij, & coriandri in Epilepticis breuiter diluuntur. Lect. XLVI. 475
De Prandio, & Cœna, hoc eſt de vtriuſq; quantitate in Epilepticis, & demum de Epilepſiæ per conſenſum ortæ curatione. Lect. XLVII. & vltima. 482

FINIS.

DE MORBIS CAPITIS FREQVENTIORIBVS,

Quorum Cognitio, & Curatio ita traduntur, vt ad alios etiam cognoſcendos, & curandos mirificè conducant,

Hoc eſt

De Catarrho, Phrenitide, Lethargo, & Epilepſia, ſeu Comitiali Morbo, Libri Septem.

DE CATARRHO LIBER PRIMVS.

Quàm frequens vbique ſit Catarrhus, & Romæ in primis, eiuſque nomenclaturæ explicatio. Lectio I.

POSTVLAT iam inchoati ordinis ratio, (Auditores Nobiliſſimi) vt, cum tranſactis diebus, prius quàm geniale, ſeu animo laxando dicatum tempus accederet, de vitiata actione tactus, nempe de dolore ad caput attinente, abundè pro virium mearum exilitate egerim, in præſenti de vitiata actione nutritionis cerebri, vnde Catarrhus prouenit, ſeu diſtillatio, pertractare aggrediar. Ne dicam, quòd hoc potiſſimùm tempore diſtillationes oriri incipiunt ob aeris teporem, à quo humorum in cerebro, & reliquo corpore per hyemem collectorum colliquatio efficitur; Vnde etiam clarè patet ſumma cum ratione ab hac Sacroſancta Romana Eccleſia, aduerſus quam temerè, & audacter nimis latrat Fuchſius, diuinum Ieiunium Quadrageſimale dictũ, quod nunc omnes verè Chriſtiani libentiſſimè amplectuntur, hiſce diebus fuiſſe inſtitutũ; Inter alios Eccleſiæ Doctores ieiunij vtilitates valde commendant D. Athanaſius Tract. de Virg. & D. Hieronymus aduerſus Iouin. lib. 2. Quare & Philo Iudæus expendẽs ver-

ba illa, Reſpuit Noe, Sobrietas, inquit, non ſolùm animabus, verùm etiam corporibus omnium confeſſione vtiliſſima eſt. Nam & infirmitates arcet è nimia repletione naſci ſolitas, & ſenſus mirificè acuit, nec ſinit corpora plus iuſto grauata corruere; ſed attollit ea ſimul, & ſubleuat, reuocans ad officia propria, omnibus eorum partibus opportuniſſima. Sic in vere ἀβρωσίαν ſalubriter inſtitutam eſſe probat Neocomenſis lib. de t. s. Nam hoc tempore corpora carnes habent humidiores, ob pituitam ex hyeme coaceruatam, ſed carnes habentibus humidas fames afferenda eſt, quæ ex accidenti corpora exſiccat apud Hippocr. & Galenum. 7. Aph. 59. De hoc itaque mali genere, nempe Catarrho diffusè loqui, & materiam adeò vtilem, atq; neceſſariam non ita breuiter perſtringere, ſed pluribus Lectionibus enarrare decreueram: verùm à propoſito diſcedere duæ in primis cauſæ me quodammodo impellunt. Vna quidem, ne iam acta, imò in lucem edita agere velle videar, eo quod annis præteritis dum eſſem Rauennæ, integrum dc Catarrho libellum in apertum emiſi, in quo omnia ferè, quæ ad huiuſce ægritudinis cognitionem, præcautionem, & curationem ſpectant, non iniucundè tractantur. Altera verò, ne tam longam moram faciens in vno tantummodo affectu explicando, cogar poſtmodum cæteros capitis morbos, quos omnes hoc anno penitus expedîre, & omnino abſoluere in animo eſt, in aliud tempus reijcere, ſecus, ac veſtrûm omnium eſt deſiderium. Sciendum igitur vobis, quòd Catarrhus, ſiue diſtillatio à capite in ſubiectas partes maximè omnium morborum noſtrum corpus infeſtat, vt iam ferè quique morbi, vel Catarrhi ſint, vel non ſine Catarrho. Quamobrem Ariſt. Sect. Probl. 10. prob. 1. hominem frequentiſſimè hoc malo vexari ſignificare voluit, dicens eum magis tuſſire cæteris animantibus, quoniam videlicet humidiſſimum cerebrum ſortitus eſt. Hippocrates ante eum, dum 4. de Morbis, & quadam in Epiſtola ad Demetrium Regem, cerebrum dicit eſſe omnium corporis partium morboſiſſimum, nec non ipſum malorum omnium radicem vocat, dubio procul de Catarrho intelligit, quem veluti fontem cæterorum morborum ſtatuit, iuxta doctrinã illam, quam præcipuè in libello de Gland. memoriæ proditam reliquit. Nulla ſiquidem eſt humani corporis ægritudo, quæ non à

deflu-

defluxione alicuius humoris è capite, aut excitari, aut incrementum capere poſſit, quod quàm verum ſit, ſub hoc cœlo Romano degentes manifeſtè experiuntur; Romam enim incolentibus Catarrhus multo magis, quàm hemitritæus inquilinus, & patrius eſſe videtur. Vnde veluti Athenis podagra erat, & arthritis, in Achaia lippitudo, in Aegypto elephas, de quibus Lucretius lib. 6.

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque præterea vſquam
Atthide tentantur greſſus, oculiq; in Achæis
Finibus, inde alijs alius locus eſt inimicus
Partibus, ac membris varius concinnat id aer,

Ita peculiari quadam ratione Romæ degentes Catarrhus afficit, atq; diuexat. Ideo Galenus, & poſt eum recentiores multi, qui in Vrbe medicinam fecere, Romanum cœlum cunctis diſtillationem patientibus aduerſiſſimum eſſe prodiderunt, Qua re nulla magis in incolarum, & Medicorum ſimul ore decantata; inter alios Alexander Petronius lib. 4. de Vic. Romanorum frequentem hanc ſuccorum in capite exuberantiam vernaculum Romani cœli morbum eſſe ſcribit, & nouo, ſed non incongruo nomine, capiplenium vocat. Ita cenſet de Romano cœlo Galenus 5. Meth. 9. & 2. de Temp. 6. & Petronius loco mox adducto, vbi clare admodum profitetur huiuſmodi affectum ab aere potiſſimum proficiſci craſſo, denſo, tepido, frequentiq; flatu, & vehementi, ex quo certè magna huius aeris inconſtantia pendet, & crebra in contraria mutatio, quam facile ferre natura hominis neſcit, Gal. ipſo auctore lib. Art. med. cap. 86. Vnde & Hippocr. in lib. de Aere, Aqu. & Loc. regiones illas damnat, in quibus tempora creberrime mutantur. Sed ſi hoc verum eſt, quid ad Vitruuium, qui lib. 6. cap. 1. ſcripſit quod, quemadmodum Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam, & Saturni frigidiſſimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter Septentrionalem, Meridianumq; ab vtraq; parte mixtionibus temperata, & inuictas habet laudes, itaq; conſilijs refringit Barbarorum vires, forti manu meridianorum cogitationes; Ita Diuina mens ciuitatem populi Romani egregia, temperataq; regione collocauit, vti Orbis terrarum imperio potiretur? Cum

quo facit, quod Roma in medio loco quinti climatis eſſe fertur. Huiuſmodi verò clima temperatiſſimum vocabat Auerroes lib. 2. Collig. cap. vlt. Et hinc eſt, quod aliqui in arte peritiſſimi, & celebris olim in Vrbe nominis Medici in viuendi potius intemperantiam, & crapulas, quàm in aliquam aeris qualitatem diſtillationum Romanarum cauſam referre maluerunt. Quorum iudicium vt ex parte verum magni facimus quidem; ſed clariſſimo Gal. & aliorum teſtimonio minimè præferendum eſſe exiſtimamus; eò magis, quia infiniti propemodum in hac ſancta Vrbe reperiuntur, qui parce admodum, & continenter ſe gerunt in viuendi ratione; morbis tamen à fluxione è capite acriter moleſtantur, ne dicam, quod alijs in locis Italiæ, in quibus multi otioſam, ſedentariam, & luxui penitus deditam vitam viuunt, tam frequentes, tamq; rebelles diſtillationes minimè apparent. At his omiſſis, per Catarrhũ veteres quid intelligere voluerunt? Paulus ab Aegina tradit Catarrhũ eſſe deſcenſum præter naturam humoris excrementitij à capite in ſubiectas partes. Non diſſimili ratione Auicenna Catarrhum curſum materiæ à capite appellauit. Atqui Catarrhi nomen defluxus, vel diſtillatio eſt: nam καταρρέω verbum id ſonat, vt propterea Catarrhus vocabulum commune ſit omni humorum defluxui, quod alij pariter de rheumate proferunt. Quare nullo modo Braſſaulus decipitur, vti perperam putauit Paſcaſius in ſua de Curand. Morb. Methodo cap. 35. dùm ſcilicet Catarrhum ad omnes humorum defluxus extendi exiſtimat. Neq; enim obſtant duo illi verſiculi Gerardi referente Arculano in 9. Rhaſis,

Dum fluit ad pectus dicatur rheuma Catarrhus
Ad fauces branchus, ad nares dico coryzam

Neq; etiam quod Galen. 3. de Sympt. cauſ. cap. 4. Progn. com. 49. & Paulus lib. 3. cap. 28. & Aetius ſerm. 8. cap. 53. ſentire videantur Catarrhum dici, quando humor in os, palatum, & pectus deſcendit. Nam hoc nomen latius patet nobis, quo veteres eam ſolùm diſtillationem deſignaſſe videntur, quæ in fauces irruit, quinimo per coryzæ nomen, quod nunc in grauedine tantum ſeruatur, auctore Celſo lib. 4. cap. 2. Hippocrates omnem diſtillationem quòcunq; influat in nares, fauces, pulmonem, quam poſtea Medici

cata-

cataſtagmon dixere, intelligi volebat. Quamobrem dicatur nomen Catarrhi ſumi poſſe tripliciter, communiſſime, communiter, ac proprie. Si primo modo accipiatur, nulli dubium, quod per Catarrhum nil aliud ſignificare volumus, quàm humorum ab vna ad aliam partem prolapſum. Si ſecundo, erit defluxus humoris à capite in totum corpus, aut aliquam corporis partem. Sic tempore Socratis, vt meminit Plato 3. de Rep. omnes defluxus humorum à capite ad partes inferiores vocabantur Catarrhi. Sic etiam accepit Gal. 3. Aphoriſ. 12. vbi Leonicenus deceptus eſt, vt notat Sclanus Com. in Art. Medic. Si verò tertio, ſanè Catarrhus erit fluxus, ſeu diſtillatio à capite per palatum in fauces, & pectus. Quo ſenſu Gal. de Sympt. cauſ. lib. & cap. iam allatis tradit tempore ſuo Catarrhum fuiſſe nomen commune ſolùm diſtillationibus illis, quæ ad nares, ad palatum, & pectus dilabuntur. Sed iam finis imponatur hiſce omnibus, quæ ad nominis potius diſquiſitionem facere videntur, quàm ad ipſam rei eſſentiam, de qua in ſubſequenti Lectione fiet à nobis ſermo.

Catarrhi definitio. Lectio II.

IAM definiendus eſt Catarrhus eſſentiali definitione, & ideo dicamus cum Hippocr. in lib. de Gland. Catarrhum eſſe ſordem, & purgamentum cerebri, vel, ne verbo metaphorico, & propterea obſcuro, quod in definitionibus de Ariſt. ſententia maxime vitandum eſt, definire videamur, excrementum craſſum, affligens corpus, à cerebro ipſo deſcendens, & in eo prius cumulatum, ob eiuſdem fruſtratam coctionem. Cuius definitionis partes omnes diligenter expendere oportet, ne temerè, ac oſcitanter ex alijs eam attuliſſe dicar. In ea ſi quidem Catarrhi quæuis cauſæ habentur, vtputa formalis, materialis, & efficiens; nam finalis cauſa in malis non datur, ſi modò bonum & finis reciprocentur, vt eſt apud Platonem in Philebo. Quo argumento reprehenditur Euripides ab Ariſt. 2. Phyſ. quod ſcripſerit mortem eſſe finem rerum omnium. Quandoquidem non

quicquid agit habet certum finem ſuæ actionis; ſed quicquid agit naturaliter. Vt vt ſit, nullus finis in morbis, & ideo nulla finalis cauſa Catarrhi. Quinimo Gal. in lib. de Cauſ. Morb. & Sympt. non alias explicat cauſas, quàm efficientes, & Leonicenus in Præf. Art. paruæ teſtatur eſſe Galeni conſuetudinem per cauſam ſimpliciter, efficientem tãtummodo intelligere. Iulius Cæſar Scaliger Com. in lib. Hipp. de Inſomn. Cum cauſæ, inquit, aliæ ſint intus, aliæ extra, hæ quæ intus ſunt, & efficientes, & materiales eſſe poſſunt. Nam vt ſunt ſubiectæ qualitatibus deferendis, materiæ ſunt, vt impediunt naturales effectiones, efficientes erunt. Quando itaq; dixi excrementum craſſum affligens, porrò formam ipſam ſignificaui. Quod ſi quis obijciat Catarrhum motum dicere, veluti per ſe patet, & iam ſupra oſtenſum eſt, excrementum verò eſſe mobile, reſponſum ſit, vocem Catarrhi ſemper ſignificare fluxum præter naturam materiæ morbificæ, vt idcirco per hanc ille definiri poſsit eſſentiali definitione. Nam vocare ipſum fluxionem, vel deſcenſum cum Paulo, & Auicenna, ad notionalem potius definitionem pertinet. Excrementum autem vocauimus Catarrhum, ad differentiam alimenti; quod pituitoſus ſanguis eſt, quo cerebri ſubſtantia medulloſa natiuo temperamento & ipſa frigida, & humida tanquam familiari, & ſibimet congenere pro nutrimento vtitur, additumq; eſt craſſum, vt ab excremento tenui, & vaporoſo diſtinguatur. Quod quidem vt melius intelligi poſsit, ſciendum vobis eſt, cerebri excrementa duorum eſſe omnino generũ, alia quidem tenuia, alia verò craſſa; illa vaporis, & fuliginis inſtar ſua leuitate ſuperiora petunt, perq; meninges, cranium, & cutim expirant, per meninges verò & cutim, non adeo manifeſto, & patenti, ſed obſcuro, & inſenſili ductu; Eſt enim earum corpus in viuente multis foraminulis peruium. At oſsis craſsitiem, ac denſitatem cum permeare vapores non poſſent, ſuturis diſtinctum fuit cranium, per quas tenuia, ac vaporoſa excrementa facilè tranſpirant; quibus cerebrum abundat ratione potius ſitus, quoniam illuc expirationes, & halitus omnis generis ab infernis iugiter conſcendunt per vaſa potiſſimum, quæ ad caput terminantur. Hæc verò, nempè craſsiora excrementa per patentes, & conſpicuos ductus, atq; meatus deorſum

ex-

expugnantur. Sed quid nam eſt craſſum hoc excrementum? pituitoſa quædam materia, aquea, ſeroſaq; , quę ex reliquijs pituitoſi, & crudioris ſanguinis ex labefactata coctione in cerebro generatur: Vt diſtinctio fiat ab alijs duobus excrementis, bilioſo inquam, quod per aures continuò expurgatur, & melancholico, ex terrena alimenti portione vi caloris aſſata genitis. Materialis verò cauſa quæ nam erit? Scitote per cauſam materialem accipi quandoq; à Medicis ſubiectum, in quo morbus exiſtit, quoniam materia, quæ morbum committit, vt morbificus humor, efficientis rationem habet; locus igitur generationis Catarrhi, ſeu eius ſubiectum, erit ipſum cerebrum, quod à nobis per ea verba ſignificatur, excrementum craſſum à cerebro deſcendens. Neque enim audiendus Argenterius, qui huiuſmodi humorem proprium eſſe cerebri excrementum negat, eo quod multi pituitam nec expuant, nec emungant, ſed humorem eſſe vult in hepate genitum cum ſanguine mi-ſtum, & in venis contentum, qui non in cerebro ab alimenti coctione generationem habeat, ſed eò feratur, & cum ob imbecillitatem coctricis, aut intemperiem frigidam à cerebro aſsimilari nequeat, tanquam redundans, & ſuperfluus per os, & nares excernatur. Cuius viri opinio abunde refellitur ab Andrea Laurentio in ſuis oper. Anat. lib. 3. Quæſt. 14. Dum autem ſubnectitur, affligens corpus, duo pariter indicantur, videlicet affecta ſedes, ſeu patiens locus, qui eſt corpus ipſum, & præterea huiuſmodi excrementum tum ſymptoma eſſe, tum morbi cauſam. Nihil enim prohibet quin ſymptoma aliquando ſit cauſa morbi; Nam dolor ſæpe fluxionem accerſit, à qua tumores præternaturam excitantur. Vnde Gal. 1. de Comp. medic. ſec. gen. Atqui omnis dolor inflammata exacuit, irritatque, & fluxionibus acceſsionem præbet, quãuis rheumatica intemperie ęger non afficiatur; Nos tamen hoc in loco Catarrhum intelligimus, vt ſymptoma eſt. At cum ſymptoma dicitur, intelligendum ſymptoma non primarium; ſed, vti vocant ſecundi generis, vt pote quod ſymptoma aliud, nempè actionem læſam, ac vitiatam inſequitur. Vnde recte à Gal. huiuſmodi ſymptoma opus, ſeu ſymptoma vt opus vocatur in lib. de Diff. Sympt. ſemper enim opera immediate ſequuntur actiones. Actio autem

à qua fit opus hoc;nulla alia eſt,niſi concoctrix cerebri. Culpa igitur actionis naturalis; non animalis,quę ex conſequenti tantum læditur, Catarrhus gignitur. Cerebrum enim præter animales, quas habet,vt inſtrumentum,habet etiam naturales functiones, vt ſimilare. Nutritur ſiquidem, vt quæuis alia pars, naturæ ſuæ congenere, hoc eſt pituitoſo ſanguine,quem ideo ad ſe trahit,retinet, aſſimilatq;, alimenti verò reliquias in ſanis; dum bene habet, per patentes ductus expultricis robore excernit,at ſi aliqua laboret intemperie,male coquit, ſicq; excrementorum prouentum accumulat,quibus cum ſe ſe expedire nequeat, quà poteſt ſe ipſum exonerat. Quamobrem Catarrhum producit actio cerebri naturalis vitiata,& hac de cauſa in fine definitionis additum eſt,eundem fieri, ac generari,ob fruſtratam cerebri coctionem.Quæritur autem hoc in loco,qua nã ratione à cerebro ad alias partes catarrhalis materia tranſmittatur, ſed facilis eſt reſponſio, ſi non obliuiſcamur natura eſſe comparatum, vt vnaquæque noſtri corporis pars, quæcunque illi moleſta ſunt, & inimica ad alias partes propellat, veluti nos docuit Gal. 2. de Differ. febr. cap. vlt. lib. de Cauſ.Mor.cap.6.& 3. de Facultat. natur.cap. 13. Illud idem enim fit in Oeconomia humani corporis, & particulis eius, quod in ea mala Rep. quam Ariſtot. Oligarchiam vocat, in qua potentior deprimit imbecilliorem, in eumque totum deponit onus. Quandoquidem membra fortia quod in ipſis redundat ad infirma delegant, & hæc rurſus ad infirmiora tranſmittunt, donec ad eam partem deuentum ſit, quę cum excretricem vicinis omnibus imbecilliorem obtineat, conſequenter ex ſe propellere excrementum nequit. Id ipſum ſignificare voluit nobis Celſus quando ſcripſit: Quoties offenſum corpus eſt, vitioſa pars maxime ſentit,hoc eſt imbecillis. Pleno itaque,& grauiter affecto cerebro,virtus eius expultrix modò copia excrementorum grauata, modo qualitate eorundem irritata, accedente præſertim retentricis infirmitate, in varias corporis partes ſuperabundantem, vel moleſtam materiam protrudit, proq; particularum,in quas decumbit, varietate, varia etiam in nobis progignit accidentia, de quibus ſermo in ſequentibus habebitur.

Quæ

Quæ mala à Catarrho proueniant. Lectio III.

NON difficile elicitur , neque obſcurè conſtat ex iam præmiſſis , terminum,à quo primùm fluit Catarrhus, eſſe cerebrum , velut ante nos docuit Hipp. in lib.de Gland. dũ cerebrum pituitæ metropolim appellat,& Gal.6. de Tuend.ſan.c.9. 3.Aph.13.& 3.de Sympt. cauſ.cap.4. Cerebri namque ampla,copioſaque medulla, qua homo indiguit propter inſtrumenta ſenſuum, & præſertim propter oculos,quorum tanta eſt neceſſitas,vt vel ab ipſis primordijs perfecti à natura fuerint parati, vnde in tota vita oculi, vel nihil, vel parũ admodũ creſcere videntur,multo eget alimẽto, è quo neceſſe eſt multum quoque excrementum gigni, maxime verò ſi accedant cauſæ infra dicendæ.Per quæ loca autem,ſeu ſpatia,dum defluit à cerebro, Catarrhus tranſeat, & per quos nã ductus, atque meatus expurgetur;& qui tandem ab eo morbi excitentur,hoc eſt,quod in præſentia quærimus ; non enim de his omnino conſtat inter Medicos.Nam Hipp.lib.de Locis in homine;& lib.de Gland.ſeptem agnoſcit vias, per quas fluit è cerebro humor, quarum patentes ſunt,oculi,aures,nares,& os ipſum, latentes verò pectus,nerui,ſeu ſpinalis medulla,& venæ; Gal.c.13.Art.paruæ quatuor ſtatuit canales,palatum,nares,aures,oculos.Quod pariter ſentit lib.2.de Loc.aff.cap.3.ſed 1.Aphor.21.palatũ & nares tantum enumerat;& 9.de Vſu part.cap.1.Decliues,inquit,cerebri meatus, tum per palatum in os,tum per corpus narium, conſpicuis, ac magnis orificijs craſſa eructant excrementa . Primo de Sympt.cauſ.& 8.de Vſu part. ſolum palatum tradit eſſe deſtinatum ad huiuſmodi excrementa expurganda , dum animal bene coquit ; nares autem ad aeris,& odorum ſpirationem tãtum.Tertio Aph.24. ſcripſit expurgationem per aures alienam eſſe à natura, præterquam in puerulis , in quibus per eas cerebrum repurgatur , quemadmodum & eam,quæ per oculos fit,purgationem nullo pacto vult eſſe naturalem Progn.20.ſect.1.Ex quibus aperte cognoſcitur Galenum non ſemper idem ſenſiſſe de ductibus, per quos cerebri excrementa pituitoſa

tuitoſa excernuntur;ſed facile tollitur omnis ambiguitas,concilian turq;diſſentientes loci, ſi in primis dicatur, conſiderandum eſſe cerebrum, aut quãdo rectè valet,& bellè coquit,aut quando contrario modo ſe habet: Deinde è ductibus pituitæ expurgandæ dicatis,alios eſſe ordinarios, & naturæ familiares, alios verò non ita familiares, ſed extraordinarios. Ordinarij ſunt potiſsimum, palatum,& nares,& magis etiam palatum,quam nares;quia hæ primario ad odoratum conſtructę eſſe videntur,quamuis cerebri craſsiora excrementa per nares melius, per palatum verò magis aqueã, atque tenuia excernantur. A tertio enim cerebri ſinu conſpicuus fertur ductus ad anteriorem cerebri baſim,in cuius extremo obſeruant Anatomici tenuis membranæ portiunculam quandam, quæ primum latior, deinde anguſtior ad inſtar infundibuli conſpicitur, vulgo peluim & infundibulum vocant, per quod veluti per Hipp. manicam colatur ſenſim pituitoſus humor,quem poſtea glandulã dicta pituitaria tanquam ſpongia excipit, & tandem per cunei foramina pedetentim in palatum, & os diſtillat. Quæ verò mucoſa illuuies è naribus exit,à ſuperioribus cerebri vẽtriculis ſtillat per tubercula mammarum papillis ſimillima,in oſſa cribriformia,& inde in nares. Per huiuſmodi ergo canales, & meatus ſolet cerebrum quamdiu rectè valet quod in ipſo mediocriter redundat expurgare,ſuntq; ipſimet familiares, & ordinarij. Verùm ſi eiuſdem Catarrhi copia opprimatur,ordinarij non ſufficiunt, ſed quà poteſt ſe ipſum exonerat per extraordinarios, ſuntq; oculi, aures, ſpinalis medulla,nerui, & venæ, per quos ductus omnes cerebrum propriũ onus in reliquum corpus,& ſubiectas ipſi partes reijcit,atque deponit; vt propterea non citra rationem ipſummet cerebrum omnium ferè morborum parens eſſe perhibeatur; Quò reſpiciens Gal.lib.1. cap. 8. de Sanit.tuen. vi Catarrhi totũ corpus languere, ac torpidum euadere ſumma cum ratione exarauit; quod perbelle ex mox ſequentibus apparebit. Dum enim catarrhalis materia in cerebro collecta ibidem ſubſidet,quoduis ſymptoma, vel in ſenſibus,vel in arbitrarijs motionibus, nec non in vicinis,& ſociatis partibus exoriri poteſt,prout humor redundans huic, vel illi parti communicatur. Si etenim in cerebro ipſo diutius moratur,& copioſus eſt, aut

praua

praua aliqua qualitate prædítus, in eo membro etiam præter naturam detinetur, & ſecundum quietem peccare à quibuſdam dicitur. Vnde apoplexiæ, epilepſiæ, lethargi, doloris capitis, & ſimilium morborum cauſa euadit. Fluxione verò facta per tunicas ad oculos, quæ à meningibus oriuntur, aut per neruum opticum, fiunt amauroſis vulgo gutta ſerena, repentina obſtructio nerui optici, quę viſum eripit, epiphora quoque ſeu lacrhymatio inuoluntaria, ſuffuſio, ſiue cataracta. Si per nares tenuis humor diſtillet, coryza fit, in qua ab humoris acrimonia aliquando nares exulcerantur, adeo vt ex vlcere ſimplici ſæpe putre illud fiat, quod ozęna dicitur, inde etiam carnis illa in naſo ex creſcentia, quam polypum appellant; Quod ſi diſtillatio in os deſcendat, tum proprie Catarrhus dicitur, licet rheuma quoduis nonnunquam ita generaliori nomine dicatur. Ab huiuſmodi diſtillatione in os frequens fit illa expuitio, quam Cælius Aurelianus ſaliuationem, Græci verò paſſim ptyeliſmum nuncupant, quem tamen à ventriculo etiam humidiori poſſe fieri docuit nos Gal. 2. Pror. com. 12. Dum in fauces diſtillatio dilabitur, ſępe anginam parit, ex Hipp. & Gal. ſententia 3. Aphor. 16. ſæpiſsime branchum, ſeu raucedinem, ex eodem Gal. 6. de Tuen. ſanit. cap. 9. quod quidem non alia ratione plerunq; euenit, niſi quia & columella ab eadem fluxione coafficitur, ac multo humore repletur; caruncula enim illa, ab extremo palato pendens, quæ inter tonſillas, ſeu glandulas, quæ ab vtraque oſsis hyodis parte aſsiſtunt, græcè pariſthmia dicuntur, voci ad ſuauitatē atque moderationem veluti plectrum conducibilis eſt; ideo quicunque illam, vel præciſam, vel eroſam, vel vltra modum tumefactam habent, non niſi male, & deprauate loquuntur. Idipſum in Muſicis, & cantoribus perſæpe obſeruaui. Quæ pars vbi præ influente humore extuberat, & inflammatur, vuæ nomen ſortitur, dum ſcilicet ſuperna ſede tenuior apparet, inferna craſsior, inſtar vuæ pendentis. Quare Veſalius aut non intellexit, aut fortaſſe contēpſit quod 6. Catat. tradit Galenus, dum inter cætera nomina ſcripſit hanc partem vuā appellari, cum tamen Galenus dicat non hanc partem, ſed huius partis morbum vuam nuncupari. Inquit enim; Nam qui vuam ipſam appellant, eorum neque præſtat meminiſſe. nos enim non par-

ticulam

ticulã ipſam,ſed aliquã eius affectionẽ vuã dicimus; Celſus tamen per vuã nõ morbũ,ſed particulã accipere videtur lib.6.c.14.& lib. 7.c.12. Quod ſi à faucibus catarrhalis materia per aſperã arteriã decurrat in thoracẽ, morbos thoracicos inducit,phthiſim,pleuritidẽ,aſthma,& ſimilia;ſi verò per œſophagũ deſcẽdat in ventriculũ, illius robur deijcit,appetitũ,& coctionẽ peruertit, ob eius humiditatẽ frigiditati adiunctam, vt proditum eſt à Galeno 1. de Sympt. cauſ.cap.7.Neque enim omnis frigiditas appetentiam ſuſcitat, ſed moderata,& illa potiſsimum,cui ſiccitas iungitur, eodem Gal.auctore 2.Aphor. com.20. Diarrhœã ſimiliter producit diſtillatio in ventrẽ facta,Hipp.teſte in lib.de Affect. qui pariter in lib.de Glãd. idem affirmat per hæc verba. Si in ventrem pituita peruenerit,horum ventres fluunt. Facit quoque lienteriam, & colicos dolores, nec non nephriticos haud infrequenter,& multis,vt millies in praxi obſeruaui,nauſeam,& vomitum; hincq; ſi in iecoris venas ſe inſinuet,craſſeſcens tum eas,tum viſcera infarcit,obſtructioneſq; parit. Per venas autem diffluens febrem excitat catarrhalem,quemadmodum ſi vehemens,& contumax ſit,atrophiam,cachexiam,& leucophlegmatiam, tota nimirum ſanguinis maſſa ab ea conſpurcata,& contaminata,& hæc quidem rationabilius eſt contingere,ſi per internas particulas vitiatus ſanguis deferatur, quàm ſi catarrhalis materia per externas deerret, vt nuper alij literis mandarũt. Si per arterias tranſmittatur,compatiente corde per aortam, frequens vrgere ſolet ſyncope,frequens & rebellis palpitatio; tandem per neruos delapſa,neruorũ varios affectus generat,vt puta ſtuporem,tremorem,paralyſin,conuulſionem; Dubitatio non leuis eſt de fluxione ad articulos dilabẽte,à qua dolores fiũt articulares, cum Fernelius lib. 5. ſuæ Pathol. cap. 4. conſtanter neget,fluxionem à capite ad artus per venas ferri. Cuius dogma nouum, (ſi tamen nouũ eſt; nam Duretus ad Hippocratem refert in lib.de Vuln. capitis) quod nimirum catarrhalis materia artrhitidis cauſa ſemper à partibus capitis extra caluam poſitis oriatur, indeq; per ſummam corporis partem, hoc eſt ſubtus extimã cutim decurret, & in inferiores partes præcipitetur,bona Medicorum pars,à qua ne latum quidem vnguem diſcedere volo,in hanc vſque diem nul-

lo

lo modo probauit. De quo quidem dogmate nos abunde infra vbi de articularibus doloribus verba faciemus. Interim patet ex adductis quanta cum veritate ſcriptum ſit ab Hipp. in lib. de Glan. Caput ſupra poſitum eſt ſurſum cauum, ac rotundum exiſtens, & humiditatem ex reliquo corpore complectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput dimittit. Non enim immorari, ac manere poteſt id, quod influit, non habens vbi ſedem firmet, niſi iam caput ægrotet; tunc enim non remittit; ſed retinet iſtic: poſt quam vero attractionem remiſerit in glandulas fluxio vergit. Ex quo Hipp. loco elicitur duos eſſe modos, quibus caput afficit, ac lædit; nam cum adeo languidum redditum eſt, vt retinere cogatur, quod in ipſo exuberat, mille modis laborat, & pluribus infeſtatur affectibus; cum verò tranſmittit, reliquas corporis partes (prout audiuiſtis) laborare facit. Quam ſententiam alibi confirmat dicens. Neceſſe eſt, cum quid horum ſecretum fuerit; & per ſe ſteterit, (loquitur autem de ſuccis prauis & excrementitijs) non ſolùm locum, vnde diſceſſit, morbidum fieri; ſed etiam locum, in quo ſteterit, & in quem, propter nimiam copiam, diffuſum eſt, dolore, ac morbo vexari; Et hæc pro hodierna Lectione ſufficiant.

A quonam cerebri morbo Catarrhus fiat. Lect. IIII.

DICEBAM in ſuperioribus Catarrhum eſſe ſymptoma ſecundarium, quod aliud ſymptoma inſequitur, nempe læſam actionem cerebri naturalẽ, quæ eſt coctrix appellata, ob cuius fruſtrationem pituitoſa excrementa in eo membro cumulantur. Quærendum modò eſt, quomodo, & qua ratione actio hæc cerebri naturalis afficiatur, aut vitietur. Nulli dubium facultatem illam non fruſtrari ratione ſui, ſed ratione inſtrumentorum, & obiecti; quoniam facultates omnes per ſe impaſsibiles ſunt, & ita intelligẽdus eſt, ni fallor, Gal. 3. de Sympt. cauſ. cap. 1. vbi tradit actiones naturæ vitiari ob læſam facultatem, aut ob aliquam externam cauſam; exemploq; leienteriæ, quod eodem in lib. legitur cap. 4. facile idipſum cognoſcitur. Quandoquidem veluti paſsio illa

illa ſit ex læſa coctione ventriculi, ſic & Catarrhus ſit læſa coctione in cerebro, & quemadmodum coctio ventriculi læditur læſo organo facultatis coctricis, ac vitio obiecti; ita & Catarrhus gignitur, læſo cerebro, & vitio obiecti illi oblati, quod eſt alimentum, ſeu coctile vitioſum. Hæc vel ſimilis doctrina habetur apud Gal. 1. de Loc. affect. cap. 3. & 4. Veruntamen, licet in generatione Catarrhi, & alimenta, & aliæ externæ cauſæ locum habeant, ille plerunque ſit ob læſam facultatem iam dictam, cui quidem læſio contingit à morbo ſimilari, nimirum ab aliqua intemperie. Sed cum haud vnæ ſint intemperaturæ, quæritur nunc an ab omni intẽperie coctio cerebri vitiari, & proinde Catarrhus gigni poſsit. Profecto (iuuenes ſtudioſiſsimi) ſi vera eſt Gal. ſententia cum alijs in locis, tum præſertim in lib. de Facult. natur. coctionem fieri miniſterio caloris natiui temperati, conſequens eſt, vt coctio deprauetur ab omni calore, qui temperatus nõ ſit, vnde cum omnis intemperies aliena ſit à calore temperato, facile eſt intelligere, à qualibet intemperie coctionem lædi, & ita Catarrhum fieri. Verùm hinc dubitationes non contemnendæ inſurgunt. In primis verò Gal. 2. de Temp. cap. vlt. lib. 1. de Tuen. ſanit. cap. 5. & 3. Aphor. vlt. Catarrhum in ſerie frigidorum malorum recenſet, atque enumerat, ergo à frigida tantum intemperie Catarrhus fiet. Accedit ex eodem Galeno 6. Aphoriſm. 2. cerebrum habere propenſionem ad ipſius Catarrhi generationem, quia naturalis eius temperies frigida eſt, & humida, quare à frigida ſolùm, & humida cerebri intemperatura gigni poſſe videtur. Præterea quomodo à calida, & ſicca intemperie cerebri excitari poteſt, diſtillatio ſi Gal. lib. 2. Art. med. tex. 25. vbi de ſignis calidi, & ſicci cerebri loquitur, ſcribit inter ſigna calidi, & ſicci cerebri eſſe, vt ipſum met cerebrum excrementis vacet? Pro ſolutione primæ dubitationis dicatis, reuera frigidam, & humidam intemperiem per ſe Catarrhum efficere, in qua alimentum ad cerebrum delatum non conficitur, nec per halitum diſflatur, qui Catarrhus exquiſitus dici poteſt. Quò reſpexit Gal. quando inter frigida vitia Catarrhum ipſum connumerauit, nec non 6. Aphor. com 2. Non rarò tamen diſtillationum feraciſsimæ ſunt aliæ quoq; intemperaturæ, præcipue calida, & humida ſimul, vt notat idem

idem Gal.loco Art.med.adducto, quippe quę magis attrahat, quã digerat, vel abſumat. Idem legitur apud eundem 3.Aphor.12. Hinc 6.de Tuen.ſanit.9.illos redarguit, qui ſemper in omni Catarrho capiti calida applicabant, putantes Catarrhum à frigida ſolùm intemperie produci. Pro alterius obiectionis enodatione reſpondendum eſt, intemperiem calidam, & ſiccam, vel reperiri intra terminos ſanitatis, vel morboſam eſſe; & ideo ſi intra latitudinem ſanitatis conſiſtat, tũc cerebrum illa præditum intemperie minimè excrementoſum eſſe, nec diſtillationes parere. Cæterùm ſi morboſa ſit, & extra latitudinem ſanitatis reperiatur, patet omnibus ex ſupra allatis ab huiuſmodi intemperie copioſa excrementa produci, quòd ab ea etiam coctio magnopere deprauetur. Gal. verò loquebatur de intemperie calida, & ſicca intra limites ſanitatis, à qua vel nulla, vel certè pauciſſima proueniunt excrementa. Concludatis itaque, quòd omnes cerebri intemperies eiuſdem membri coctricem facultatem vitiãdo, Catarrhi, ſeu diſtillationis cauſa eſſe poſſunt. Quandoq; verò huiuſmodi ſymptoma morbum in compoſitione inſequitur, quando ſcilicet cerebri cauitates à nimia humiditate replentur; ita vt conſtet cerebrum in Catarrho, & vt ſimilare, & vt inſtrumentale oblædi. Primo modo laborat intemperie, ſecundo modo laborat nimia repletione, quæ cerebro contingere ſolet ex nimia crapula, & ebrietate, aut alijs externis erroribus; à quibus licet vitietur concoctio, negandum tamen tunc lædi actionem facultatis alteratricis; nam vitium eſt in obiecto minimè apto ad recipiendam coctionem, aut propter ipſius copiam, aut prauam qualitatem, aut aliam cauſam externam. Cauſæ autem fouentes intemperies, & diſtillationes adiuuantes plures eſſe poſſunt, naturalss, præternaturales, & non naturales, quę quidem Catarrhi cauſæ mediatæ vocantur, ſuntq; inter naturales, intemperies naturales humida, calida, frigida, & calida humida, & frigida humida. Sed hoc in loco quæri ſolet, an intemperies humida ſimplex, quemadmodum & ſicca tantùm in ſerie cauſarum generationis Catarrhi enumerari poſſit. Reſpondetur poſſe quidem haſce intemperaturas eſſe cauſas Catarrhi, ſed non principales, & immediatas, imò diſponentes ſolùm, atque coadiuuantes. Humidam dico laxando coctricem facultatem debilitat, ſiccam verò, ſi præ-

ſertim intenſa ſit, humidum ſubſtantificum ipſi calori ſubtrahendo, quo proinde imminuto, cruditates, & excrementorum prouentus copiosè gignuntur, quod vnicuique veſtrûm exemplo ſeniorum hominum abundè conſtare poteſt. Aetas pariter in his cauſis reponitur. Ideo ſenes ipſi diſtillationibus valde ſunt obnoxij propter frigiditatem quoq;, vt eſt tertio Aphor. 12. veluti pueri non ſolùm propter errores in victu, ſed etiam nimiæ humiditatis, qua vndiq; ſcatent, ratione. Ad eaſdem naturales cauſas Catarrhi ſpectat corporis habitus, præſertim calidus, & humidus, quippe qui de Gal. & Auic. ſententia multũ vaporoſus eſt. In huiuſmodi enim habitu perpetuò vapores ſurſum eleuantur, qui quidem à cerebri frigiditate in aqueam ſubſtantiam, quæ deinde diſtillat, conuertuntur. Ariſt. ſiquidem 10. Probl. 53. Lib. de ſomno, & vigilia, & alibi ſcripſit, illud ipſum nobis contingere, quod in magno mundo fieri quotidie obſeruatur, in quo veluti vapores ad frigidam aeris regionem vi Solis attracti, ab eius frigore denſantur, & in pluuiam vertuntur, ſic & in homine in ſublime efferuntur halitus ab ambitu corporis, qui in cerebro ob eius frigiditatem concreti, ad infernas partes præcipitantur. De qua tamen Philoſophorum Principis opinione nos infra in Epilepſiæ cauſis. Figura denique erecta, vt ex eodem Ariſt. in Probl. loco dignoſcitur, non leuis cauſa eſt repletionis ipſius capitis, & conſequenter diſtillationis. Rectitudo enim figuræ facit, vt calor, & cum calore humores, atque vapores à corpore ſubleuentur in cerebrum, & inde poſtmodum in ſubiectas partes quaſi circulo facto dilabantur. Vnde non incongruè Auic. diſtillationem à capite aquæ comparauit, quæ in meta diſtillatoria fit, (vulgo alembicum vocant.) Quod forſitã ab Hippocrate ſumpſit, qui lib. 4. de Morbis ſcripſit, caput, vt quod cauum ſit, & veluti cucurbita corpori incũbat, ab eo attrahere; Hinc etiam Gal. tradit 9. de Vſu partium c. 1. caput eſſe veluti tectum in domo, in quo propterea non ſolùm redundant excrementa, quæ ibi generantur, ſed alia multa vaporoſa, & fuliginoſa à toto corpore eleuata. Verùm de his hactenus.

De

De cauſis internis præter naturalibus, & externis etiam non naturalibus Catarrhi; vbi Hippocratis locus enarratur, & quæritur an Catarrhus à frigore per expreſſionem, an per colliquationem diffluat. Lect. V.

DE cauſis internis naturalibus, quæ cerebrum ad Catarrhum coaceruandum diſponunt, veluti de alijs proximioribus, & ferèconiunctis ipſiuſmet Catarrhi, nudius tertius loquebamur; nunc ergo videamus internas cauſas præternaturales, & deinde externas, quæ non naturales dicuntur. Inter primas collocantur viſcera penè omnia malè affecta, & præſertim ventriculus, cuius læſiones, & vitia facilè admodum cerebro, & capiti communicantur, non ſolùm mira conſortij lege vobis omnibus ex anatomica inſpectione euidentiſſima, propter nimirum neruorum à ſexta propagine ad os ventriculi ſuperius deſcendentium, tum multitudinem, tum magnitudinem; ſed etiam, præſertim hoc in caſu, per patētem, & latam nimis viam œſophagi, per quam vapores ad cerebrum facillimè conſcendunt. Crudiores enim ſucci in ventriculo, aut culpa ipſius, aut obiecti vitio accumulati, & in craſsiores halitus à debili calore commutati, ſurſum in caput expirant, ac cerebrum implent, qui ibidem condenſati, inſtar pluuiæ iterum in ventrem, & in alias corporis partes deſcendunt. Quod nos etiam docere voluit Hipp. dum lib. 4. De morbis cerebrum à vētre pituitam attrahere exarauit. Poſt ventriculum, iecur pariter in multis primaria eſſe ſolet cauſa diſtillationis, ob feruidiorem ſanguinē, & calidiores vapores, qui capiti ab illo viſcere effirueſcente impertiuntur. Colliqueſcit enim cerebri humiditas præ calore, inſtar ceræ igni adhibitæ. Vnde hæc membra, hepar iuſto calidius, & ventriculus iuſto frigidior, duo videntur eſſe ferè perpetua huius mali ſeminaria, adiuncto partium mittentium robore, cum imbecillitate recipientis. Recentiorum tamen Medicorum turba, ait Fernelius, non ſatis probabili Auicennę dogmate omnem diſtillationis materiam ſtatuit è iecore calidiori ſuſcitari. At verò excrementi mini-

mum hac ratione congeri poteſt, præterquam quod ijs, qui temperato, vel frigidiore ſunt iecore, diſtillationes plerumque fiunt, & hæ quidem quemadmodum & reliquæ ferè omnes à capitis imbecillitate, & frigida intemperie, quæ omnium ſunt cauſarum creberrimæ, ac validiſſimæ. Errant quidem qui omnem Catarrhum in hanc tantummodo cauſam referunt, ſicuti vehementer erraret ipſe Fernelius, ſi quemlibet Catarrhum frigidum faceret, vt contra eum ſcriptis mandauit Duretus. Pulmones etiam vbi incaleſcunt idem præſtant, vt non rarò ego in medendo obſeruaui in peripneumonia detentis, in quibus Catarrhus ad fauces, & pectus præcipitari ſæpe viſus eſt, à quo ſimiliter aliqui præfocati ſunt. Taceo de vtero, quia omnibus id notiſſimum. De liene autem quod ſcribitur, non ita oſcitanter prætereundum eſt. Quid enim lieni cum cerebro, & Catarrho? Admirandum ſanè eſt etiam de Gal. mente, quod lienis tumor in Bione apud Hipp. per vrinæ vias fuerit ſolutus; Ita enim refertur 2. Epid. ſect. 2. Bion, inquit, ſimul multum mingebat ſine ſubſidentia, & ſanguis è ſiniſtra nare manabat, erat enim ſplen illi in gibbum elatus, ac durus. Ego etiam in ſcyrrho lienis, & hydrope ex eo, noui, qui vrinarum liberali profuſione melius haberet, nec deſunt qui nigrarum vrinarum mictione copioſa, lienoſos quamplurimos ſanatos obſeruarunt, affirmantes quoq; à ramo ſplenico, qui à portæ trunco emergit, ortas venas per lienis ſubſtantiam diſſeminari; ideoque ab his ad venam emulgentem, quæ à cauæ deſcendentis trunco enaſcitur, longiſſimum iter adeſſe, itaut, ſi per venas fieri hæc expurgatio debet, oporteat refluere melancholicum ſanguinem à liene ad portam, ab hac ad cauam, à caua per emulgentes ad renes, & propterea per arterias potius, quàm per venas, qui ductus eſt longe breuior, & patentior, lienis aquoſam materiam expurgari. Sed non minori profectò (vt mihi quidem videtur) admiratione dignum eſt, quod legitur apud eũdem Hipp. 6. Epid. ſect. 2. Lienoſos è capite coryza minime laborare. Hoc enim temere pronunciatum ab Hipp. cuipiam videri poteſt, cum nulla inter lienoſos, & Catarrhum patientes neceſſitudo adſit. Vnde Hipp. interpretes in varias diſtrahuntur ſententias. Rufus, & Sabinus, ſi Gal. credimus, locum illum non intellexerunt, licet Capiuaccius illorum interpre-

tationem (Gal. pace) minime contemnendam eſſe velit. Gal. verò veterum interpretum neglecta expoſitione, duas affert cauſas illius aphoriſmi, vnam ſcilicet, quia vbi pars aliqua corporis debilis valde eſt, & inſigniter affecta, excrementa omnia ad illam conuertuntur, & reliquæ partes liberæ, & incolumes remanent; alteram, quod in quibus colligitur pituitoſa humiditas, vel tenuis, vel aquoſa, quales ſunt è capite coryza laborantes, ijs non admodum tumores prę-ternaturam in liene conſiſtunt, qui nimirum craſſos, & melancholicos concomitantur humores. Sunt etiam è veteribus, nec non è recentioribus, qui addunt Hipp. non dicere lienoſos non tentari coryza, ſed potius eos, qui coryza ſeu grauedine laborant, lienoſos minime fieri. Vtcunque tamen ſit, exiſtimo ego eundem fuiſſe ſenſum, quo 5. Aph. vlt. dixerat idem auctor: Auriginoſi non admodū flatulenti fiunt. Quicunq; coryzę, vel grauedini ſunt obnoxij, pituitoſis humoribus in cerebro abundant, in his autem vel nunquam, vel certè rarò melancholici ſucci redundant, quorum copia lien intumeſcere ſolet. Eadem ratio de alio ſenſu militat, quoniam qui lienis tumoribus laborant, calidioris hepatis, & habitus in vniuerſum melancholici eſſe conſueuerūt, & propterea veriſimile non eſt eos pituitoſis morbis, qualis eſt grauedo, tētari ſolere, quemadmodū qui bilem accumulant, vti ſunt regio morbo detenti, à flatibus, qui frigidorum humorum ſoboles eſſe ſolent, non admodum cruciantur. Intelligo autem de icteritia propriè dicta, & ex pura bile pendente; & hoc dico, quia apud Hipp. lib. De intern. affect. mentio fit morbi regij à pituita prouenientis; quod tamen accipere oportet, vel de vitiligine illa alba ſuperficiatenus cutim duntaxat inficiente, vel de illa ſpecie icteritiæ, quæ ortum ducit ab obſtructione hepatis facta ab infarctu pituitoſi, phlegmaticiq; humoris, de qua loquebatur Gal. dum 6. De ſimpl. med. facult. cap. de Atriplice tradidit eam ad auriginem ex pituitæ infarctu prognatam vtilem eſſe. Inter externas cauſas, quæ non naturales appellantur, aer potiſſimum connumeratur calidus, & humidus, frigidus & humidus, frigidus tantū, humidus tantum; Vtrique enim aeris exceſſus, vel liquando, & fundendo pituitam, vel comprimēdo, & exprimendo cerebrum, diſtillationē promouere ſolent. Sic hyems diſtillationū cauſa euadit

apud Hipp. 3. Aph. & lib. de Aere, Aq. & Loc. Sic regio ſeptentrionalis catarrhis maxime obnoxia eſt. Vẽtus aquilonaris frigore exprimens, & auſtralis tepido calore fundẽs diſtillationes concitat. Hæc ſiquidẽ eſt Hipp. lib. de Sac. mor. & Gal. 3. Aph. 12. decãtata ſententia, quam poſtea Medici inſecuti ſunt, vt Catarrhus à frigore concitetur, expreſſione quadã facta, quod ſpongiæ aqua imbibitæ, ac deinde manu compreſſę exẽplo quàm pulcherrimo demõſtrant. In oppoſitũ nihilominus ſunt aliqui è recẽtioribus Medicis, de quorũ numero eſt etiã Ludouicus Mercatus in ſua Praxi cap. de Catarrho, huiuſce tamẽ opinionis neutiquã primus auctor, qui negãt Catarrhũ promoueri à frigore per coarctationẽ exprimendo. Primaria aũt ratio eorum, & præſertim Mercati hæc eſt, quia, vt ipſe loquitur, capere intellectus nequit, qui poſſit cerebrum viuente animali ſuſtinere tantã frigiditatẽ, quantam par eſt, vt partes præ congelatione condenſatæ intra craniũ expellant; Et ideo putat ipſe ea ſolùm ratione frigiditatem ambientis Catarrhũ concitare, qua cutim, & partes extimas denſando, interiores magis incaleſcũt, quomodo de ventre in hyeme, & vere dictum eſt ab Hipp. ex calore verò magis adaucto liquari humores, vias reſerari, ſicq; à capite fluxiones fieri; Quamobrem vna tantũ ſemper erit fluxionis cauſa, colliquatio ſcilicet, à calore quidem per ſe, & immediate facta, à frigore verò per aliud, & mediate, vt iam monſtrauimus. Sed parcant mihi Mercati manes nullo modo diſcedendum eſt ab Hipp. & Gal. dogmate. Supponunt enim Mercatus, & alij rem omnino falſam, nimirũ ad hoc vt frigus ambiẽtis è cerebro Catarrhum exprimat, fieri debere in ipſo cerebro congelationẽ. Quandoquidẽ huiuſmodi frigiditas illud agit non congelando; ſed coarctando, vel cõprimendo, nõ aliter, ac dum ſpongiam humore plenam manu ipſa comprimimus, vt appoſite illo exẽplo nos docere voluit Gal. Quod etiam nõ inepte alij exẽplo reſpirationis, & pulſus adducto explicarũt; nã & in illis clarè cõſtat fuliginoſa excremẽta per compreſsionem, ſeu coarctationẽ quandã extrudi. Sic itaq; aeris frigiditas, & nõ cerebri, vt vidẽtur autumare aduerſarij, dùm capiti repleto occurrit, cerebri panniculos comprimit, qui anguſtiori loco concluſi ſuperabundantẽ humorem foras exprimunt, & excludunt; aliquando ita

cele-

celeriter,vt nullo modo fieri poſſit, vt per frigus tam citò internarum partium caliditas adaugeatur,& colliquationem pariat, quod non niſi longiori temporis ſpatio contingere poteſt. Huiuſce autem opinionis,vt dicebam,primus auctor neutiquam Mercatus fuit; quoniam antequam illius Practica dicta in hominum manus diuulgaretur, Ioannes Langius vir tamen hæretica labe conſpurcatus, id totum memoriæ mandarat in ſuis Epiſtolis,epiſt. 46. Quorum quidem virorum opinio,vt ea parte mihi non arridet, qua Hipp.& Gal. dogma ſubuertere conantur,negando à frigore ambientis poſſe cerebri humiditatem exprimi, ita ex altera admittenda eatenus eſt,quatenus frigus illud diſtillationem promouere etiam poteſt,calore intrò coacto, & aucto. Quamobrem hæc dicta ſint ſatis de hac re, ad alia deſcendamus magis neceſſaria. Nam de cæteris rebus non naturalibus abunde iam in Conſilio de Catarrho dum ſex res non naturales expenduntur, & vberius infra in Diætetico fonte Epilepticorum agetur, quæ facile ab vnoquoque veſtrûm ad hoc etiam caput reduci poterunt.

De differentijs, & ſignis omnibus Catarrhi. *Lect. VI.*

DIFFERENTIAE Catarrhi præ alijs illæ ſunt magnifaciendæ,quę ſumuntur ex cauſis iam ſupra à nobis expoſitis, quæ pariter ex ſequentibus vnicuiq; ſatis ſuperq; conſtabunt; Quamobrem nunc ſigna adeamus dignoſtica prius, deinde prognoſtica; & quoniam præſentis diſtillationis ſigna per ſe ſatis conſpicua ſunt, & manifeſta, ideo ſuperuacaneum eſt inquirere ſigna Catarrhum in genere ſumptum oſtendentia. Nam ſenſibus licet intueri materiam à capite diſtillantem. Quapropter illis tantum notis explicandis immorandum eſt, quæ ipſius Catarrhi differentias aperire vobis poſſunt; variat enim curatio pro varia diſtillantis humoris natura,necnon pro varietate locorum,in quę decumbit; In primis igitur Catarrhus,aut frigidus eſt, aut calidus. Primum indicant hæc omnia quæ mox refero ſi-

gna. Diſtenſio, & frigiditas capitis, faciei pallor, ad ſomnum propenſio, motus piger, ingenij tarditas, obtuſi ſenſus. Temperamentum frigidum, & humidum, anni conſtitutio frigida, aquilonaris, antecedēs victus ratio, & cœlum, ſub quo degunt catarrhum patientes, ad frigidum vergens. Vrinæ crudiores, & denique materia ipſa diſtillationis effectrix inſipida, & non rarò ſenſum frigiditatis præſeferens. Secundum, nempe calidum à materia ſalſa, aut alioqui acri humore, oſtendunt nobis manifeſte dolor totius capitis permoleſtus, ab humorum ſcilicet calidorum acrimonia emanans, rubor oculorum, & ſubtiliſſimi humoris, & caloris ſecundum meninges ſuffuſio, internarum oris partium excoriatio, diſtillantis materiæ color, aut niger, aut rubeus, aut citrinus, aut viridis, odor acutus, & fœtidus, ſapor vel ſalſus, vel amarus, vel acutus, & acris; & tandem ſitis non exigua, & aliquando febris cum vrinis magis coloratis. Reſpondent hiſce omnibus temperamentum, anni tempus, aeris, ſub equo degitur, conditio, & demum antecedens victus ratio. Ad hæc cum generatio Catarrhi in cerebro fiat vel primariò, vel ſecundariò, vbi nullum malè affecti capitis apparet indiciū, tunc generationem illius per conſenſum ab aliqua iam dictarum partium pendere argumentum erit, & ideo diligenter inueſtigare oportebit, quæ nam ex illis præcipue laboret, & ex qua cauſa. Nūc verò ſigna, quæ demonſtrant nobis loca, ad quæ tendit diſtillatio, veluti ſpatia, per quæ tranſit, breuiter exponamus. Si ad nares dilabatur materia, facile cognoſcetis ex illarum pruritu, humiditate, & frequenti etiā ſternutatione, ſi præſertim calida ſit ipſa materia. Vbi ad fauces, cognoſcitur ex faucium aſpredine, rubedine, & vocis raucedine; ſi vero ad pectus deſcendat, tuſſis inſurgit, & anhelitus difficultas. Si in ventriculum, clarum fiet ex nauſea, ex vomitu, ex inappetētia, & aliquādo etiam ex diarrhœa. Scribit enim Hipp. in lib. de Affect. diſtillationes ruentes in ſtomachum alui fluxum facere. Si præcipitetur diſtillatio in ſpinalem medullam, dolor adeſt dorſi, & inceſſus impedimentum. Si deniq; in corpus dilabatur per venas, ea oriuntur mala, quæ iam ſupra ſignificauimus, lotiumq; valde ſpumoſum mingitur, quia nimirum materia per venas diffluens, in vaporem vertitur, qui cum humiditate permixtus,

vi

vi motus, & caloris, ſpumæ cauſa euadit; Per arterias materia deſcendente, pulſus fiunt molles,inæquales, modò frequentes, modò rari,prout ſcilicet quæ labitur materia, aliquando frigida,aliquando calida exiſtit.Dicebat Gal.4.De locis aff.7.ex vario modo,quo dilabens materia excernitur, varios locos indicari,in quos ipſamet cadit. Si quidem quæcunq; exeunt vomitione, ex gula, & ventriculo;tuſsi,ex partibus reſpirationi ſeruientibus; ſcreatu, ex faucibus,& gurgulione;ſimplici ſpuitione,ex ore ſolent deduci.

Quoad ſigna prognoſtica ſciatis Catarrhum grauiſsimum malum eſſe ſecundum ſui eſſentiam, pendereq; ab eo infinitos propemodum morbos,& ideo Catarrhum patientes varijs ægritudinibus obnoxios eſſe, vtputa apoplexiæ,paralyſi,pleuritidi,cœcitati, ſurditati,anginę,phthiſi,ſtomachi dolori,& imbecillitati,diarrhęæ,renum,& veſicæ morbis,& colicis denique,atque articularibus doloribus. Propterea non ab re Gal. lib. 1. cap.8. De ſanitate tuenda ſcripſit, vi catarrhi totum corpus languidum fieri.Cerebrum enim Catarrhi ſedes,atque metropolis cum omnibus corporis particulis per neruos,venas,& arterias conſentit.Vnde ſi duo illi termini conſiderantur, à quo, & ad quem, vehementia etiam dignitatis adiungetur. In cerebro namque, quod eſt terminus à quo, ſi catarrhalis materia forte fortuna detineatur, dubio procul de grauioribus malis timendum magnopere eſt. Duo enim illi canales, qui per palatum in os totius cerebri excrementa eructant, ſoli expurgando cerebro ſufficiunt, quandiu omninò recte valet, Gal.auctore 8. De viſu part.Si humores in cerebro calido,vel frigido ſimiles colligantur, facilius corriguntur, quàm ſi diſsimiles. Terminus vero ad quem, pro nobilitate partium,quæ à fluxione tentantur, ita maiorem, vel minorem dignitatis vehementiam indicat. Sic grauiſsimum minatur periculum diſtillatio vbi in fauces, ventriculum, & pulmonem irruit. Gal.7.Meth. diſtillationis à capite in ventriculum meminit admodum pernicioſæ. Cornelius Celſus lib.4. diſtillat,inquit,humor ex capite interdum in nares,quod leue eſt, interdum in fauces, quod peius eſt,interdum etiam in pulmonem, quod peſsimum eſt. Ex 2. de Tuen. ſanit. cap. 10. elicitur, quod calida diſtillatio in ventriculum frigidum, difficilis eſt, & frigida in

calidum difficilior, ob repugnantiam remediorum, ſi verò frigida in frigidum, & calida in calidum facilis. Addatis vos eò maius periculum arguere, vel minari, vbi quæ diſtillat materia tenuis eſt; acris, & ſalſa, quæ ſi in ventrem, ſitim inextinguibilem, ardorem, & ſępe dyſenteriam parit, ſi in pulmones, vlcera in ipſis incurabilia apta nata eſt producere, quam iccirco malignam eſſe diſtillationem prodiderunt Hipp. atque Gal. 6. Epid. Congruit cum ſuperioribus quod Hipp. 6. Aph. 2. ſcriptum reliquit. Quibus nares natura humidiores, hi minus integra ſanitate fruuntur. Idē auctor 2. Aphor. 40. ita loquitur. Raucedines, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. Quo in loco Hipp. non ſcribit affectus illos in ſenibus non ſolui, ſed non concoqui, iuxta nimirum ſuam ipſius doctrinam 6. Epid. com. 3. text. 23. qua ſcribit morbos ſyntrophos, & hi ſunt, qui ex multo tempore in hominum permanent corporibus, in ſenecta deſinere coctione, diſſolutione & rarefactione. In valde ſenibus raucedines, & grauedines per alterum horum modorum potius curantur, quàm per coctionem, quoniam coctio perficitur beneficio caloris, qui in huiuſmodi ſenibus adeo exilis, & paucus eſt, vt nullo pacto frigidos humores concoquere poſſit. Sed his omiſsis ad ſcopos curatiuos deueniamus, de quibus in ſubſequenti ſermone breuiter agemus.

De ſcopis in Catarrho curando, deque Victus ratione, & in primis de prandio, & cœna. Lect. VII.

QVINAM ſcopi ante oculos habendi ſint in curatione Catarrhi, non admodum difficile erit intelligere, conſiderata fluxionis natura, quæ eſt ab vna parte ad aliam expulſio, & ideo prima indicatio hæc erit, vt fluxio ſiſtatur. Interim verò ad duos terminos dirigenda mens eſt, vt primus omniū docuit nos Hip. non ſolùm in lib. De loc. in homine; ſed etiam 6. Epid. dum ait. Conſideranda hæc, quò, vnde, & quamobrem. Nimirum vnde fluxio oritur, & in quem deſinit. Prior terminus, qui membrum generans, & mandans dicitur, eſtq; cerebrum ipſum, duas exhibet indica-

dicationes,vt,quod diſtillat excrementum auferamus,& vitium, ex quo illud primùm emanat, corrigamus. Poſterior, quæ eſt pars recipiens geminam & ipſa præbet indicationem,vt ſcilicet eam robo remus ne ſuſcipiat,& id quod fluit aliò trahamus,vel intercipiamus, materia quæ iam influxit diſsipata. Verùm ad hæc ante veniendum non eſſe, quàm caput in primis vnà cum ventriculo, & alijs corporis partibus ab excrementorum ſarcina fuerit emundatum, omnibus in confeſſo eſt, & quia contenta in capite promptius euacuantur per palatum,vel per nares,vel per vtrumq; Gal. auctore 3. Art. paruæ,ab his partibus capitis euacuatio prius molienda non eſt,quàm corpus totum ab humorum repletione expiatum ſit, etiã de Platonis ſententia in Charmide. Alioqui enim id nobis con tingeret,quod Gal. 6. de Tuen. ſan. 9. pleriſq; ſui temporis Medicis obijciebat,quorum alij oris, alij narium, alij ventriculi, alij cæterarum partium, in quas diſtillatio decumbit, curam ſuſcipiebant, cum tamen magis neceſſarium fuiſſet cerebrum tanquam mali fontem curare. Quare vniuerſum corpus ante omnia purgandum eſt, & conſequenter materia præparanda, & quoad licet minuenda, ad quos quidem ſcopos aſſequendos neceſſaria ſunt tria Artis medicæ inſtrumenta vobis omnibus quam notiſsima: Diæta, Pharmacia, Chirurgia. Et vt à primo inſtrumento exordiar, nemo non videt in curatione Catarrhi, res in primis non naturales optime debere eſſe compoſitas,& quoad aerem,ad quem & venti referuntur,quoniam, ſi creditur Stoicis, ventus nihil eſt aliud, quàm aer commotus,ſeu fluxus aeris,maxima ſemper illius ratio habenda eſt in morbis præſertim cerebri; quoniam, vt ſcribit Hipp. in lib. de Sac. mor. Aer, qui inſpiratur,vim omnem ſuam in cerebro relinquit, & ideo ſuadere oportet, vt ſit moderatus, neque calidus nimium, neque frigidus, & Auic. præcipit frigidum aerem eſſe fugiendum, ſi præſertim caput calido aeri expoſitum fuerit. Nihil enim magis Catarrhum generat,& promouet,quàm repentina ipſius aeris mutatio ad frigus, & calorem, vt teſtatur etiam Celſus lib. 4. cap. 2. Hancque puto ego primariam eſſe cauſam frequentiũ diſtillationum ſub hoc Romano cælo,quod alioquin morbis capitis præſertim extrinſecus illatis,vti vulneribus, & contuſionibus, non

eſt

eſt adeo infeſtum, vti Bononienſe, & Genuenſe. Varij enim in vna die, ne dicam hora, perſentiuntur venti, qualitatibus ad inuicem contrarij, à quibus vix dici poteſt, quantum caput cum cerebro alteretur, & afficiatur. Intelligo autem potiſsimum Auſtrum, & Aquilonem, de quibus ferè ſolis Hippocratem mentionem feciſſe obſeruamus, fortaſſe quia cæteris frequentius ſpirant, propter cauſam non ignotam ijs, qui ventos ad latera maxime fieri didicerunt: Qui quidem duo venti in Vrbe maxime ſentiuntur; itaut Romæ locum habeat, quod legitur apud Ariſtotelem ſect. Probl. 26. Probl. 22. *Cum ceſſat Boreas, cumq; Auster ſurgere cæpit*. Nos verò qui Romæ degimus, quomodo horum vẽtorum noxam vitabimus? Docuit & hoc quodammodo Gal. in Art. parua, quando dixit, exceſſus qualitatum in aere cæterarum rerum non naturalium contrarietate corrigendos eſſe. Ad cibum & potum quod attinet, pro firmo habeatur in omni Catarrho parcè edendum, & parce bibendum eſſe. Imò præcipua hunc morbum curandi, & præcauendi ratio in hoc tota conſiſtit. Quod verum eſſe, præter experimentum, præclare nos docere voluit Plato lib. 3. de Rep. vbi ſub perſona Socratis affirmat tempore Homeri cognitum Catarrhum non fuiſſe, ſed primò ætate ſua innotuiſſe, poſtquam tot gulæ blandimenta reperta fuerunt. Repletio enim, inquit Hipp. 3. de Diæta, eſt quæ diſtillationes parit, & propterea apud Perſas (Xenophonte auctore) turpe habebatur ſpuere, tanquam crapulæ nota. Mucus ſi quidem, & ſaliua repletionis indices ſunt, & ſigna, eodem Hipp. auctore in mox citato loco. Vnde Perſæ ſputi materiam exercitio, & frugali vita conſumi volebant. In qualitate verò alimentorum non eſt vno, eodemq; modo procedendum: ſed pro natura ipſiuſmet Catarrhi variandum. Nam in calido Catarrho refrigerante victu vti oportebit; in frigido, qui eſt frequentiſsimus, calefaciente, & attenuante, & ideo cibaria quæque frigida, & humida fugienda omnino ſunt; Quæ quidem omnia abunde retuli in meo Conſilio de Catarrho in lucem iam edito; In quo agitata etiam controuerſia iam diu apud Medicos de cœna, & prandio, vtrum ſcilicet prandium debeat eſſe copioſius cœna, vel è contra, omnino diſcutitur. Vnde in præſentia dicam tantummodo quædam ibi vel omiſſa, vel non

ita

ita adamuſsim examinata. In Catarrho itaque cœna ſemper, mea ſententia, parcior eſſe debet prandio, & ita etiam Meſue ipſe ſtatuit, & cum eo idipſum mordicus tuetur Conciliator Diff. 101. dicant in oppoſitum quicquid velint Bernardinus Paternus, Matthæus Curtius, & Oddus de Oddis, quorum teſtimonio vt minime acquieſcam multa faciunt, ſed potiſsimum quia in curatione Catarrhi duo ſemper ante oculos habere debemus, vt videlicet diſtillationis materia abſumatur, &, ne noua gignatur, proſpicere. Vbi autem veſpere parcè ſumitur cibus, fœliciter admodum hæc duo præſtantur. Dum namque natiuus calor noctu circa multum cibum non occupatur, promptius ab eodem calore ipſa diſtillationis materia conſumitur, omniaq; cerebri excrementa deſiccantur. Præterea cum minera vaporum in caput conſcendentium ſint alimenta ipſa, clarum eſt omnibus, melius actum iri cum ijs, qui Catarrho laborant, ſi cœna frugalis erit, & breuis, quàm ſi lauta, & longa. Addatis quod nocte aduentante, propter Solis abſentiam, capitis fluxiones magis promoueri ſolent; In acceſsionibus autem morborum, à cibo, quantum fieri poteſt, eſſe abſtinendum, vulgatiſsimum eſt, & receptiſsimum axioma ex Hipp. lib. 1. Aphor. 11. & 19. Obijciunt, qui contrariam ſententiam amplectuntur, veterum conſuetudinem, quia Romanis mos erat larga, & copioſa cœna vti, mane verò modicum alimenti aſſumere inſtar ientaculi; & ideo apud ipſos ſympoſia, ſeu conuiuia veſperi celebrabantur, & de cœna frequentiſsima fit mentio, vt de prandio ferè nulla. Inſuper Galeni locum pro puero Epileptico, vbi vberiorem laudat cœnam in illo capitis affectu grauiſsimo, qui ſæpe etiam à catarrhali materia gignitur, dicens quod duæ partes cibi offerri debent in cœna; & vna tantum in prandio. Cui loco tamen contrariatur omninò, quod legitur apud Auicennam in curatione Epilepſiæ, vt ſcilicet duæ cibi tertiæ præbeantur in prandio, & vna tantum in cœna, nec textus corruptus eſt, neque interpretis verſio inculpanda, vt putat Paternus. Et demum, quod eadem incommoda ex copioſo prandio, quæ ex larga cœna emergant. De veterum conſuetudine, & Gal. loco videant Hieronymum Mercurialem lib. 1. ſuæ Gymnaſtricæ, necnon etiam Capiuaccium in ſua Praxi cap. de Epilepſia.

Si

Si quiſpiam autem pro Paterno contendat Auicennam idem ſentire, & ſcribere quod Galenus, nempe in Epilepſia copioſam potius cœnam laudare; quàm prandium, dicerem ego eandem rationem de Catarrho non militare, quoniam videlicet Catarrhus noctu potiſſimum inualeſcit, & ideo in illius acceſsione à copioſo cibo omnino abſtinendum, ſed Epilepſia ferè nunquam noctu ingruit, frequentiſsime verò interdiu. Vnde Paulus Aegineta cap. de Epilepſia dicebat: quæ ephialtici noctu, interdiu patiuntur epileptici. Quod poſtremo loco obijcitur, non valet, quia interdiu dum vigilamus, varijs motionibus noſtra corpora agitantur, aperti ſunt pori, atque meatus vniuerſæ cutis, cuius rei occaſione fit, vt ſi copioſi gignantur vapores, etiam diſsipentur, & per inſenſibilem tranſpirationem digerantur, quod in nocte aut nullo modo, aut ægre admodum fit, in qua halituoſa non difflantur excrementa, cum corporis noſtri meatus occluſi ſint, & in quiete illa calor veluti torpeſcat. Hinc deducebat Alexander Petronius de Victu Roman. lib. 5. cap. 13. eum, qui pingueſcere, plenioreque habitu eſſe cupit, veſpere lautius, quàm mane nutriri debere, quia nimirum alimentum totum quaſi retinetur, & in vniuerſum corpus abſumitur, interdiu verò ſi multum prandetur, multum quoque reſoluitur. Quo in loco etiam controuerſiam, vtrum cœnandum vberius, quàm prandendum, pro vniuſcuiuſque in ſeipſo experimento, diſſoluit; vtrouis nimirum modo melius habeat, quia modus ille, qui confert, imitandus, qui verò lædit, apprime cauendus. Nulla ſiquidem cum Hippocrate certitudo maior, quàm corporis ſenſus; Videant obſecro Valleſium in Controu. lib. 6. cap. 7.

De Potu, Somno, Vigilia, & Concubitu in Catarrho. Lect. VIII.

DE Potu in Catarrho obnoxijs quid dicendum? An ſiti quanta maxime ſuſtineri poteſt, pugnandum eſt? ita enim tradit Celſus lib. 4. cap. 2. Profecto ſi parcè edendum, multo parcius bibendum eſſe videtur, quoniam ex humidis, & potulentis vapores facilius ſuccreſcũt. Verun-

Veruntamen ſcitote Celſi ſententiam non vndequaq; veram eſſe, nec à nobis vbique amplectendam. In primis enim de Catarrho frigido, & humido, non item calido, & acri, ſeu amarus ſit, ſeu ſalſus, intelligenda eſt Celſi opinio. Præterea de tempore potius medio, & intermiſſionis, ne videlicet maior in capite cumuletut vaporum multitudo, quæ eſt diſtillationis materia. In acceſſione ſi quidem, niſi impetuoſa admodum ſit, & facile etiam expurgetur, humectandum potius eſt, quàm valenter exiccandum, vbi præſertim ad pectus, & pulmones fluxio præcipitatur. Vnde Hipp. lib. De locis in homine, de pleuritidis curatione loquens, potu, inquit, vtendum, aut aceto mulſo, aut aceto, & aqua, & hæc quamplurima offerre oportet, quò humectatio fiat, eaque facta excreationem faciat. In lib. de Victu acut. ſcribit, quod dum os humectatur, & à pulmone prodeuntia, qualia oportet, ſunt, ſorbitionis copiá augere oportet. Verùm qui potus præſcribendus vini ne, an aquæ? Fortaſſe in hoc diligenter obſeruandum quod idem Celſus nos docuit lib. 1. cap. 4. vbi cibum, & potum inſtituens, quibus caput infirmum eſt, quale omnino eſſe diſtillationi obnoxium nemo negabit; Bibere (ait) huic aſſidue vinum dilutum, leue, quàm aquam magis expedit, vt cum caput grauius eſſe cœperit, ſit quò confugiat, eique ex toto neque vinum, neque aquam ſemper eſſe vtilia: medicamentum enim vtrunque eſt, cum inuicem aſſumitur. In Catarrho tamen calido abſque dubio potus aquæ præferendus, quæ quidem vel ſaccharo tantum, vel etiam ex hordeo confecta ſit; addito, ſi lubet, ſyrupo aut violaceo, aut roſaceo, aut acetoſo ſimplici. Non deſunt nihilominus, qui etiam in calido Catarrho vinum concedunt, ſed oligophoron; & in modica quantitate. Sanè Gal. 5. de Tuen. ſanit. 11. in capite calido, & ſicco vinum comprobat, quod humectet, bilem attemperet, per lotium, atque ſudorem euacuet. Rhaſis verò ex altera parte omnino dãnat vini vſum, quia calefacit, & materiam in caput defert. Quod quidem de Catarrho calido intelligendum eſſe videtur, alioqui tantum abeſt, vt Celſus in diſtillationibus vinum improbet, vt copioſum, & meracum concedat. Dioſcorides ſimiliter ad diſtillationes vinum, & palmeum, & reſinatũ, & quod ex nucibus pineis fit commendat, licet huiuſmodi vina do

lores

lores capitis facere idem auctor affirmet. Hoc de potu vini conſilium in Catarrho non temere inſequendum eſt, quoniam exiſtimo ego etiam in frigido Catarrho, præſertim ab initio, & capite pleno exiſtente, vinum neque ità meracum, neque tàm large propinandum eſſe, quia facile ſurſum in caput euaporat, & in eo contentam diſtillationis materiam adauget; & quemadmodum huiuſmodi vinum ad capitis dolores, ita etiam ad capitis diſtillationes inutile cenſendum. Vnde Dioſcorides per ῥεύματα non capitis diſtillationes, ſed fortaſſe ventris fluxiones intellexit, ad quas valde vtilia ſunt vina illa. Ita enim pro Dioſcoride ſcripſit Ioannes Coſtæus, meus olim Præceptor, & in Bononienſi Schola Theoricæ Doctor eminentiſſimus lib. 3. cap. 2. De potu in morbis. Experimento autem comprobatum eſt, in Catarrho iam tendente ad maturationē, & morbo, vt ita dicam, declinante, vinum non ſolùm tutò, & ſine aliquo detrimento, ſed etiam cum iuuamine exhiberi; & ideo videmus Hipp. & Gal. De victu acut. etiam in peripneumonia, & pleuritide, iam concocta materia, & febrili calore imminuto, vinum ipſum hilariter propinare, quod præſertim ſubdulce ſit, vt pulmonem humectando, tuſſim leniat, & ſputum potenter educat. Vbi vero aqua ſit opus, multis in vſu eſt mulſa, vel aqua cum liquiritia, aut quæ cum floribus, & folijs anthos, & ſaluiæ paratur, aut denique aqua ex china, vel viſco quercino, vel lentiſco, & ſimilibus. Non minoris momenti eſt dubitatio de ſomno, & vigilia, in quibus, vt ſcribit Auicenna, poſita eſt radix curationis Catarrhi; Nam Schola illa Salernitana, vigilare Catarrho maxime auxiliari teſtatur, dum canit.

Ieiunent, vigilent, ſitiant, qui rheumata curant.

Cuius tamen decretum damnat Mercurialis in ſua Praxi, hac impulſus ratione, quod vigiliæ cruditates pariunt, & conſequenter Catarrhum adaugent. Verùm cum Schola nō loquatur de vigilijs immoderatis (nam & ipſa legerat apud Hipp. lib. 2. Aphor. 3. Somnus, & vigilia vtraque ſi modum exceſſerint, malum;) quæ quidem vigiliæ inter cœtera, quæ inferunt, mala, cerebri temperaturam corrumpunt, inconcoctionemq; tum ciborum, tum potionis efficiunt; ſed omnino de temperatis, quæ ſuperuacaneos humores per hali-

tum

tum potius digerunt, atque diſcutiunt, & ita vniuerſum corporis habitum exiccant, propterea puto ego à Mercuriali Salernitanos Medicos iniuria notari, ſi præſertim illorum dictum de Catarrho actu fluente intelligatur, quo tempore raſcatione, aut expectoratione maxima indigemus; nam hæc omnia facile admodum per vigiliam fiunt, nullo prorſus modo dum ſomno indulgemus, in quo excrementa omnia præternaturam ſudore excepto detinentur. Quædam hoc in loco adducuntur Problemata ad ſomnũ attinentia, de quibus, veluti de alijs rebus non naturalibus abunde in Conſilio de Catarrho iam edito actum eſt, & ideo, ne acta agere videamur, ea libenter omittimus. De concubitu tantum, ſeu veneris vſu in Catarrho remanet non ignobilis diſceptatio, de qua tamen etiam eodem in loco breuiter ſum locutus. Hipp. enim 6. Epid. ſect. 5. Morbis (inquit) è pituita confert venus. & 5. Epid. narrat Timocharem veneris vſu à diſtillatione curatum fuiſſe. Ariſt. idem cenſet Prob. 4. Prob. 17. Ratio quoque idem ſuadet. Nam concubitus calefacit, & conſumit frigidos humores, & pituitoſos, auctore Hipp. lib. 1. de Diæta, & Ariſt. in eo Prob. in quo quærit, cur à venere iuuentur melancholici. In oppoſitum tamen eſt Rabby Moyſes 9. ſuorum Aphor. eſt & ratio. Quia Catarrhus eſt morbus cerebri, ſed cerebrum lædit venus ex Galeno 3. Epid. comm. 3. in Adoleſcente in Melibæa. Vnde ex eodem Gal. 2. Epid. in Pythione à Democrito parua vocatur Epilepſia. Quam quidem differentiam è medio tollit ipſe Gal. comm. 5. in 6. Epid. Vbi tradit venerem prodeſſe morbis è pituita, & conſequenter Catarrho, ſed in ijs, qui valida ſunt virtute, non qui debili. Scitote tamen tradi à nobis hæc pro illis, quibus per Chriſtianas, & Catholicas Leges venere vti licet, & connubio ſeu matrimonio iuncti ſunt.

De

De Chirurgia in Catarrho, & primùm de ſanguinis miſsione. Lect. IX.

VBI Victus ratio inſtituta erit, conſiderandum poſtea eſt vtrùm diſtillatio leuis ſit, an verò grauis; ſi enim leuis exiſtat, præter victum, nihil aliud moliendum erit, quoniam ſæpiſſimè leues diſtillationes per ſe abſque multo ſtudio finiuntur. Quod nos fortaſſe etiam docere voluit Gal. 4. Acut. 85. vbi non in omni Catarrho vtendum eſſe veratro ſcribit, quia interdum ſat eſt ſoli capiti proſpicere. Verùm ſi grauis diſtillatio ſit, ad valida, & generoſa (quæ vocant) præſidia deſcendere oportebit; inter quæ in fonte Chirurgico multa enumerantur, præcipua verò ſunt de illorum cenſu ſanguinis miſsio, rubificantia, & cauteria, omiſſis nunc frictionibus, ligaturis dolorificis, clyſteribus, & huiuſmodi, quorum omnium vſus ad euacuandum, & reuellendum mirabilis eſſe ſolet. Quod igitur ad ſanguinis miſſionem ſpectat, primum quod quæritur eſt, an in curatione Catarrhi ſit mittendus ſanguis, vel ne: Ratio dubitandi de hoc genere præſidij oritur prorſus ab illis met principijs, quæ ſupra in curatione cephaleæ à cauſa frigida iam attulimus. Vnde à Græcis ferè prætermiſſa fuit phlebotomia, & Arabibus etiam, niſi vbi ea adſunt, quæ Meſue annotauit capite de Catarrho. Primaria fundamenta, quibus innititur opinio dubitantium vtrùm ſanguis extrahendus ſit, hæc ſunt; quia nimirum diſtillationis materia vniuerſa extra venas eſt, extra vaſa ſtabulatur, & quod à natura ſanguinis plurimum recedit. Viget ſi quidem potiſſimum dubitatio in Catarrho frigido, non item calido. Nam in hoc non ſolùm Arabes, ſed & Græci venam ſecare ſolent. Hinc Galenus 5. Meth. 14. in Catarrho cum pruritu narium, & palati ſanguinem mittit. Multa hic dici poſſent; ſed, vt ego rem paucis perſtringam, ſcitote quod in quolibet Catarrho, dummodo grauis ſit, & vehemens, & corpus non adeo frigidum, & pauco admodum ſanguine prędıtum cernatur, tuto, & cũ vtilitate ſanguis auferri poteſt. Meſue tamen quatuor ponit conditiones memoria omnino

nino

nino tenendas, quæ vbi in Catarrho reperiuntur, aut ſimul totæ, aut ſeparatæ, ſanguinis miſſionem nobis perſuadent; ſuntq; corporis plethora, generatio ab hepate calidiore, & ſãguine ſubtiliſſimo, prolapſus in partem, cuius officio vita carere nequit, & febris coniunctio. Fundamenta autem propoſita facile corruunt, ſi dicatur in Catarrho ſanguinem mitti, non quia peccet ſub ratione cauſæ principalis, & vt ſanguinis extractione coniuncta materia minuatur: vt illud enim falſum eſt, ita hoc fieri nullo modo poteſt, ſed ideo mitti, quia non raro habet rationem cauſæ adiuuantis, quando ſcilicet cum cerebri excremento immiſcetur, & ex eius abundantia in toto, ſurſum in caput vaporum copia conſcendit, quę diſtillationis generationem adauget. Quod etiam euenire poteſt ex nimia ſanguinis efferueſcentia, ſeu calidiori qualitate, propter præſentiam ſalſi, & biliosi humoris, aut propter obſtructiones in febribus. Erit autem mittendus ſanguis non in magna copia, ſed parcè, imò infra mediocritatem, ne vires concidant, in morbo præſertim, qui ſuapte natura longus eſſe ſolet, & multo indiget calore, vt concoquatur. Locus ſit vena, vel communis, vel cephalica, & ſi in toto plenitudo redundet, etiam mediana. Quæritur autem hoc in loco, an vena anguſto, vel lato, & patente foramine aperienda ſit; ſed qui dicunt in frigido Catarrho magno foramine venam eſſe pertundendam, rationi parùm conſentanea mihi loqui videntur, duplici de cauſa, vna quia inde maius ſequitur detrimentum, eò quod per amplum foramen ſpiritus, natiuuſq; calor, qui cum Catarrhi materia pugnant, facilius diſſipantur, altera quia, quod ſcribitur à Galeno, & Medicis omnibus craſſum ſanguinem melius educi è vena lato foramine aperta, non intellexiſſe videntur, quandoquidem de ſanguine melancholico loquuntur; in Catarrho autem peccans materia extra venas eſt, & alijs potius de cauſis, quàm ob euacuationem ſanguis mittitur, & ſi ob vacuationem, ſcitote pituitoſam materiam in vaſis fuſam & liquidam, non craſſam adeſſe, & propterea facile elabi, abſque quo latum in vena foramen fiat. At ſi hæc vera ſunt, quomodo Galen. 5. Meth. in Matrona illa Romana, quæ ſputum ſanguinis, vt omnes ferè volunt, ex acri Catarrho patiebatur,

parcit venæ ſectioni? Iam ſuppono vobis eſſe notiſſimum in huius remedij celebratione non ſat eſſe, ſi indicantia adſint, ſed oportere etiam, vt prohibentia abſint, & ideò licet morbus ſanguinis euacuationem expoſtulet, vti eſt Catarrhus ipſe, cum præſertim magnus eſt, atque calidus, nihilominus dum vires languidæ ſunt, & contraindicant, abſtinendum penitus ab omni ſanguinis miſsione, quia indicatio, quæ ſumitur à viribus, ſemper alijs præferri debet. Vires namq;, vbi valentes ſunt, omnia contemnunt, ac tolerant, vbi verò infirmæ, à quouis offenduntur Gal. auctore lib. 10. Meth. Quod quidem non ignorans ipſemet Gal. Matronæ ſanguinem minimè hauſit, quoniam ob inediã vires in ea collapſæ erant: propterea eodem in loco idem auctor cum animaduerteret in ſalſa, ita enim multi cenſent, diſtillatione, ex vna parte neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, ad refrigerationem, ex altera verò parte tutam non eſſe, propter inſignem cacochymiam, ſub qua vitioſus tantum ſanguis redundat, euchymus verò deficit, cuius defectu imbecillæ redditæ vires venæ ſectionem prohibent, volebat vt prius ſuccus ille prauus ad meliorem naturam virtute optimi alimenti redigeretur, & noui ſanguinis regeneratio procuraretur, vt inde vires reficerentur, & poſt hæc ad ſanguinis euacuationem deſcendendum eſſe præcipit. Quæ dicta ſufficiant de ſanguinis miſſione per ſectam venam in Catarrho Reliqua ad hunc fontem attinentia in ſubſequenti Lectione examinabo.

De Sinapiſmis, Phænigmis, & Cauterijs in Catarrho, & an Matronæ illius Romanæ apud Gal. 5. Meth. Catarrhus calidus, an potius frigidus fuerit. Lect. X.

NON minor hæſitatio, non minoris momenti eſt dubitatio, quam ſuſcitant Neoterici hoc eodem in fonte Chirurgico, de vſu ſinapiſmorum (aliter rubificantium) phænigmorum, ſeu veſicantium, & cauteriorum, de quibus omnibus liberè dicam quod ſentio, ea, quæ mihi innata, ne dum conſueta

ſueta eſt, breuitate. Vt igitur à ſinapiſmis, & veſicantibus exordiar, notandum à vobis eſt, de illis tunc ſolùm dubitari, cum fluxio ſeu diſtillatio calida & ſalſa ab intemperie calida capitis emanat. Vbi namq; & generans cauſa, & genita materia vnà ad frigidum vergunt, tunc omnis ambiguitas prorſus ceſſat. Eo ſi quidem in caſu, duplici nomine conuenire videntur, ratione, inquam, alterationis, & ratione reuulſionis. Primo quia cerebri intemperaturam frigidam ad contrarium quoquo pacto immutant, & conſequenter corrigunt, cum eorum medicamentorum calida facultas, non in ſuperficie tantum calorem ſuſcitet, ſed ad intimas etiam partes tranſmittat. Secundo, quia ſi frigida illa materia impetu quodam ad fauces dilabatur, & præfocationis periculum inuehat, eam mirabiliter ſurſum trahendo reuellunt; ſed, vt dicebam, in calido Catarrho viget dubitandi ratio. Nam Paparella lib. 2. de Catarr. cap. 15. & ante eum Alexan. Trall. lib. 7. cap. 15. huiuſmodi medicamenta penitus reprobat. Horum autem potiſſima ratio eſt, quia cerebri caliditatem augendo, in cauſa ſunt, vt fluxio concitetur maior. Calidorum enim, ac tenuium medicamentorum, qualia iam dicta ſunt, appoſitione, & calida intemperies fouetur, & cerebri excrementa magis colliqueſcunt. Hac ratione permotus Trallianus auſus eſt Galenum reprehendere, quod in nobili illa Matrona Romana calida laborante diſtillatione cum phthiſis, atque ſuffocationis periculo, ſinapiſmo ex thapſia, & è ſtercore columbino vſus fuerit. Hoc eodem argumento & Paparella, & alij è recentioribus reijcere conantur talium medicamentotum vſum. Verùm, Domini, vnde creditis Alexandrum rationem illam increpandi ſinapiſmos, & veſicantia in calido Catarrho hauſiſſe? An ex ſuo ingenio? nequaquam, ſed ex Galeno ipſo, quem certè extrema dementia eſt dicere, ignoraſſe in materia calida, remedio calido non eſſe vtendum. Quod verum eſſe luce clarius patet per ea, quæ idem Galen. 6. de Tuen. ſanit. cap. 9. & 13. Meth. cap. 22. & lib. 2. Catat. cap. 2. nobis tradita reliquit. Aperte enim fatetur in iam citat. libris ſapientiſſimus vir medicamentum, quod ex thapſia, & ſinapi paratur in frigido Catarrho

ſe libenter amplecti, ſed in calido, aut à calida capitis intemperie oriundo, vehementer improbare. Videte ergo an ignorabat Galenus vſum ſinapiſmorum calidam fluxionem augere non poſſe. Sed ſtatim inſurget veſtrûm aliquis rationem quærens, quamobrem in curatione illius Matronæ, ſuæ quaſi doctrinæ oblitus, medicamen illud ex thapſia calido capiti adhibuerit. Pro reſponſione ſciendum vobis omnibus eſt talium medicamentorum vſu diſtillationem calidam, & ſalſam in pulmones ruentem, & in eo exulcerationem minantem, manifeſte intercipi, & inhiberi, humoreſq; fluentes ad partes internas foras prolici, atque euocari: vt maius vtiq; compararetur ægro beneficium ex fluxionis impetus cohibitione; quàm ex admoto calido dropace detrimentum, propter calidam capitis intemperiem. Quandoquidem in curandis morbis, in quibus præceps, & imminens periculum impendet, non tantum expendenda ſunt remediorum pericula, quantum iuuamenta, quæ inde expectantur, atque eò magis, quò ſcimus ex Galeno ipſo capite de Oximel. Nullum in tota arte inueniri auxilium poſſe, quod citra aliquam noxam magnopere proſit; Et multa, vt inquit Celſus lib. 3. cap. 18. in præcipiti periculo rectè fieri, aliàs omittenda. Quam ob rem Galenus mente ſua librans, & expendens quanta in anguſtia, quantoq; in diſcrimine reperiretur nobilis illa Romana ex iugi, & contumaci calido Catarrho ad pectus, & pulmones, relicto morbo, nempe intemperie, quæ inducias dabat, ad ſymptoma, quod ad ſe curationem trahebat, & ad vitioſum materiæ motum oppugnandum, & impediendum ſe totum contulit, medicamentum ex thapſia non vti alterans, ſed vti euocans & reuellens adhibendo. Huius exemplum & nos inſequi debemus in conſimili caſu, poſt habita Tralliani, Paparellæ, & aliorum quorundam ſententia. Ex quibus omnibus facilè etiam elicitur reſponſio ad contra ſentientium rationes, & argumenta, & per ſe quoque patet locorum Galeni conciliatio. Quid inſuper ſi dicamus hiſtoriam illius Matronæ Romanæ & à veteribus, & à bona recentiorum parte aduerſus Galeni mentem explicatam fuiſſe? Eam etenim

etenim referunt, quaſi Catarrhi erodentis, cũ tamen Galeni verba oppoſitum habeant ſenſum, dico Catarrhi frigidi, & humidi, itaut curatio à Gal. inſtituta optima fuerit, pugnans contra cauſam, & non contra ſymptoma. Ideo enim cito ſanata eſt, quod non eueniſſet ſi ab eroſione vulnus traxiſſet originem, cum maxime dicat eroſionem eſſe inſanabilem. Præterea poſt agglutinatum vulnus ad caput thapſia vtitur, ergo contra cauſam ſiccando, & calefaciendo pugnat, & ſi aliquis diceret, cum præcauet Catarrhum acrem, & erodentem, adhibet capiti thapſiam, reſpondeatis poſſe eſſe ſine calida capitis intemperie, imò potius cum humida, ſed reliquum corpus ſcatere vitioſis humoribus, qui caput petunt, quod ſi eſſet ex capitis intemperie, hoc non fieret. Hanc nouam Gal. loci tam celebris interpretationem primus omnium excogitaſſe videtur Leonardus Iachinus Comm. ad 9. Rhaſis cap. 36. Quam poſtea non parum corroborauit, & illuſtrauit ſimul Alexander Maſſaria in ſua Praxi cap. 6. lib. 2. Niſi quiſpiam contendat Leonicenum, & Iacobum de Partibus idem multo ante ſenſiſſe, qui omnes fortaſſe ex Auicenna rem hanc totam collegerunt, vt videre eſt 10. 3. tract. 3. cap. 6. Remanet nobis ſolùm explicare locum capitis, cui talia medicamenta adhiberi ſolent à Medicis, & materias, e quibus conficiuntur, ſeu eorum formulas in medium proferre. Quantum igitur ad locum attinet, bona Medicorum pars ſolet ea bregmati, ſeu ſincipiti raſo ſupra coronalem vocatam commiſſuram admouere, à nonnullis tamen etiam occipiti, & ad capitis cornua prope ſuturam lambdoidem applicantur. Quoad formulas, multifariam exarari à nobis poſſunt. In forma itaque ſolida ad inſtar cerati; ita præſcribatis. Recipe ceræ vnc. viij. terebinthinæ 9. 5. miſce ad ignem donec vnà conſiſtentiam adquirant, & circa finem addatis pulueris radicis thapſiæ vnc. iij. Huiuſmodi ceratum ſuper alutam extendi mandatur ad formam mediæ cucufæ, & raſo ſincipiti admouetur. In forma autem vnguenti, quod citius etiam operatur, erit, ſi vnà cum oleo vnc. v. ceræ liquentur, quoad conſiſtant, deinde pulueris ex thapſia vnciæ duæ miſceantur. Quo quidem vtendum eſt, donec in cute veſiculæ extuberent, quibus apparentibus, illicò ab iterata vnctione ceſſandum, ne adauctus dolor ſanguinem attrahat, &

inflammationem pariat. Alij caput in iam nominata parte abradunt, deinde vel panno aſpero, vel ſcylla fricant, poſtea emplaſtrũ de ſinapi apponunt, vel etiam fermentum cum cantharidibus, & aceto forti, & per decem, aut duodecim horas ſuper locum dimittunt. Quod ſi veſicantis, cuius frequens eſſe ſolet vſus, exactam formulam optetis, hũc in modũ preſcribatis. Recipe canthar. pp. drac. vj. ſinapi drac. ij. fermenti acris vnc. 5. caricarum ping. num. v. ſem. ameos drac. 1. cum aceto ſcyllino fiat paſta. Sunt demum, qui magis probant hoc ipſum emplaſtrum, quod recipit nigellæ torrefactæ vnc. 1. ſinapi torrefacti, thuris an. drac. v. maſtichis drac. iij. ſtercoris columbini, farinæ hordei an. vnc. j. oximellis ſcyllitici. ℥. 5. fiat emplaſtrum. Et hæc quidem de ſinapiſmis, & veſicantibus. Ad cauteria me confero; in quibus maior inter Medicos diſcrepantia eſt de loco, nimirum vtra capitis pars inurenda ſit, anticane, an poſtica; ſinciput, an occiput. Nam qui cauteriorum vſum omninò reprobant in morbis præſertim à fluxione pendentibus, ſenſum ipſum negant; & licet antiqui illi Medici cauterijs, vt hodie, non vterentur, artes enim omnes naſcentes rudes ſunt, ſed harum in proceſſu ſubtilitas creuit, vt ait Seneca, nihilominus eorum vſum nobis præmonſtraſſe videntur, vt vberius alibi demonſtraui. Quinimo cum dixit Hipp. in fine libri de humoribus, & 6. Epid. Quicunq; alij abſceſſus, velut fiſtulæ, aliorum medela ſunt. Quæ vbi inſuper comparent ſedare ſolent, ea prius oborientia impedimenta ab his liberant; an ibi rude quoddam cauteriorum principium non præmonſtrat, aut ſaltem eorum inuentum non commendat? Apud Herodotum lib. 4. qui Melpomene inſcribitur, an non legitur quoſdam Lybiæ populos quadrimis pueris, vt eos ab epileptico ſymptomate præſeruarent, lana ſuccida verticem inurere conſueuiſſe? Vtvt ſit de veterum Medicorum in vſu cauteriorũ ſententia, iam firma & conſtans eſt omnium Medicorum opinio experimento comprobata, in morbis à fluxione pendentibus, mirabilem facultatem habere cauteria, ſeu fluxionem ipſam intercipere, ſeu reuellere, ſeu deriuare ſeu etiam denique euacuare velitis. Vnde & copiæ Catarrhi, & vitioſo eiuſdem motui facile occurrunt. Dubitatio illa tantum magni facienda eſt à nobis, quæ circa locum, cui infigi cauterium debet,

bet,à quibuſdam non citra rationem mouetur. Laudant enim alij magis in ſincipite, alij verò magis in occipite, & ſinguli ſuas habent rationes, & auctoritates, quas omnes hùc afferre, longum nimis eſſet,& vobis etiam perquam moleſtum. Quamobrem paucis difficultatem omnem,ni fallor,ſoluere poſſumus,ſi dicamus,tàm in ſincipite,quàm in occipite tutò, & cum iuuamine à Medicis fieri, pro varia nimirum curantis intentione. Nam dum Catarrho ad pectus,& pulmones decurrēti,cum phthiſis,aut ſubitæ præfocationis periculo,obuiam eundum eſt,& propterea ſubita quoque reuulſione indigemus, tunc ſinciput magis inurendum eſſe videtur, cum ex ea parte citius, & commodius ipſamet reuulſio habeatur, quia videlicet è recta regione ſupra ponitur membris illis, in quæ fluxio præcipitatur, & quamuis prima facie impoſſibile videatur, materiam diſtillationis per locum illum educi, aut euacuari poſſe,propter illius ſublimitatem, & grauioris materiæ renitentiam, nihilo tamen ex altera parte duo ſunt animaduertenda, quæ locum illum in iam dicta occaſione inurendum eſſe nobis perſuadent. Vnum eſt diuerſitas materiæ, nam quod aſſumitur materiam grauem non aſcendere,de frigida tantum materia intelligi debet,non item de calida,quæ ſuapte natura potius aſcendit,quàm deſcendit, necnon etiam facilè in vapores abit; alterum eſt facultatis expultricis proprium munus. Hæc ſiquidem ad partem vſtam,ac rarefactam, & conſequenter imbecillem, materiam quantumuis renitentem propellit. Imò non deſunt qui tale cauterium etiam ad præſeruandum commendant, ne dum curationis tempore, in pulmones Catarrho dilabente, cum præſertim in ſincipite rariſſimæ ſint futuræ, craniumq; ipſum tum tenuiſſimum, tum maximè fiſtuloſum exiſtat, vt iccirco cerebri excrementa quæque per huiuſmodi locum citius, & melius expurgari poſſint,quàm per occiput. Nec timent ea mala, quæ ex inuſto ſincipite alijs impendere videntur, dummodo à perito Chirurgiæ miniſtro pars illa tractetur.Dum verò Catarrhus non actu,non impetu quodam ad prædictas partes defluit,eligendus potius eſt,mea ſententia,occipitij locus,magis decliuis,& conſequenter expurgando ipſi cerebro magis aptus,ac opportunus;ne dicam quod huius loci inuſtio abſque vllo prorſus timore celebrari po-

teſt, & à patientibus ipſis minori cum moleſtia toleratur. Sed cum alij cauterium proprie ſumptum magis commendent, vbi præſertim ab interiori capite euacuatio molienda eſt, alij verò ſetaceum vulgo appellatum, ſeu ab internis, ſeu ab externis capitis locis deſideretur expurgatio, quid hac in diſſertatiuncula determinandum ſit, nunc paucis, more noſtro, explicemus. Domini, vbi fluxio ſubitò ſiſtenda eſt, & per reuulſionem euacuanda, quod tunc euenit, quando impetuoſe admodum ad pulmones dilabitur, admotum ſuturæ coronali cauterium de nonnullorum ſententia magis conducere videtur, quàm occipitio, ſiue cauterium ſit, ſiue ſetaceum, licet vtrumque ruentem ad pectus materiam, ſi non reuellat, ſaltem manifeſte intercipiat. Sed ſi hæc neceſſitas longè abſit, & caſus (vt aiunt) inducias det, ita vt de præſeruatione potius, quàm curatione ſoliciti ſimus, probatur mihi magis cauterium in ceruice duplicatum, quod ſetaceum modò vocabamus, quàm cauterium ſimplex, & proprie dictum. Nec valet, quantum ego puto, nonnullorum Medicorum, & præſertim Ioannis Zecchij alioqui doctiſſimi, & non ita pridem magni nominis in Vrbe Medici obiectio, in initio ſuarum Conſult. med. Conſult. 3. Quod ſcilicet cauterium ab internis, ſeto autem ab externis tantum humorem extrahat, vt propterea eo in loco magis proficuum ſit cauterium; quoniam etſi à primis diebus hoc verum eſſe potes, tractu tamẽ temporis pars illa adeo imbecillis euadit, vt ex internis quoque partibus copioſa ad eam demandetur materia; ne dicam quod cauteria ibidem peracta, vix aperta, nedum profunda ſeruantur, cum celerrimè carne repleantur. Quare non citra rationem à multis ſeto cauterio præfertur. Quibus tandem fauere videtur Cornelij Celſi auctoritas lib. 3. cap. 23. Vbi ferro candente in occipitio, & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, deducere duobus locis, vt per ea pernicioſus humor euadat, vltimum Epilepſiæ remedium eſſe ſcribit. Huic itaque materiæ de cauterijs in Catarrho finis imponendus, ſi prius tamen illud etiam breuiter annotauero, in diſtillatione, cuius origo ab hepate calidiore pendet, quod non raro contingit, cauterium capitis, & præſertim ſincipitis magnopere improbari, & ideo ab eo penitus abſtinendum eſſe. Alioqui enim per affectum

fectum

fectum locum totum corpus euacuaretur. Vnde infra morbum hæc emiſſaria excitari debent, nempe in hoc ipſo Catarrho ab hepate, in cruribus; in eo autem, qui vitio capitis gignitur, infra occipitium in brachijs; Et hæc de Chirurgico inſtrumento.

De Pharmacia in Catarrho; In qua controuerſiæ duæ de vſu, ac tempore purgantium in hoc affectu paucis diſcutiuntur.

Lect. XI.

IN fonte Pharmaceutico multa forent dicenda, ſed ea tantum attingere conſtitui, quæ magis vtilia, magiſq; neceſſaria mihi videntur. In ſerie itaque medicamentorum numerantur lenientia, præparantia, & euacuãtia, & hæc quidem duplicia, vniuerſalia, & particularia; intercipientia, auertentia, & demum roborantia, tàm admota, quàm aſſumpta. Quæ quidem omnia vel reſpiciunt materiam, quæ iam genita, & accumulata eſt; vel vitium partis nempe cerebri, & capitis, cuius culpa generatur. Proinde ſi materiam reſpiciant quatenus genita eſt, conſiderare oportet, eam dupliciter peccare; copia ſcilicet, & motu, & ratione copiæ conuenire prius euacuantia totum, deinde partem reſpicientia, ratione vitioſi motus, ex vſu tunc eſſe intercipientia, deriuantia, atque reuellentia, quæ tamen facilius per ea, quæ depromuntur à Chirurgico fonte, aſſequimur. Si autem conſideremus vitium membri, cuius gratia gignitur excrementitia illa materia, eo tempore locus eſſe debet alterantibus ipſum caput, & ad contrariam intemperaturam immutantibus. Exordiar autem, vt fieri aſſolet, ab vniuerſaliter euacuantibus, eò quod analyticum præceptum eſt tàm in facienda, quàm etiam in docenda medicina diligenter obſeruandum, præmittenda eſſe generalia remedia particularibus, cum ſcilicet hæc ex illis, vt concluſiones ex principijs dependeant; initio ducto à materia calida, in qua prius leniẽda erit aluus hũc in modum: Recipe elect. lenitiui drac. vj. pulpæ tamar. mannæ optimæ an. drac. iij. miſce & fiat bolus; ſed ſi in potione exhibendum ſit medicamentum, ità pręſcribatis. Recipe ſyrupi roſ. ſol. ſyrupi violati ſol. an. vnc. ij. mannæ

electæ

electæ vnc.j.decoct.pect.q.ſ.miſce fiat potio breuis. Poſtea ad eiuſdem materiæ alterationem deſcedendum eſt, quod vt fœlicius procedat, conſiderandum prius erit, cuius conditionis ſint calidi humores diſtillantes, craſſæ ne, an tenuis ſubſtantiæ. Nam ſi aliqua inſit illis craſſities, præparabuntur hunc in modum. Recipe hordei mundi p.j.foliorum violarum, betonicæ, cichorij, endiuiæ an. m.ſ. fiat decoctio ſ. a. Cuius deinde accipiatis vnc.iiij, & addatis ſyrupi acet.ſimp.ſyr.de betonica, ſyr. roſ. recentis an.vnc.ſ.miſce pro ſyrupo. Si verò diſtillans materia non craſſa ſit, ſed tenuis, atque ſubtilis, paretur decoctum ex portulaca, lactuca, violis, & borragine, additis etiã ſyrupis de iuiubis, de papauere, de hibiſco, & violaceo; nec deſunt qui loco horum ſyruporum, muccaginem ſeminum pſyllij, ac gũmi tragacantæ decocto adijciunt. Quod ſi materia ad pectus, & pulmones dilabatur, addi poterit ſyrupus de farfara, quẽadmodum quoque capillus veneris, & farfara decoctioni opportune admiſcentur. Facta huiuſcemodi præparatione, expurgentur calidi humores medicamentis potius cholagogis, quæ vel in bolis, vel in pilulis, vel in potione propinari à nobis poſſunt. In potione ita præſcribendum. Rec.Rhab.electi drac. 1. agarici de recenti troc. ſcrup. ij. caryophyll. gr. iiij. Decoct. pect. vnc. iiij. fiat infuſio ſ.a. & facta expreſſione, addantur ſyr.roſ.ſol.vnc.v. pro potu. In forma verò pilularum accipiatis, vel pilulas de agarico M. vel cochias, vel aureas, aut conſimiles. In bolis tandem, ſi libentius aſſumere velint medicamentum patientes, non diſcedatis à caſſia cum hiera ſimplici, aut lenit. cum elect.de ſucco roſ. Meſ. de pſyllio, & huius generis ſimilibus.

Notandum autem hoc in loco eſt, quod in vſu purgantium medicamentorum in Catarrho, duæ ſunt controuerſiæ non contemnendæ, imò magni admodum faciendæ in curatione, vna quidem eſt de tempore magis congruo, & opportuno, quo medicamenta à capite euacuantia exhibenda ſunt, cum inter Medicos reperiantur etiam non infimæ notæ, qui non longe à cœna, ſiue ante, ſiue poſt, pilulas præſcribant; altera eſt, an Catarrho ad pectus fluere incipiente, nulla expectata præparatione, purgantibus vtẽdum ſit. In quibus quidem ego paucis me expediam, cum pluribus de illis

in

in Conſilio toties citato pro viribus egerim. Pilulæ itaque ad caput euacuandum paratæ fortiores eſſe ſolent, quàm quæ à primis tantum vijs excrementa deducunt, vti maſtichinæ, & ex aloe, paſſim, & vbique locorum valde celebratæ, propterea cum cibi paulo ante aſſumpti, vel non ità poſt aſſumendi coctionem perturbare poſſint, & ad ventriculum prauos humores à reliquo corpore attrahendi facultatem habeant, huiuſmodi medicamenta ne præbeatis; niſi poſt mediam noctem, vbi parca fuerit cœna, aut ſummo mane; vbi plena, & conſueta, & in ſumma, ventriculi coctione peracta, membroq; illo ab ingeſtis alimentis prorſus exinanito; Pro alterius controuerſiæ ſolutione dicatis, quod ſi diſtillans materia ad pectus, atque pulmones, craſſa admodum, & copioſa exiſtat, & non impetuoſe, neq; confertim moueatur, ſatius eſſe illam ſtatim ab initio non mouere, ac proritare. Quandoquidem à medicamento commota, cum cruda ſit, & conſequenter craſſa, & lenta, nullo modo ab eo educitur, ſed in capite quaſi fluctuans grauiora mala inferre valet. Huius ergo materiæ expectanda eſt aliqua concoctio, qua apparente, tunc purgante medicamento euacuari poterit. Interim verò ea molienda ſunt, quæ in Conſilio notauimus. Verùm ſi humores non craſſi, & lenti, ſed tenues, & ad motum faciles, atque parati ſint, imò præcipiti quodam impetu ad ſpiritales partes decurrere videantur, ex quo ſæuiora impendeant ſymptomata, tunc temporis nulla horum expectata concoctione, nulla præſcripta alteratione, purgante medicamento tutò vti poſſumus; cum preſertim hi humores neſcio quodam modo turgere videãtur. Hoc ſi quidem eſt, quod ex Gal. nos docere voluit Oribaſius in eo capite, quos, & quãdo purgare oportet, dicens: Tenues, & ſeroſos humores à principio vacua, in craſſis verò concoctionem expecta. De quibus hoc in loco ſatis; Ad reliqua deſcendamus. In materia frigida leniatis aluum hunc prorſus in modum. Rec. elect. len. drac. x. ſpecierum hieræ drac. ij. miſce, & cum ſaccharo fiat B. Vel in potione præbeatis mellis roſ. ſolut. vnc. v. cum decoct. pect. Lenita aluo, apparentur frigidi humores ſyrupis ita confectis. Rec. fol. betonicæ, ſaluiæ, maioranæ, ſtoechadis an. m. 5. fiat decoctio ſ. a. cuius decoct. Recipe vnc. iiij. & adde ſyrupi de betonica, mell. roſ. ſimpl. oximel. 5. an. vnc.

an vnc. 5. miſce pro ſyrupo. Præparati quamprimum educantur è corpore, medicamẽto præſcripto ex agarico trochiſcato ad doſim ſcrup.iiij in aqua potiſſimum betonicæ infuſo,& expreſſo, vnà cum mell. roſ. ſol. vnc. v. Si pilulas potius patiens amet, exhibeantur cochiæ ſimul cum pilulis de agarico M. vel de hiera cũ agarico, aut aggregatiuæ, aut quæ hunc in modum deſcribuntur. Recipe pilul.aggreg.de agar.an. ſyrup.ij. 5. troch. alhand. g.iiij. cum melle roſ. ſol. formentur pilulæ v. Et quoniam in Catarrhis frigidis vix vnica purgatio ſufficiens eſt, ideo antequam ad magis particularia remedia deſcendatis, eandem repetere oportet, & aliquando fortioribus etiam cùm præparantibus, tùm euacuantibus vti cogimur. Quamobrem vbi ad hoc deueniendum ſit, alterantia in hanc formam exhibeantur. Recipe fol. hyſſopi; origani, calamenthi, betonicæ an.m. 5. fiat decoctio. 5.a. Deinde ipſius decoct. recipe vnc.iiij. ſyr. de ſtæchade, de betonica comp. & oximel. comp. an. vnc. 5. miſce pro ſyrupo. Quibus quidem alterantibus in ea pituitoſa materia vti debemus, quæ craſſa, & lẽta exiſtit; nam ſi tenuis, & aquoſa ſit, tunc calida ſicca, incraſſantia, nec ita diluta ex vſu magis eſſe videntur. Vnde multis probatur mel roſaceum ſimplex, cum ſyrupo de myrto, modico addito decocto thuris, & ſandarachæ Arabum, cum macere, & caryophyllis aromatizato. Pro purgãtibus autem non diſcedatis à iam propoſitis, adiecto aliquando, vel elect. indo maiori, vel diaphænicone. Non diſcedatis pariter à pilulis aſſaieret, de ſarcocolla, de hiera cum agarico, de hiera Pachij, & vbi fortiori medicamento opus eſt, in rebelli ſcilicet, ac diuturno Catarrho, non deſunt Medici diu in arte verſati, qui puluerem catapu-tiæ, cum tantillo cinnamomi, ad ſcrup. 1. & 5. aut etiam ſcrup. ij. in validioribus, vel ex ouo ſorbili, vel ex iure aliquo propinãt, à quo facile, & citra moleſtiam pituitoſos humores expurgari aſſeuerant. Atqui Dioſcor. tradit grana latyridis ſex, vel ſeptem ſumpta in catapotio, aut cum caricis, aut palmulis deuorata, frigida ſuperpota aqua, aluum purgare, addens ducere pituitam, bilem & aquas. Succus tithymali eundem effectum præſtat non ſolùm apud Dioſcoridẽ, ſed apud Galenum etiam. Pertimeſcerem propterea ego magis quantitatem, quàm qualitatem medicamenti. Sed ſi

non

non de lathyride,ſeu cataputia minore dicta, verùm potius de ricino, vel palma Christi & cataputia maiore nuncupata ſermo fiat, aliter ſtatuendum. Nam Dioſcorides ipſe grana triginta numero putaminibus purgata,trita potu exhibet,& iam dictos vacuare humores affirmat. Semen cnici,ſeu carthami idem efficeret, ac tutius, eius præſertim malitia,qua ſtomacho nocet, correcta vel anyſo, vel macere,vel galanga. Atque eo magis placet, quod thoracẽ quoque & pulmonem,ad quas partes potiſſimum catarrhalis materia defluit, expurgat. Doſis eius apud Meſuem eſt à drach. quatuor ad aureos quinque. Nos in minori doſi pituitam per ventrem,& vomitum purgaſſe, & aquas obſeruauimus. Et hæc ſufficiant de vniuerſaliter purgantibus. Præmiſſa itaque ſemel,& amplius vniuerſali totius corporis expurgatione,tutò, & cum ratione Medici ad particularem capitis tùm euacuationem,tùm corroborationem deſcendunt. Cumque euacuantia duplicia ſint, ſenſibilia, & inſenſibilia; inter ea, quæ capitis excrementa euidenter educunt, omiſſis nunc illis,de quibus in fonte Chirurgico egimus, ſunt errhina vocata, & apophlegmatiſmi, quorum vſu cerebrum mirifice ab excrementorum copia exoneratur. Quanquam re vera in Catarrho magis tuta eſſe videtur particularis euacuatio facta per errhina, quàm per maſticatoria, eò quod periculum eſt, ne materia aut per œſophagum in ventriculum dilabatur, aut etiam per tracheam ad pulmones: Quod maximè vitandum eſt,vt docet Gal. 6. Epid.ſect.2. 32. Vnde per os vacuantia tantummodo laudant nonnulli,quando materia eſt nimis craſſa, vt ſibi viam obſtruat. Errhina autem parari ſolent ex ſucco ireos,betæ, maioranæ, cyclamine, ſemine melanthij,in materia frigida;ex ſucco violarum, aqua hordei,in calida. Apophlegmatiſmi ex pyrethro,pipere, maſtiche,cubebis, & ſimilibus. Vbi tamen diſtillans materia iam ad pectus, vel ad ventriculum dilabitur, maſticatoria, quemadmodum & gargariſmata nullo pacto ſunt adminiſtranda, ſicuti & ea, quæ ſternutationem concitant. In cauſa ſiquidem ſunt, vt facilius diſtillatio ad læſas illas particulas labatur. Imò eo tempore, quo huiuſmodi materia ad prædictas partes impetuosè decurrit, intercipientibus, & ſiſtentibus Catarrhum vti Medici ſolent, inter quæ eſt conſerua roſarum

anti-

antiqua, ſaccharum violatum, diacodion cum bolo Armena, diapapauer, loch de caulibus, loch de papauere, vt denique pilula aliqua de cynogloſſa in parua doſi, quæ de ſententia Meſues in Antidotario, & alibi cap. de tuſſi, item capite de Catarrho, ad incraſſandum, & ſiſtendum Catarrhum ipſum mirabilis eſt, quarum tamen pilularum non vna, & eadem eſt deſcriptio apud Meſuem, & Nicolaum; Fortaſſe in Catarrho ſecuriores deſcriptæ à Nicolao, quia corrigitur opium croco, rhodomelite, & ladano; necnon pilulæ quædam, quæ ore detinentur, paratæ ex roſis ſiccis, ſemine papaueris, camphora, & terra ſigillata. Inter euacuantia ſenſibiliter referri poſſunt ſudores, qui decocto aut ligni indi, aut chinæ, aut ſalſæ parillæ in ſtuphis ſiccis, aut hypocauſtis euocantur. Nam hypocauſtum, inquit Duretus, purgata cacochymia, & depleta plethora, mirificè Catarrhum ſanat. Inſenſibiliter verò euacuant, digeruntq; reliquias Catarrhi, necnõ ſimiliter relictam intemperiem corrigunt, & emendant, conſeruæ vocatæ cephalicæ, ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini, acori, cortices citri conditi, & ſimiles, vt diamoſchum vtrumq;, diambra, pliriſarcoticum, & vtræque magnæ antidoti mediocris ætatis, in cauſa, ſeu in intemperie frigida, ſed in calida, admiſceatis conſeruas roſarum, violarum, nenupharis, confectionem diarrhodon, & diacodion. Extrinſecus autem ad calidam capitis intemperiem corrigendam, & emendandam, inter cœtera Gal. 6. De tuen. ſanit. 9. maxime laudat balneum aquæ dulcis, quod efficaciſſimum eſt. Ita parari à Medicis ſolent lotiones, & embrocationes ex roſis, violis, maluis, capitibus papaueris albi, myrtho, & lactucis, additis tamen quibuſdam etiam moderate calidis pro vehiculo, vt frigidorum medicamentorum facultas melius penetret, & ad laborantem particulam deuehatur. De quorum cenſu iudicantur anethum, chamæmelum, ſemina anyſorum, & conſimilia. Perfuſio autem cùm alijs multis præſtari poteſt, tùm præſertim oleo roſaceo omphacino, oleo nenupharino, & oleo violaceo. Alia quamplura tàm intrinſecus, quàm extrinſecus admouenda nunc ego breuitati conſulens omitto, atque eò magis, quia, vt iam vobis ſæpe ſignificatum eſt; de his, & alijs ad hũc affectum curandum ſpectantibus, iuxta ſcopos iam propoſitos, in Conſilio de

Catar-

Catarrho, duobus ferè ab hinc annis in lucem edito, abunde tra-ctatum eſt, Vt hinc nulli dubium eſſe poſſit, quin vniuerſa hæc materia de Catarrho in vtroque opuſculo ad vnguem enucleata reperiatur. Quod vt melius vnuſquiſq; diiudicare valeat, Conſilium ſubnectitur, à me etiam nunc magis exornatum, locupletatumque. In eo tantum velim rogatum Lectorem, ne in legendo Conſilio ægrè ferat iterum multa legere ex ijs, quæ paulo ante tradita, & relata fuerunt; eadem enim materia diuerſimodè ſcribi vix poteſt. Potuiſſem equidem nonnulla generaliter prolata reſcindere; ſed à Conſilio adimenda non erant, quæ iam typis erant excuſſa, vt nec in publicis Lectionibus ea ſubticere debui, quæ pro integra Catarrhi enarratione omnino neceſſaria videbantur.

CONSILIVM DE CATARRHO CVRANDO,

Tum in Nobili Rauennate, tum in alijs omnibus hoc malo detentis.

ILLVSTRI Viro D. Octauio Raſpono ſextum ſupra ſexageſimum annum agenti, temperaturæ, ſi vniuerſum corporis habitum ſpectemus, calidæ, ſiccæq;, at ſi ventriculum frigidæ; & humidæ, ſi caput humidiſſimæ quidem; ſed an frigidæ, vel calidæ inferius, verno tempore proximè elapſo incipiente podagrici dolores, quibus iamdudum per interualla obnoxius eſſe conſueuit, ſuperuenerunt, qui tamen

men valde citius, quàm ſolerent, euanuere, aut potius retroceſſere; nam paucis interiectis diebus, de anguſtia quadam circa gutturis, & oeſophagi initium, vbi anginæ fiunt, conqueri cæpit, & columella dicta in tumorem eleuata eſt, & elongata, cum ſumma vocis læſione, quæ bronchoſa diu, & rauca perſeuerauit, necnõ conquerebatur de grauedine in anteriore parte capitis ad bregma, & denique febris illum inuaſit non leuis de genere continuarum, veſpertinis horis cum modico pedum frigore, ſed vniuerſali horripilatione quotidie magis inualeſcens. A quibus omnibus parumper ſubleuari tunc ſolùm viſus eſt, cum fluor ſanguinis è podicis venulis, ſatagente natura, erumpere incepit. Intrò enim reuerſa erat materia, & ad ea fortaſſe loca, vnde ſeceſſerat, palindromein Græci dicunt, quæ iterum aliqua ex parte excluſa per viam illam fuit. Vnde relatorum ſymptomatum ſyndrome continuabat quidem, ſed mitior, cui tamẽ mox additum fuit perquam graue ſymptoma ad pectus attinens, nimirum triſtis quædam ſenſatio rei potius grauantis, coarctantiſq; quàm reuera dolorem promouentis ad medium thoracis tàm à dextra, quàm ſiniſtra ſterni parte, & manu dolenti loco etiã grauiter admota, Patiens nullam, aut in intimis, aut in extimis moleſtiam perſentit; Fatetur ſolùm haud ita libere in ſpirando ſe thoracem dilatare; cum præſertim accliuia aſcendit loca, & ſi nulla in eo frequens, aut crebra reſpiratio cernitur, nullaq; fere vnquam tuſſis, & quæ interdum extra ducitur materia viſcida, & craſſa, raſcatione magis, vt inquiunt, quàm tuſſi reijcitur. Inter dormiendum delapſum tenuioris, & aqueæ materiæ ad os, guttur, & ventriculum patitur, quæ incraſſantium medicamentorum vſu inhiberi nunquam potuit, ſolummodo intercipientibus, ac auertentibus prauus, & impetuoſus illius motus aliquantiſper ſedatus. Vomitus à cibo frequentiſſimus tum ingeſtorum ciborum, tum viſcidæ, lenteq; materiæ, quam communiter, ſed improprie pituitam vocamus. Quò ſanè reſpexit Ariſtoteles lib. 1. de Gener. Anim. cap. 18. cum dixit pituitam fieri in ventriculo, pituitæ nomine ſuccum crudum, vel primæ coctionis cruditatem complectens. Aluus ſicca, inobedienſq; & quæ vel arte, vel ſponte exeunt recrementa, ſcybala prorſus & caprarum ſtercori ſimilia. Hæc ipſa omnia, ſed in primis ad pectus diſtilla-

ſtillationem paſſus olim fuit hic Vir præclarus, à qua etiam non niſi poſt menſes expediri potuit, cum tamen natiuus calor vegetior admodum foret. Ad hanc ergo diſtillationem potiſſimum oppugnandam nosmet accingere debemus, cum ab ea cætera mala manifeſtè pendeant, quæ ne autumnali, ac hyberno tempore grauiora euadant, magnopere verendum eſt. Vbi enim cerebrum, quod per Hippocratem in lib. de Gland. pituitæ metropolis eſt, multam in ſe collectam pituitoſi humoris colluuiem, ad alia inferiora, & longinqua membra tranſmittere, ac demandare, ob expultricis facultatis languiditatem nequibit, certè aut in ipſo, aut in locis ab eo non longe diſtantibus grauiſſima orientur ſymptomata. Quod verum eſſe nemo dubitabit, & hoc in Viro luce clarius manifeſtum apparet. Tempore ſiquidem, quo à podagricis doloribus infeſtatur, longe abeſt à capite, & pectore læſio quãtumuis minima, quibus contra ante ſolitum tempus, imò ab ipſis primis diebus præter ſpem omnem ſolutis, inclinata ſcilicet materia ad viſcera, & interna loca, ſtatim prædicta inſurrexere. Vnde vna videtur reſtare ſpes ſalutis, aut liberationis, ſi ad artus fluentes à capite humores trahere valeamus, iuxta Galeni doctrinam 2. De hom. nat. com. 2. Quare ego dum curationi præeram inter cætera, pedibus lotiones calidiuſculas, & alijs infernis partibus frictiones, & vincula dolorifica fieri mandaui, ſed omnia ſigillatim, intimiuſq; expendamus. Quæ namq; hucuſq; attulimus inſeruient tantummodò pro non ignoranda occaſione, è qua primum orta fuere mala quæque noſtri Patientis. Ille ſiquidem, ait Celſus in Proœm. lib. 1. rectè curabit, quem prima origo cauſæ non fefellerit. Didicerat enim hoc ab Hipp. 6. Epid. ſect. 3. Occaſiones vnde ægrotare cœperint, conſiderare oportet, ſiue capitis fuerit dolor, ſiue auris, ſiue lateris. Affectio itaque præternaturam, de qua in præſenti Vir Illuſtris conqueritur, nulla alia eſt, quàm quæ paſſim à Latinis diſtillatio dicitur, à Græcis autem Catarrhus. Neque enim modò curo, an Catarrhus cum Braſſaulo vocabulum commune ſit omni humorum defluxui, quod rectius alij rheumati tribuunt, iuxta illud Gerardi, referente Arculano in 9. Rhaſis.

Dum fluit ad pectus dicatur rheuma Catarrhus
Ad fauces Branchus, ad nares dico Coryzam.

an potius ſpeciale tantùm; quando nempe humor in os, palatum, & pectus deſcendit, veluti ſentire videtur Gal. 3. de Sympt. cauſ. cap. 4. Prog. com. 49. & Paul. lib. 3. cap. 28. & Aetius Serm. 8. cap. 53. Eſt hæc etenim de nomine diſputatio, in qua tempus inutiliter conterendum non eſt. Pro tutela tamen Braſſauli doctiſſimi viri dici mea ſententia poſſet, Catarrhum tripliciter ſumi. Communiſſime, & eſt materiei fluxus ab vno ad aliud membrum, nam Catarrheo verbum ita ſonat. Communiter, & eſt defluxus humoris à capite in totum corpus, aut aliquam corporis partem, ſiue id fiat per amplas, & patentes vias, nempe per nares, & per palatum, ſiue per neruos, venas, & arterias. Propriè demum & peculiariter, & eſt fluxio à capite per palatum in fauces, & pectus, vti iam dictum eſt. Quin imò Celſus lib. 4. cap. de Diſtill. & Graued. ſub nomine Coryzæ comprehendi ab Hipp. ſcribit omnem diſtillationem quòcunq; influat in nares, fauces, pulmonem, quã poſtea Medici cataſtagmon dixere, & ſi nunc Coryzæ nomen in grauedine tantùm ſeruatur apud Græcos, eodem Celſo auctore. His itaque prætermiſſis, dicamus diſtillationem hanc ſymptoma eſſe in genere immodicè excretorum; Vt enim ſe habere ventriculum in leienteria ſcribit Galenus, ita & cerebrum in Catarrho, ſed ſymptoma ſecundarium, eò quod aliud inſequitur, hoc eſt actionẽ læſam, & vitiatam ipſius cerebri, quæ eſt coctrix appellata. Licet enim in Catarrho promouendo externæ cauſæ locum quoque habeant, frequentius tamen gignitur læſa facultate. Quod quidem ſilentio inuoluere nolui, quia de Gal. mente 3. de Sympt. cauſ. c. 1. actiones naturæ vitiantur aut læſa, & vitiata facultate, aut ob aliquam externam cauſam. Cui ſanè facultati noxa potiſſimum contingit à ſimilari morbo, videlicet ab intemperie, quam Patiens à primordijs ſuæ conſtitutionis calidam & humidam contraxit, nũc verò calida ne, an frigida, cum ſit in ambiguo, diſcutiendum eſt, vt recta curandi methodus adinueniatur. Aetas ſenilis, in qua calidum innatum toto in corpore exile admodum reperitur, in cerebroq; maxime ſuapte natura exangui & frigido, ad intemperiem

frigi-

frigidam potius, quàm calidam caput vergere nobis oſtendit. Accedit quod huiuſmodi capita pituitoſam materiam ſubinde aceruantia, etiam ſi calida ab initio ſint, frigida nihilominus tandem euadunt, defatigato calore, & à nimia humiditate ſpiritibus veluti obrutis, quod veriſimile eſt Viro huic contigiſſe, vtpotè ſeni, & iampridem pertinaci rheumati obnoxio. Confirmare videtur rē hanc, quod quæ dilabitur materia, neq; ſalſa, neq; amara, imò neq; dulcis hucuſq; fuit, & ideò etiam nullum, vel pruritum, vel calorem ſiue in gutture, ſiue in naribus hactenus progignuit. Addamus quod in hyeme Pat. externum aerem vix patitur, adeo magnoperè læditur inde caput, in quo propterea ponderoſa etiam pilea deſiderat. Verùm ego, his non obſtantibus, exiſtimo præſens caput etiamnum calidum eſſe, minus tamen quàm in iuuentutis annis. Id enim præter pilorum ſincipitis raritatem, totius capitis hiſpiditatem, ac emunctorum excrementorum craſſitiem, ſomni parcitas, ſenſuum omnium mira promptitudo, & calor, qui in capite ipſo non raro ſenſu tactus percipitur, ſatis ſuperq; demonſtrant. Obiectio autem de inſulſa diſtillatione, & ſaporis experte facilè ſoluitur, ſi ad humidiſſimam intemperiem, qua caliditatis intenſio remittitur, & acrium humorum vis infringitur, mentis aciem dirigamus, veluti & quæ de aere externo frigido fit, quæ tantum abeſt, vt frigidum, vt potius calidum caput eſſe ſignificet. Nam calida capita ſuturas omnes reſeratas habent, & ideò à quauis aeris alteratione non leuiter afficiuntur, frigorisq; non minus, quàm caloris nocumenta ſentiunt. Aditus enim patefactus eſt, nec capiti tantus ineſt calor, qui cum externo frigore dimicando ſuperior euadere poſſit. Quod ſi ita non eſt, cur obſecrò Patiens in æſtate de capite concalefacto queritur, in quo ne pilos quidem ipſos ſufferre valet, denudato illo membro ſemper incedens? Deberet enim contrarium euenire, ſi de parte etiam, quod de toto ſcripſit Hippocrates, intelligendum ſit. Naturarum ſcilicet aliam quidem ad hyemem, aliam ad æſtatem benè, malèue ſe habere, 3. Aph. 2. facta nimirum ex contrariarū qualitatum intemperaturis ſymmetria. Nec eſt etiam quod aliquis obijciat, orta ſuis atteſtari principijs, & effectus cauſis reſpondere, & icircò prædictam di-

ſtillationem, cum nullum caliditatis ſignum præſeferat, frigidam magis capitis intemperiem arguere, quàm calidam. Quandoquidem de Medicorum omnium ſententia non rarò contingit cauſam Catarrhi eſſe calidam, Catarrho ipſo frigido, & è contra. Rurſus dicet veriſſimum hoc eſſe, ſed de cauſis potiſſimum procatarcticis, veluti Borea ſpirante, ac tanquam manu quadam ſpongioſum cerebri corpus comprimente, acres, & calidæ admodum diſtillationes interdum fiunt, & ab aere calidiori inſipidæ, ac frigidæ, catarrhali materia, veluti ad ignem cera, à calore liquata. Quidquid in alijs ſit, hoc in Patiente puto ego etiam capitis intemperiem calidam, quæ eſt cauſa valdè proximior, poſſe frigidam diſtillationem progignere. Tantus enim huic capiti ineſt calor, quantus ad attrahendos ſurſum vapores ſufficiens eſt, ſed præ nimia, qua ſcatet, humiditate cerebrum caloris vim demulcet, vt frigidos magis gignat humores, quàm calidos; & vt quod obijcitur, in calida, & ſicca ſimul intemperatura, non in calida, & impenſe humida locum habeat. Quare mea ſententia adhuc calidum caput eſt, & inter cauſas efficientes huius Catarrhi, quæ à cerebro pendent, calida eius intemperies vna erit, quæ tamen ex euentu Catarrhum ipſum ciet, plus ſcilicet attrahendo, quàm concoquere, & digerere poſſit. Reuera ſiquidem & per ſe, frigida tantum intemperies Catarrhi cauſa exiſtit, quia alimentum ad cerebrum delatum non conficitur, nec per halitum difflatur. Ea propter Galenus hoc ſymptoma inter frigida vitia cõnumerat 2. de Temp. cap. vlt. lib. 1. de Tuen. ſanit. 5. & Aphor. vlt. ſect. 3. cum tamen & à calida intemperie fieri dicat Comm. aphor. 12. ſect. 3. Vnde 6. de Tuen. ſanit. cap. 9. illos redarguit, qui ſemper in omni Catarrho capiti calida applicabant, putantes Catarrhum à frigida ſolùm intemperie produci. Alia non contemnenda efficiens huius Catarrhi interna cauſa eſt, ab inferioribus partibus, à iecinore videlicet multum calido, & potiſſimum à ventriculo frigida, & humida dyſcraſia intemperato, à quo forſitan tota mali emanat origo. Iam pridem enim membrum hoc debilitatum valde in eo eſt, vti frequens nauſea, frequentior vomitus, tarda concoctio, & flatuum copia, qua venter aſſiduè tumultuat, & crebrò dolet,

abundè

abundè teſtantur. Vitiata ſiquidem, ac læſa ventriculi facultate, qua nimirum alimenta ipſa concoquit, crudiores illi ſucci gignuntur, qui per vomitum reiectantur, quorum pars, quæ intus manet ob ſui lentorem, ac multitudinem, alia quidem in craſsiores halitus à debili calore commutata, ſurſum in caput exſpirat, ac cerebrum implet, in quo denſior reddita inſtar pluuiæ, vt nos docuit Ariſtot. 2. De part. anim. 5. & circa finem lib. de Som. & Vig. aut inſtar aquæ, quæ in meta diſtillatoria fit, vt placuit Auicennæ, iterum in ventriculum ipſum circulo facto dilabitur, eiuſq; intemperiem mirum in modum adauget; Alia à calore non elaborata, vnà cum chylo ad hepar, & venas defertur, in quibus per obſtructiones, & prohibitam innati calidi ventilationem laticas præſertim febres accendit: qualem Patientis fuiſſe tranſactis menſibus exiſtimo. Hinc ſimiliter cerebro obiectum improportionatum, ſeu vitioſum alimentum offertur, ex quo pariter catarrhalis materiæ prouentus. Sanè quidem de hoc ventriculo dici poteſt, quod ſcriptum reliquit Hippocrates 6. Epidem. Ventris ſegnities omnium confuſio, vaſorum impuritas, cerebri diminutio. Quam ventris inertiam nempe circa cibos alterandos infirmitatem, meritò eo loci Galen. omnium corporis morborum cauſam eſſe ſtatuit. Dumq; de ſegnitie loquor, dubium mihi oritur de ventris ſtypticitate; quare tam iners ad fæces deturbandas ſit, cum maxima diſtillationis pars in ventriculum præcipitetur. Scribit enim Hippocrates lib. de Affect. diſtillationes in ſtomachum ruentes alui fluxum facere, quod etiam prodidit libello iam adducto de Gland. dicens; Si in ventrem pituita peruenerit, horum ventres fluunt. Hinc Practici ad dignoſcendum, an Catarrhus in ventrem per gulam dilabatur, tria ponunt ſigna, vomitus, inappetentia, alui fluxus. Duo prima hic ſunt quàm manifeſta, minimè poſtremum; ſed contrarium prorſus. Triplici tamen ratione idipſum contingere poſſe putarem. Prima ex frequentia vomitus, qui aluum ſiſtit, cuius euentus cauſam reddens Hippocr. 2. de Diæta text. 22. dicit quia exiccat, qui propterea ſi in quolibet alui fluore ſponte promoueatur, ſanitatis eſt index: Secunda, quia excrementa alui

ab humorum crudorum craſsitie, & viſcoſitate detinentur, & bilis portio ad inteſtina tranſmiſſa, vt expultricem vellicet, omninò retunditur. Tertia, quia ab hepate retorrido, vt ventriculi naturale humidum abſumitur, ſic ventris totius excrementitia humiditas deſiccatur. Hinc ſcybala recrementa, hinc alui inertia. Hæc eadem diſtillatio non modò in ſtomachum, verum & in thoracem deſcendit, veluti perpetua raucedo, triſtis illa in alto ipſius thoracis ſenſatio, & non omnino libera eiuſdem partis in reſpirando actio nobis apertè indicant. Nam ſi in guttur, & aſperam arteriam humor ex capite diſtillet, vt membranam interiorem, quæ hanc contegit, exaſperauerit, raucitas tunc ſequitur, vocaturq; tunc malum Græcè bronchos. Illa enim arteria mollior abſonam, atque abſurdam, ſiccior verò intentam, & clangori perſimilem vocem emittit, & quoniam trachea deſcendens cum pulmone committitur, mirum non eſt, ſi quæ ad eam dilabitur materia in ſpongioſum quoque pulmonis corpus recipitur, & grauitatis, ac rei coarctantis ſenſum quandoque inducit ab vtraque oſſis ſterni parte. In duas enim fibras, inquit Celſus, libro 4. cap. 1. vngulæ Bubulæ modo diuiditur pulmo. Difficultas aliqua in eo eſt, quomodo id ſine tuſſi fiat. Conſtat ſiquidem apud omnes quidquid in aſperam arteriam illabitur, protinus tuſsim excitare. Vbi modicum quiddam pituitæ, inquit Hippocrates 4. de Morb. ad libri extremum, in pulmonem peruenerit, aut in fiſtulam ipſius, multa ac fortis tuſſis oboritur. Imò ſola intemperies nuda, & ſine humore partium ſpiritalium tuſſim promouet, Galeno auctore 6. Epidem. comm. 2. Soluitur reſpondendo materiam, quæ in inſtrumenta ſpirationis defluit, tenuem omnino eſſe, & prorſus aqueam, quam Patiens deſcendere maniſeſtè perſentit; ſola enim ea, quæ raſcatione eijcitur, craſsioris eſt ſubſtantiæ, vtpote à calore aliquo pacto concoquente circa guttur denſatæ, ideoq; per omnem tum faucium, tum aſperæ arteriæ partem, ſenſim & æqualiter inſtar aquæ per parietem diſpergi, vt nullo modo exaſperet, aut inæqualem valdè reddat tracheæ meatum. Tunc enim excitari tuſsis ſolet, cùm materia, vel tota, vel ſecundum ſui partem certo loco ita conſiſtit, vt

ductus,

ductus, & vias partium, quæ ſpirationi inſeruiunt, faciat inæquales. Rurſus quiſpiam dicet, & ſi aliquando poteſt tenuis aliqua diſtillatio in pectus, & pulmones decumbens difficultatem ſpirandi, non excitata tuſſi, afferre inter initia, cum tamen in longum res trahitur, concocta aliquantiſper ea materia, & ad excreationem aptiori reddita, non poſſe fieri, quin tuſſis concitetur. An tenuiſſima materia à valido præcordiorum calore attenuata in halitum difflatur? An per vrinæ vias expurgatur? An fortaſſe compreſsio illa thoracis, & in ſpirando difficultas alia ratione, quàm ob pulmones oritur? Fieri etenim poteſt, vt tenuior diſtillatio feratur, aut per neruos, aut etiam per venas ad muſculos thoracis, qui iam malè affecti in illius dilatatione, cum maiori opus eſt reſpiratione, magis laborent, ac defatigentur. Eo namq; præcipuè tempore de hoc ſymptomate conqueritur Patiens, quo motu concitatiori, aut per accliuia loca iter facit. Quoad prognoſticum, nemo non nouit Catarrhum grauiſsimum malum eſſe, ſecundum ſui eſſentiam, pendereq; ab eo infinitos propemodum morbos, & ideò Galenus lib. 1. cap. 8. de Tuen. ſanit. vi Catarrhi totum corpus languere ſumma cum ratione ſcribit. Cerebrum enim Catarrhi fons, & ſedes cum omnibus ferè corporis particulis per neruos, venas, & arterias conſentit. Hinc ſi duo termini à quo, & ad quem conſiderentur, meritò vehementia etiam dignitatis adiungitur. In cerebro namque, quod eſt terminus à quo, ſi prædictum excrementum forte fortuna detineatur, dubio procul de grauioribus morbis timendum magnopere eſt, dico apoplexia, epilepſia, lethargo, paralyſi, cæcitate, & ſimilibus. Duo enim illi canales, qui per palatum in os totius cerebri excrementa eructant, ſoli expurgando cerebro ſufficiunt, quamdiu omnino rectè valet, Galeno auctore 8. de Vſu part. Terminus verò ad quem & ipſe maximam vehementiam dignitatis indicat, & conſequenter grauiſsimum periculum minatur. Sunt enim fauces, ventriculus, & pulmo. Ideò imminent anginæ, diſpneæ, aſthmata, phthiſes, & alia ſymptomata. Diſtillat, inquit Celſus lib. 4. humor ex capite interdum in

Prognoſt.

nares, quod leue eſt, interdum in fauces, quod peius eſt, interdum etiam in pulmonem, quod peſſimum eſt; Addamus & ad ventriculum diſtillationem, cui præſertim alui ſtypticitas adiuncta eſt, quam Galen. 7. Meth. valdè pernicioſam ſtatuit. Hippocr. 2. Aphor. 40. Raucedines, ait, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. Iuxta quem locum aſſeri poſſe videtur Patientem hunc ſextum ſupra ſexageſimum annum agentem priſtinam ſalutem amplius conſecuturum non eſſe. Ab altera parte ſtat experimentum, quo conſtat illum à multis diebus felicius progredi. Nam vocis raucedo ferè penitus mitigata eſt, & non niſi in magna temporum inæqualitate, & inconſtantia quandoq; apparet, quemadmodum & dolor ille thoracis grauitatis ſenſum inferens, ac reliqua ſymptomata à contumaci olim diſtillatione emanantia. Cenſeo itaque ego haud omninò deſperandum de liberatione Patientis ab huiuſmodi malis, quantum tamen liberari quis poteſt in ea ætate conſtitutus, dummodò inferius præſcribenda victus ratio exactè ſeruetur, & podagrici dolores per id tempus repreſſi, ac deliteſcentes, rurſus proximo autumno de ſui more erumpant. Alioquì enim in anguſto magis ſpes foret. Non diſſimili forſitan ratione dixit Hippocr. 6. Epidem. 2. Lienoſos è capite coryza non laborare. Vbi etenim pars aliqua corporis imbecillis eſt, & inſigniter affecta, excrementa omnia ad illam conuertuntur, & reliquæ partes liberæ, & incolumes manent. Suſcipientibus ergo iterum fluxionem articulis & manuum, & pedum, de liberatione, & ſalute tum capitis, tum pectoris meritò ſperari à nobis poterit, humorum ſcilicet ad imbecilliora loca metaſtaſi facta. Hippocrates autem de valde ſenibus loquitur, in quorum numero hic non eſt, & de Catarrho ab intemperie frigida in habitu proueniente, ſed in nobili Viro adhuc tanta non eſt cerebri frigiditas. Imò ſi à calida potius intemperie & capitis, & iecinoris hæc ipſa diſtillatio primum oritur, fortaſſe minus rebellis in poſterum euadet, veluti in ſeniorum ætate calidos quoſdam affectus ſolui contingit, vti cephaleæ calidæ, eterocraniæ, nephritides, & arthritides, quæ

valde

valde calidam habent affectionem. Morbi enim ſyntrophi, & hi ſunt, qui ex multo tempore in hominum permanent corporibus, in ſenecta deſinunt coctione, ſolutione, & rarefactione, quemadmodum legitur apud Hippocratem *6*. Epidemiarum tex. 23.

Notiſsimi ſunt ſcopi, quos præ oculis habere ſolent Medici in curatione Catarrhi, conſiderata nimirùm fluxionis natura, quæ eſt à parte vna ad aliam expulſio, indicatio prima ſiſtendam eſſe fluxionem ſuadebit. Hippocrates in lib. de Loc. in homine, ita loquitur. Morbos à principio curare oportet, & ſiquidem à fluxionibus fiunt, primum fluxiones ſedare; ſi verò ab alia cauſa, principium morbi ſedare, ac curare; deinde id quod influxit, ſiquidem multum fuerit, educere, ſin modicum per diætam moderari, ac componere. Proinde nos ſolemus mentem ad duos terminos dirigere, vnde ſcilicet fluxio naſcitur, & in quem deſinit. Prior, qui membrum generans & mandans dicitur duas exhibet indicationes, vt quod expellitur excrementum auferamus, & vitium, ex quo excrementa ipſa gignuntur, corrigamus. Recipiens verò pars geminam & ipſa præbet indicationem, vt eam roboremus, ne ſuſcipiat, & id quod fluit aliò trahamus, vel intercipiamus, materia illa, quæ iam influxit, diſſipata. Ad quæ ante veniendum non eſſe, quàm caput in primis vnà cum ventriculo ab excrementorum plenitudine fuerit emundatum, omnibus pro comperto eſt, & quoniam contenta in capite promptius euacuantur per palatum, vel per nares, vel per vtrumque Galeno auctore 3. Art. par. Ab his partibus capitis euacuatio prius molienda non eſt, quàm corpus à repletione humorum liberetur, idque etiam de Platonis mente in Charmide. Ideo totum purgandum eſt ante omnia, & conſequenter materia præparanda, & quoadlicet minuenda, communibus vijs primùm ab excrementorum colluie expiatis. Tria verò ſunt noſtræ Artis inſtrumenta ad hoſce ſcopos explendos, quæ primus omnium excogitauit Eraſiſtratus; Diæta, Pharmacia, & Chirurgia. A poſtremo inchoare nunc mihi fas ſit. Ad hoc itaque ſpectant frictiones, ligaturæ dolorificæ, clyſteres, cucurbitulæ,

bitulæ,ſanguinis miſsio, rubificantia, & cauteria. Frictiones quę fiunt incipiendo à partibus ſupernis, deſcendendo ad infernas magnum afferre ſolent emolumentum. Ita namque humiditates à corpore mirabiliter reuellunt, vt eſt 3.de Diæta tex. 17. veluti, & vincula dolorifica, cucurbitulæ ſiccæ, præcipuè verò clyſteres, qui de Hippocratis & Galeni ſententia côm. 3. de Rat. vict. in acut. vbi de angina curanda ſermo fit, non obſcurè à capite vacuant. Cucurbitulæ ſcarificatæ ſuris potius, & femoribus, quàm homoplatis adhibitæ magnopere laudantur. Auicen. tamen in diſtillatione ad pectus ad vitandum materiæ vitioſum motum, qui eſt ad pectus ipſum, circa occiput ſupra nucham ſycias apponi mandat, vt retractio fiat per modum interceptionis. In ſanguinis miſsione viget controuerſia. Nam Græci in curatione Catarrhi miſsionis ſanguinis vix vnquam meminere, conſiderantes Catarrhum prout extra venas eſt, & à ſanguinis natura plurimum diſtat. Arabes contra in calido Catarrho audacter ſanguinem mittunt. E Practicis non deſunt, qui etiam in frigido Catarrho ſanguinem poſſe mitti contendunt, ſecta communi vena, quæ caput & partes inferiores reſpicit, idque vt humorem ad partem fluentem, reuellant, & ſimul ex cerebro aliquid excrementi euacuent. Si corpus diſtillationi obnoxium exuperantis ſanguinis in toto notas habeat, proculdubio ſecanda vena eſt, non quidem ratione materiæ, vti vocant, coniunctæ, ſed antecedentis, & non quia ſanguis peccet ſub ratione cauſę principalis, ſed aliquando vt cauſa adiuuans, aliquando vt cauſa ſine qua non. Permiſcetur enim interdum ſanguis vnà cum cerebri excremento, quod propterea calidum euadit, & non rarò aliqui Catarrho ex capite afficiuntur, cum tamen corpus eorum ſanguine turgeat, ex cuius abundantia ſurſum in caput conſcendunt vapores, qui diſtillationis generationem adaugent. Videndus hac in re Meſue vbi de Catarrho agit, & ab eo propoſitæ condiciones obſeruandæ, quas tamen à Græcis, & Galeno potiſſimum deprompſiſſe vnuſquiſque in Galeni doctrina verſatus facilè cognoſcet; Verùm quod attinet ad hunc Patientem, cum in eius Catarrho nullum calidæ qualitatis ſignum reperiatur, & ætas iam ſenilis ſit, ventri-

culi

culi cruditatibus, & hypocondriorum flatibus aſſidue laborans, ego certè in eo ad ſanguinis miſſionem minime deuenirem, per ſectam videlicet venam in brachio, niſi diſtillatio validam febrem annexam haberet. Nam licet ſexageſimum annum tranſcendat, vires tamen omnes robuſtas habet. Febris enim duplici nomine noxam à Catarrho illatam auget. Primo, quia ſuo calore materias fundit, agitat, & commouet. Vnde non ſemel in praxi viſi ſunt, qui ex præcipiti fluxione à febrili calore promota quaſi ſuffocati ſunt. Secundo, quia fluentibus humoribus maiorem addit acrimoniam, & illos deteriores omnino reddit. Vt nihilominus iecinoris efferueſcentia attemperetur, ſurſumq; aſcendentium vaporum deorſum fiat retractio, ab hæmorrhoidibus per hirudines moderatam aliquam ſanguinis euacuationem facerem. In qua ſententia eò magis perſiſto, quò verno tempore elapſo, vbi copioſior ab ea parte ſanguis effluxit, melius ſe habere incæpit. Ars enim quantum poteſt naturæ motus conferentes imitari debet, Galeno auctore *6*. Aph. 17. & ante eum Hippocrate cùm alibi, tùm in libro de Arte dicente: Natura ſtimulata, & impulſa, artis peritis, quæ facienda ſunt demonſtrat; ne dicam quod præſens corpus melancholico etiam abundat humore, cuius ferax admodum eſt præſens anni conſtitutio tantopere calida, & ſicca. Nota ſiquidem eſt omnibus eiuſdem Hippocratis ſententia lib. *6*. Aphor. 11. Melancholicis, aut maniacis, ſi hæmorrhoides ſuperuenerint, fit morbi ſolutio. Venæ etenim illæ, ſubiungit Galenus, ſanguinem craſſum humore plenum melancholico euacuare conſueuerunt. Non minor hæſitatio eſt, circa rubificantia, aut veſicantia, an ſcilicet in contumaci diſtillatione à cerebro ad pectus, & pulmones eorum vſus conueniat. Applicantur autem bregmati ſupra coronalem commiſſuram, & difficultas in eo ſolùm eſt, cùm calida capitis intemperies cum calida ſimiliter, & ſalſa diſtillatione adinuenitur. Vbi namque & generans cauſa, & genita materia vnà ad frigidum vergunt, omnis prorſus ceſſat ambiguitas. Qui negatiuam partem tuentur, dicunt horum medicamentorum, quæ calida ſunt, ac tenuia, appoſitione, cerebri

rebri excrementa liquari, & eiuſdem intemperiem calidam magis foueri. Pro quibus acriter pugnare videtur Galenus 6. de Tuen. ſanit. 9. vbi medicamentum, quod ex thapſia, & ſinapi paratur, in fluxione ex calida capitis intemperie vehementer improbat. Vnde, arbitror, ſumpſit occaſionem Alexan. Trallianus lib. 7. cap. 1. increpandi ipſummet Galenum, quoniam in nobili illa Romana lib. Meth. 5. cap. 14. pro inhibenda, vt ab eo, & alijs creditum eſt, acri, rebelliq; diſtillatione, & vt ab vlcere pulmonum eam præcaueret, ſinapiſmo ex thapſia vſus fuerit, ac ſtercore columbino, quibus ignea vis ineſt, affirmans Vir ille in materia calida, remedio calido non eſſe vtendum, quaſi Galenus hanc doctrinam, quam millies in ſuis operibus inculcauit, prorſus ignoraret, ac oblitus eſſet. Qui verò alterius ſunt opinionis ducem in primis habent eundem Galenum loco Methodi allato, quorum ratio nullo pacto negligenda, quoniam dato etiam, quod ibi de calida, & ſalſa diſtillatione ſermo fiat, nemo non videt talium medicamentorum vſu diſtillationem calidam, & ſalſam in pulmones ruentem manifeſtè intercipi, atque inhiberi, humoreſque foras prolici, & euocari, vt maius vtique comparetur ægro beneficium ex fluxionis impetus cohibitione, quàm ex admoto calido dropace detrimentum. Sanè in curandis morbis, in quibus præceps, & imminens periculum impendet, non tantum expendenda ſunt remediorum pericula, quantum vtilitates, quæ expectantur, eòq; magis, quò ſcimus ex Galeno cap. de Oxymelite; Nullum in tota Arte inueniri auxilium poſſe, quod citra aliquam noxam magnopere proſit; & multa, vt inquit Celſus lib. 3. cap. 18. in præcipiti periculo rectè fieri, aliàs omittenda. Eapropter Galenus voluens animo quanta in anguſtia verſaretur Matrona illa Romana, ex præcipiti fluxione in pulmones, relicto morbo, qui inducias dabat, ad ſymptoma, quod ad ſe curationem trahebat, oppugnandum ſe totum contulit, cuius exemplum & nos in conſimili caſu inſequi debemus, poſt habita Alexandri ſententia. Non minimum enim refert in magnis malis, ſi quis morbi impetum trahendo effugiat.

Gale-

Galenus verò de Tuen. ſanit. loco citato intelligit quando adeò præceps periculum non impendet, tunc enim & ipſe huiuſmodi medicamēto neutiquam vteretur, quod vnicuique conſtat. Quamobrem & ego in Patiente propoſitó ad huius generis præſidium deſcendere decreueram, quo quidem duplici modo vti ſoleo, nempe aut in forma ſolida, aut in liquidiori. In prima forma ita paratur: Recipe Ceræ vncias octo, terebinthinæ quantum ſufficit, miſce ad ignem, donec adquirant emplaſtri ſubſtantiam. Circa finem adde pulueris radicis thapſiæ vncias tres. Huiuſmodi ceratum, debita illius quantitate ſuper alutam extenſa, ad formam mediæ cucufæ, ſincipiti raſo apponi mando. In forma vnguenti erit, ſi vnà cum oleo vnciæ quinque ceræ liquentur, quoad conſiſtant, deinde pulueris ex thapſia vnciæ duæ miſceantur. Quo vtendum vſque dum in cute veſiculæ excitentur, quibus apparentibus, ab iterata vnctione ceſſandum, ne dolor concitetur, & ſanguis attrahatur, à quo phlegmon. Alij ex Iberide, lepidioue, & naſturtio cerata conficiunt. Alij verò caput in iam dicta parte abradunt, poſteà vel panno aſpero, vel ſcylla fricant, inde emplaſtrum de ſinapi apponunt, vel fermentum cum cantharidibus, & aceto forti, & per decem, aut duodecim horas ſuper locum dimittunt. Quibus ablatis veſicas aperiunt, & folia caulium ad ignem parumper calefacta cum axungia porcina, vt locus apertus conſeruetur, applicant, affirmantes quinto quoque die veſicationem vſque ad quadraginta dies reiterari oportere. Quidam hoc adhibent emplaſtrum. Recipe nigellæ torrefactæ vnc. vnam, ſinapis torrefacti, thuris ana drach. quinque, maſtichis drach. tres, ſtercoris columbini, farinæ hordei ana vnciam vnam, oxymelitis ſcyllitici quantum ſatis, fiat emplaſtrum pro ſutura coronali. Decreueram, inquam, hoc vti valido, & maxime præſentaneo remedio, verumtamen cum non deeſſent, qui illud increparent, nulla alia ratione, vt mihi relatum fuit, permoti, quàm quod magnum eſſet remedium, & à nemine propoſitum, nedum vſurpatum, adeò ſunt amuſi quidam in exercenda arte verſati, ipſe ne, niſi ſeruaſſem ægrotantem, occidiſſe dicerer, peſſimè namque ſe habebat, ad leuiora deſcendere conſtitui, nempe ad emplaſtrum, quod à nonnullis Catarrhi ſuſpenſorium appel-

latur,

latur, paratum videlicet ex maſtiches, & emplaſtri de betonica ſingulorum vncia cum modica terebinthina, malaxatis omnibus cum oleo maſtichino. In quem vſum alij conficiunt ceratum ex carnium conchilliarum exactè contuſarum vncijs quatuor, thuris vncia media, myrrhæ electæ drach. duabus, addito oleo ipſo maſtichino. quod quidem & cerebrum citra calorem ſiccando roborat, & ſuperuacaneos humores trahendo euocat]. Ad cauteria me confero, in quibus nullam aliam inter Medicos diſcrepantiam verſari obſeruo, quàm de loco, nimirum dum à capite in ſubiectas partes præcipitatur fluxio, ſinciput, an occiput inurendum magis ſit. Nam qui cauteriorum vſum damnant, eò quia Græci, vt ipſi autumant, nullibi de hoc genere præſidij mentionem faciant, magnopere arguendi ſunt, veluti & qui eadem de cauſa in febribus peſtiferis, & malignis phęnigmorum vſum negligunt, atque reijciũt, quaſi Ars medica à prima ipſius origine omnibus numeris abſoluta, & ab omni parte perfecta incæperit, non autem paucarum herbarum ſcientia fuerit, quæ deinceps annorum curriculo, & ingeniorum, quæ ſingula quæq; ætas protulit, cultura, ad eam excreuit amplitudinem, & perfectionem, vt noſtra hac tempeſtate, quæ in ea deſiderentur, ſint propè nulla. Artes enim omnes naſcentes rudes ſunt, ſed harum in proceſſu ſubtilitas creuit, ait Seneca. Ne dicam ſimilia medicamenta à Græcis primum fuiſſe præmonſtrata, poſſe à nobis affirmari. Hipp. enim lib. de Sacro morbo ſcribit vlcera capitis, ſi in pueris fiant, eos ab Epilepſia præcauere. Et in lib. de Affect. tex. 2. in vertigine laudat vſtiones in capite. In tertio etiam de Morb. tex. 3. in ſyderatis ſectionem in capite exercet. Vlcerum autem, ac multò magis inuſtionum ſpecimen cauteria referunt, quemadmodum abſceſſuum quoque infra morbum, quos tantopere commendat idem Hipp. in Epidemijs. Gal. etiam 5. Meth. in peſtilenti quadam conſtitutione fælicius actum cum illis fuiſſe tradit, quorum corpora vlceribus ſcatebãt, eò quod internum virus per vlcera illa erumperet, vt taceam quod ſinapiſmi, rubificantia, & cætera metaſincritica medicamenta, quibus & ipſi vtebantur, cauteriorum & veſicantium vſum ſatis ſuperque confirmant, garriant quidquid velint Neoterici quidam hac in re

nimium

nimium naſuti & ſuperſtitioſi. Maior enim Medicorum pars oppoſitam habet ſententiam. Cauteria itaque, vbi opus eſt, alacriter imperanda ſunt, in morbis præſertim à fluxione pendentibus, tantoq; alacriusq;, quanto à capite diſtillatio manat. Subiacent enim membra vitalia, ac ſpiritalia, à quibus niſi fluens materia auertatur, ſæpè phthiſis, ſæpè ſuffocationis, & mortis periculum affert. Quod aliquando ne huic Viro contingeret, vehementer ſuſpicatus ſum, vtq; pro ingenij mei modulo hanc ruinam ab eo longè arcerem, præter alia, de inurendo etiam capite cogitaui. Solùm mihi in eligendo loco anxium iudicium. Nam ſunt, qui magis laudant in ſincipite, ſunt qui magis in occipite, à quibusq; probabiles vtrinq; adducuntur rationes, & experimenta; ſed tamen omnibus, quãtum potui, examinatis, in eorum tandem ſententiam libenter veni, qui ceruicem inter primam, & ſecundam vertebram adurendam magis eſſe contendunt. Et ſi experimento pro hac roboranda opinione opus eſt, præſens ſanè erit inſtar omnium. Vix enim facto illa in parte cauterio, euidenter ſiſti fluxio viſa eſt, eiuſq; vtilitas in dies magis, magiſq; à Patiente percipitur, vt niſi de futura fluxione timeret, nullo prorſus nunc alio egeret auxilio. Verùm ne à poſteriori vnà cum vulgo hac de re iudicare velle videar, triplici potiſſimum ratione permotus in occipitio emiſſarium, ſeù fonticulum excitari iuſſi. Vna eſt, quia ab hac parte idem emolumentum patientibus accedit, quod à ſincipite. Quandoquidem & à ceruice inuſta cerebri ſuperuacanea humiditas exſiccatur, euocatur, atq; intercipitur. Dicet aliquis dum reuulſione ſubita opus eſt, citius, & commodius hanc è ſincipite haberi, quia ſcilicet è recta regione ſupraponitur membris illis principibus, in quæ fluxio decumbit. Quo dato, & non conceſſo, ſaltem ob grauitatem materiæ, quæ difficile admodum aſcendit, hoc in Viro diſtillatio nullam præſeferebat acrem qualitatem, quæ pulmonum corpus, aut venulas exulcerandi vim poſsideret, nec ea in copia vnquam fluxit, quæ ſuffocationis tam euidens periculum minaretur. Altera eſt, quia licet iuuamen ex inuſto ſincipite celerius eſſe quibuſdam videatur, attamen quod ex occipite expectatur, valde tutius eſt, & cum minori patientis moleſtia, nemine penitus reclamante. Aſclepiadis autem ſen-

ſententia fuit apud Celſum,citò quidem eſſe curandum, ſed tutè, etiam, & iucundè: Securius verò, nec ita moleſtum eſſe cauteriũ ceruicis, patet omnibus, qui capitis anatomen vel ruditer obſeruarunt, & in Hippocr. Galeniq; doctrina verſantur. In ſincipite enim rariſſimæ ſunt ſuturæ, per quas etiam abundè vaporoſa cerebri excrementa tranſpirant, craniumq; ipſum tùm tenuiſſimum, tùm maximè fiſtuloſum exiſtit. Senſu inſuper prædita corpora, inquit Gal. *6*. Epid. com. 1. vbi de mulierum dolore in ſincipite ex vtero diſputat, in ſuturis complura ſunt, nempe pelliculæ quædã, villos noſtri Anatomici nuncupant, quæ panniculum craſſiorem pericranio coniungunt, penetratq; tenuiorum vaſorum copia. Cum autem magnitudine æqualia fuerint pathemata, partes, quæ natura ſenſu magis participant, ſentiunt magis, quæ verò magis ſentiunt, cauſæ dolorificæ his moleſtæ magis. Quare Hipp. in lib. de Vuln. capit. vulnera ſincipitis multò periculoſiora eſſe ſcribit, quàm occipitis, vbi craſſius eſt os, nec ita foraminibus peruium, & ſenſu adeò exquiſito præditum, & ideò ibidem vulnera capitis curaturum commonefacit, vt in perforatione, ac terebratione ſuturas omninò vitet. Sunt è Medicis, qui fatentur vidiſſe, qui ab inuſtione ſupra commiſſuram coronalem in phrenitidem eadem die inciderunt. Hanc pariter putant fuiſſe cauſam, ob quam Meſue cap. de Aegrit. neruorum, in quo de Catarrho agit, quando poſt alia omnia auxilia ad ſincipitis vſtionem deueniendum eſt, vt ſuturas euitaret, eam inurendam eſſe partem mandat, ad quam medij digiti ſummitas immediatè attingit, manus radice ſummis naribus, non autem ſupercilijs admota. Addunt quod ſi Hipp. vt patet ex lib. de Inter. affec. prope finem in cura iſchiadici doloris, omnibus alijs prius tentatis auxilijs, ad inuſtiones tandem confugiens, eam, quæ ignito ferro fit, in oſſibus coxendicum timet; quanto magis in ſincipitis oſſe, & præſertim in ſutura. Hæc enim ſunt verba Hippocr. Vrito pluribus profundis inuſtionibus in parte quidem oſſea per fungos, in carnoſa verò per ferramenta. Quamuis putem ego Hippocratem alia ratione, quàm quod per ferramenta oſſa coxẽdicum adurere extimeſceret, verba illa protuliſſe. Non enim rationi conſonum videtur, oſſa tam valida, vbi exſiccatione

tione per ignem indigent, ignitum ferrum citra noxam ſufferre minime poſſe, niſi compagem ſimul neruorum iuncturæ coxæ intellexerit. Ad partium ſiquidem vrendarum naturam potius reſpexiſſe videtur, dùm in parte carnea vrendum eſſe ferro vult, in oſſea verò, & neruea nequaquam, ſed fungis. Vbi enim vrenda caro eſt, medicamentis magis exſiccantibus opus eſt, quoniam pars carnea mollis, & humida eſt, ſed vbi vrendæ ſunt partes oſſeæ, aut etiam nerueæ, cum ſiccæ partes exiſtant, igne minus exſiccante vti oportet. Poſtrema ratio eſt, quia non ſolùm ad præſentem fluxionem, quæ pariter non admodum impetuoſa apparuit, quo in caſu ſcio Auenzoar, Paulum, & recentiores ferè omnes ſincipitis inuſtionem multo magis commendare, reſpiciendum mihi fuit, verùm quoque ad imminentem, & ad magnam capitis intemperaturam, ob quam continuò ſuperflua in cerebro accumulatur pituitoſi humoris copia, ad quam minuendam, & à ſubiectis partibus auertendam, perpetuo opus fuit emiſſario, quod citra controuerſiam ab omnibus in occipitio inflictum, decliuioris ſitus ratione, approbatur. Nam quæ in brachio ſiniſtro, & crure dextro multis ad hinc annis Patiens aperta defert, excrementis, quæ aſſiduè malè affecta viſcera progignunt, expurgandis minime eſſe idonea, ſymptomata prædicta, à quibus perſæpe affligitur, manifeſtè oſtendunt. Qui plura ad cauteriorum vſum ſpectantia deſiderat, legat inter alios Mercurialem in ſuis Conſilijs Tomo 3. & in Prælect. Piſanis, & Claudinum in Reſpon. Medicin. Interim verò quiſpiam non miretur, ſi hac in materia aliquam inter nos diſcrepantiam inueniet, nec inde calumniandi Artem occaſionem arripiat. Neque enim protinus crimen Artis eſt, ſi quod profeſſoris eſt, ait Celſus lib. 2. c. 5. Quamquam rectius dici poteſt, non committi à Medicis errorem; ſed controuerſos eſſe potiſsimum pro vario cuiuſq; experimēto non aliter forſitan, ac cùm dixit Gal. in de Vict. rat. in acut. com. 1. tex. 42. hiſce verbis. Quare contingit, vt interdum præſtantes Medici de curatione diſſideant? Quod ſcilicet in nonnullis expertum conuenire omnibus putauerunt, ſic ſanè & in victus ratione in morbis acutis fuerunt controuerſi. Alij quidem ægros ad iudicationem vſque ptiſanæ cre-

more ſeruantes, alij ptiſanam ipſam exhibentes, alij autem neutrum horum adminiſtrantes, ex parte autem verum quidem dixerunt omnes, ſed ex parte falſi, circumuentiq; ſunt. Nempe quidam in acutis morbis ptiſana indigent, alij cremore, alij horum neutro ad iudicationem vſque. Hæc ille; Et ego ad Pharmaciam deſcendo, in qua ſunt lenientia, præparantia, & euacuantia, hæcq; duplicia, vniuerſalia, & particularia, necnon roborantia tàm admota, quàm aſſumpta. Leniendo euacuant manna, caſſia, electuarium vocatum lenitiuum, ſyrupus violaceus, & ſyrupus roſaceus ſolutiuus, mel roſaceum ſolutiuum, diaprunum ſimplex, diacaſſia, diaſſena lenitiuum & conſimilia. Ego autem ab electuario lenitiuo cum hiera Gal. non diſcederem, vbi parandum ſit medicamentum in bolis, hoc nimirum modo. Recipe elect. lenit. vnc. j. hieræ picræ drach. ij. m. Si verò potius in forma liquida exhibendum ſit, alijs anteponerem mel roſaceum, aut violaceum cum diapruno ʒ. illud quidem quatuor vnciarum pondere, hoc autem mediæ vnciæ, vnà cum decoctione pectorali Rhaſis. Præparantia vocata fiant magis in iure pulli, quàm aqua, ex betonica, ſtœchade, tuſſilagine, cichorio, endiuia, mentha, & borragine, cuius vncijs quatuor addantur binæ cum dimidia, oxymelitis ſcilicet vna, & ſyrupi de betonica, de iuiubis, ac mellis roſacei ʒ. ſingulorum vncia media. Quo tempore hæmorrhoidales venæ per hirudinum morſum aperiri poterunt. Syrupis autem præaſſumptis medicamentum ſuperbibendum eſt, ex eiuſdem mellis roſacei, aut violacei vncijs quatuor, cum agarico trochiſcato, & rhabarbaro infuſis, & expreſſis, ſingulorum ſcrupulis duobus, aut eius loco aſſumat pilulas de agarico M. & maſtichinas ſimul. Cochiæ etiam, aſſaieret, aggregatiuæ, aureæ, de hiera cum agarico, & huius generis ſimiles commendantur. Confert pariter electuarium indum maius epotum mediæ vnciæ pondere, cum mellis roſacei, & mannæ ſing. vncijs duabus in aquis ſcabioſæ, & betonicæ. Hac peracta purgatione iterum per dies aliquot aſſumat ſingulo quoque mane cochlearia duo præſentis ſyrupi. Recipe ſyrupi de hyſſopo, de myrto, de betonica, ſingulorum vnc. j. oxymelitis ʒ. mell. roſ. col. ſingul. vnc. ʒ. deinde verò ſequentes pilulas deuoret. Recipe pilularum aggregat. de agarico

rico ſing. ſcrup. ij. trochiſc. alhandal. gr. iiij. m. &cum melle roſaceo ſol. f. p. v. Mirabilis etiam eſt vſus pilularum illarum, quarum deſcriptio legitur in noſtra Conſultatione de Aſthmate Cardinalis Bonifacij Caetani huiuſce Prouinciæ de latere Legati. Verùm hoc in loco, priuſquam ad alia tranſeam, tria ſunt enucleanda. Primum quia dubitabit forſitan aliquis de agarico trochiſcato, eò quod Practici nonnulli ſcripſerunt agaricum non trochiſcatum pituitoſos humores aqueos trahere, quales potiſsimum eſſe eos, qui in Patiente è capite labuntur, ſuperius dictum eſt, quemadmodum in trochiſcos coactus cum vino infuſionis zingiberis, craſſos educit. Alterum deinde quoniã quæret alius quonã tempore medicamenta à capite vacuantia propinanda ſunt, cũ inter Medicos reperiantur multi, qui ſtatim à cæna, vel paulò ante ipſam ſoluentia medicamenta in catapotijs exhibent; Poſtremũ, an Catarrho ad pectus fluere incipiente, purgantibus vtendum ſit, quo tempore Medici quidam leuioribus tantummodo procedendum eſſe contendunt. Ad primum quod attinet, dicatur agaricum licet medicina domeſtica ſit, quam propterea Democritus familiæ medicinam vocabat, atque ſi fides habetur Auicennæ, cardiaca, ventriculo tamen infirmo, nauſeabundo, & vomenti, & doloribus obnoxio, tutò, ac ſine periculo non dari, ideoque trochiſcatum magis eſſe amplectendum, vtpote qui, Meſue affirmante, idem agit quod agaricus ipſe, ſed tutius, & minori cum ventriculi noxa, vt ſileam quod craſsi etiam humores pituitoſi hoc in corpore peccant. In ſecundo, hic iſtis, hic verò illis gaudet, vt eſt in prouerbio, pro vario cuiuſque experimento, à cuius varietate dubio procul hæc inter nos differentia ortum ducit. Sed ſi hac in re liberè quod ſentio pronunciare poſſum, medicamenta cum cibo admiſcenda neutiquam ſunt, loquor autem potiſsimum de propoſitis, quæ valida ſunt catartica, non de hypelatis, & eccoproticis, ſeu ſtercoris eductiuis, vt aloe, & rhabarbaro, in exigua præſertim quantitate. Nam ſimilia ſuccos prauos à longinquis partibus non trahunt. In quam ſententiam pluribus rationibus adducor, in primis verò, quia fortia illa medicamenta ad locum, in quo reperiuntur, prauos corporis humores

res attrahunt, hinc ex prauorum ſuccorum miſcella cum cibo, eiuſdem cibi corruptio. Præterea agitatur cibus,& antequam concoquatur à ventriculo truditur. Proritatur enim natura à medicamenti qualitate, & ab humoribus, qui confluxere. Adhæc innatus calor, quò pluribus obeundis actionibus incumbendum ipſi eſt, eò minus quod aggreditur perficit. Itaque cum,ventriculo vacuo,naturalis calor nihil aliud habeat in quod agat, præter medicamentum, concludatur hoc ipſum fælicius purgaturum eſſe, à cibis vacuo, quàm ijſdem pleno ventriculo. Demum,quia minus operatur quod fuſum cibo commiſcetur. A ſuperingeſto enim alimento vis medicamenti exoluitur, de mente Hippocr. 11. de Rat. vict. in acut. vbi etſi ptiſanam ſorbendam præbet ijs, qui medicamentum ſumpſere, nihilominus inde deducendum non eſt; ergo admiſcet. Nam medicamentum illud forte ſatis erat ex helleboro, aut peplo, quod eſt tithymali genus, & cum dicat ibidem Hipp. conſueta potione minorem eſſe exhibendam, & antiqui in acutis circiter vncias tres in vna cibatione offerre ſolerent, iccirco à tam exigua, ac leui potione impediri nullo modo potuit. Paullus Aegineta lib. 7. cap. de cholagogis hanc ipſam opinionem confirmat. Quod ſi Celſus lib. 3. cap. 18. vbi de veratro inſanis quibuſdam exhibendo loquitur, ſcribit in hunc modum: Idque ſi in potione non accepit; pani adijciendum eſt, quo facilius fallat; & Galenus in muliere illa, quæ herpete laborabat, ſero lactis diacridium immiſcebat, ad bilis purgationem, ſciendum eſt ſæpe Medicos præ manibus habere coactas curationes, in quibus parum regulariter operantur, & meliori quo poſſunt modo medelam parant. Quare iudicent alij quàm rectè operentur, qui pilulas non longe à cibo pro capite expurgando propinant, mox ſcilicet dormituris, meliorem ſic fieri purgationem exiſtimantes. Ego certè cum bona Medicorum parte expectandum eſſe cenſeo, donec venter cibo exinanitus ſit, & prima concoctio perfecta.

Roborantia quidem caput ſtatim à cæna tutò, & cum ratione aſſumuntur, vti conſeruæ cephalicæ dictæ; de quibus infra. Nam vnà cum cibi euoporatione in cerebrum efferuntur, citra vllam ventriculi moleſtiam, & concoctionis noxam. Poſtremo loco dubitatur

tatur

tatur à multis, an in diſtillatione inchoante, illicò ab euacuatione auſpicandum ſit, an prius diſponenda & adæquanda materia, quò facilius educi poſſit, & dein vacuandum, iuxta Hippocratis ſententiam 1. Aphor. 22. Concocta medicari, & cruda non mouere, neque in principio, niſi turgeant. Hæc dubitatio varia in ſe capita habet,& ideo nō vno tantùm modo reſponderi debet, ſed per determinatas limitationes,id quod generaliter, ab eo quod ſpeciatim verum eſt, ſeiungere oportet. Quamobrem dicatur ex illa defluente materia, vel præceps quodpiam periculum ex iam relatis impendere, vel nullum. Si quidem nullus immineat repentinæ ruinæ timor, vt blandè operando, Catarrhi ſi quæ eſt ſæuitia demulceri, atq; ab eo contractum vitium corrigi, ac emendari poſsit,tunc paranda omnino prius erit materia,interim tamen reuellentia, ac deriuantia adminiſtrando per clyſteres acriuſculos,vincula dolorifica,validas frictiones, & balnea infimarum partium, tandem ad euacuationem per medicamentum purgans deueniendum, niſi tamen ſanguinem magis mittere opportunum aliquomodo videretur, quæ vacuationis ſpecies tot præparantia non expoſtulat: Verùm cum à diſtillante materia valde præceps periculũ impendet, alia via procedendum & ſecus prorſus agendum eſt.Sed antequam res hæc diffiniatur, vnde obſecrò fit,vt diſtillatio aliquando magis,aliquando minus periculoſa ſit? Reſpondeo tribus maxime de cauſis diſtillationem periculoſam magis euadere.Primaquidem,ob eius multitudinem & in capite, & reliquo corpore,quæ propterea ſtatim poteſt ſtrangulando perimere.Secunda,propter ipſius malignam qualitatem, quòd videlicet acris,& erodens valde exiſtat, vt quamcunq; partem attigerit,hanc ipſam exulceret,veluti nares,columellam,fauces, aſperã arteriam,pulmones,gulam, ventriculum.Tertia,ratione membri, & partis ad quam decumbit, ſicuti ſi ad fauces, & guttur, ibi anginam fieri ſuſpicio ſit,vel ad pulmones,& thoracem, & inde metuenda aut peripneumonia, aut pleuritis,aut phthiſis. Cum his omnibus conſiderandum eſt etiam, num diſtillatio tenuis,vel craſſa ſit, eò quod tenuis diſtillatio ſuapte, ac propria natura velocẽ motum habet,& præcipitem magis,quàm habeat craſſa, quæ non

ita feſtinanter mouetur,ſed omnino lentè, ac pedetentim, proindeq: illam vacuationi aptiorem eſſe,quàm altera ſit. Itaque hæc ipſa dubitatio in hunc modum ſoluatur. Vbi adhuc craſsior eſt materia,& copioſa,quæ etiam non confertim mouetur, non eſt ea de repente à principio mouenda, & exagitanda, quia commota à medicamento difficulter vacuari,ac extraduci poterit,quia cum cruda ſit,& craſſa,ſuo lentore vacuationi reſiſtit. Vnde magnopere timendum, ne eadem materia ad cerebri meatus delata epilepſiam,aut apoplexiam concitet, vel faucibus adhærens hominem ſtranguIet, vel in pulmones defluens aſthma producat. Huiuſmodi ergo materia concoquenda prius erit, neque alijs dimouenda præterquam clyſteri acriori, frictionib uſq; validis, ac frequenter artubus potiſsimum adminiſtratis, vt reuellendo à prædictis partibus nobilioribus auertatur; tàm animi, quàm corporis quietem imperando, vt omnes declinentur occaſiones, quibus illa & moueri, & augeri poſsit, necnon cauentes ab his, quæ caput replendi vim habent, & pituitæ generandæ apta ſunt, ſeruato teuuiori victu, vt illi fomentum ſubtrahatur. Cum verò concocta apparuerit, & ideo ad purgationem facilis, tunc opportunis medicamentis educenda erit. Vbi autem non mediocriter craſſa, ſed tenuis omnino eſt, & præceps in motu, multaq; vel ſi quis, & maligna, malignas enim;id genus diſtillationes, quæ tenues ſunt, & erodunt, vocant Hippocrates,& Galenus 6. Epidem: aut ſi iam inclinet, & propenſa ſit ad aliquam nobilem partem, vbi de grauiori malo magis timeatur, tunc leuioribus remedijs omiſsis, protinus ab initio ad ea ueniendum eſt, quæ ſtatim, ac potenter vacuando reuellunt, neque vlterius concoctionem expectare oportet, veluti nos docuit 5. Meth. Galenus, & hæc ſunt ſanguinis miſsio, ſed præcipuè purgatio. Quò etiam omninò ſpectat eiuſdem Galeni ſententia ab Oribaſio relata in eo capite; quos, & quando purgare oportet. Tenues & ſeroſos humores à principio vacua, in craſsis verò concoctionem expecta. Quam ſententiam ex Comm. Galeni in lib. de humor. quæ à nobis deſiderãtur,decerptam fuiſſe Rabbi Moyſes in ſuis Aphoriſmis teſtatum reliquit. An ergò Hippocrates & Galenus incon-

ſtantes

ſtantes erunt. qui concocta ſolùm medicari præcipiunt, & cruda non moueri, neque in principio cum non turgeant? Dicendum quando reuulſionis gratia euacuationem aggredimur, etiam ab initio nulla expectata humorum concoctione, euacuari à nobis poſſe. Tunc verò reuulſionis gratia euacuamus, quando ex ipſorum humorum ab vna ad aliam partem fluxione morbus concitatur. Reuera namque reuulſio accommodatum eſt fluxionibus remedium, cùm ſcilicet illis obuiam ire cupimus, ne ad aliquam decumbentes particulam magnum eidem malum inferant. Cuiquidem reuulſioni cõgruum tempus inter alia initium prorſus eſt. Vbi enim iam defluxerint humores, deriuatione, aut vacuatione per locum ipſum, vel per vicinum indigent. Adde quod vbi eſt acris, ac tenuis materiæ fluxio à cerebro ad alia membra cùm euidenti vitæ periculo præcipitata, morbus tunc turgentis morbi naturam ſubinduit, & propterea quamprimum, & eadem hora purgare Medicum cogit, iuxta Galeni doctrinam 4. Aphoriſm. Hippocratis autem ſermo de illis humoribus intelligendus eſt, qui defluxere, & in vno conſiſtunt loco. In quem ſenſum idem Hippocrates in libro de Rat. vic. in acut. Comm. 4. tex. 22. dixerat: Quicunque inflammationes in morborum principio conantur medicamento ſoluere, nihil de eo auferunt, quod intentum, inflammatumq; eſt.

Hæc itaque ſunt, quæ in medicamentis in vniuerſum euacuantibus, obſeruatione digna mihi viſa fuerunt, iam tempus poſtulat, vt ad ea deſcendamus, quibus particulatim capitis plenitudo vacuari ſolet, ſuntque caput purgia à quibuſdam appellata, à Græcis errhina, maſticatoriaque, & gargariſmata, quæ communi nomine apophlegmatiſmi dicuntur. Nos autem in Patiente propoſito inter initia gargariſmate ſolùm vſi ſumus, ab faciliorem viſcidæ pituitæ gutturi inhæreſcentis excreationem, & ad robur parti dictæ conciliandum, ne fluentem à capite materiam ita facilè admitteret. Maxima enim anguſtia ſumma laryngis, & gulæ pars oppreſſa cognoſcebatur, ita tamen vt primum vſus fuerit gargariſmate facto ex aquis plantaginis, roſarum, & portulacæ,

addito ſyrupo mirtill. cum granatorum vino , & aliquando ex decoctione roſarum, coriandrorum, & lentium decorticatarum . Sunt qui aqua tantum roſacea vtuntur,cui modicum camphoræ additum ſit. Hæc enim omnia ſiſtendi, refrænandiq; fluorem,& partem roborandi vim habent. In quem vſum pariter pilulæ quædam ſub lingua detinendæ, quæ ideò hypoglotides nominantur, haud omiſſæ fuerunt, in hunc modum paratæ . Recipe ſem. papau.albi,ſem.lactucę,& portulacæ,ſacchari candi, penidiorum,diatragachanthi ſingul. vnc. ſ. opij gr. ij. cum ſyrupo iuiubino fiant trochiſci ad lupini magnitudinem, qui pariter facilius hoc altero modo parantur . Recipe maſtichis drach.ij. pyrethri drach. j. cum muccilagine tragachanthi f. p. in iam dicta forma , quarum vna ore detineatur. Prior tamen compoſitio locum videtur habere potius in cohibenda fluxione acri, & calida . Diacodionis in rotulis ex ſaccharo frequens vſus fuit, licet Galeni tempeſtate in eclegmatis modum conficeretur, de quo idem Gal.7. de Comp. medic.ſec.loc.cap.2.Thus,& myrrha deglutita ſiſtunt Catarrhum frigidum, quemadmodum pilulæ de cynogloſſa deſcriptione Alexandri apud Meſuem,in qualibet fluxione cohibenda mirabiles ſunt. Deinde verò craſsiori ſimul, & viſcidiori reddita materia ab illarum partium calore, & longiore in illis mora, & conſequenter ad excreationem minus apta, alio gargariſmate vſus eſt ex melicrato interdũ,& oxycrato,ſępius verò ex aqua decoctionis hordei cum cortice, liquiritiæ, paſſularũ, & hyſſopi, addito modò ſaccharo,modò oxymelite. Maſticatoria autem non niſi poſt alias omnes euacuationes, & iam ferè à prædictis malis libero conceſſa ſunt,ad hoc tantum,vt, ne iterum copioſa in capite materia cumuletur,impedimento ſint, ſenſim,& aſsiduè cerebri excrementa per os euacuantia, in quorum claſſe fuerunt pyrethrum,maſtiche, ſpica, cubebæ,& ſimilia quæ ſępius commanſa mirè cerebrum expurgant, veluti, & ſequens compoſitum . Recipe melanthij drach. ſ. betonicæ drach. j. ſem. coriandr. ſcrup. iiij. maſtiches drach. iij. ceræ q. ſ. fiat confectio pro maſticatorio. Hoc eodem tempore conuenit ſternutamenta promouentium vſus, ſi quis tamen conuenit in Viro, in

quo

quo præſertim fluxio ad partes thoracicas delabitur. In morbis enim pulmonis, & thoracis ſternutationes valdè malæ ſunt, quia exagitant thoracem, & lacerant pulmonem, quem in quiete eſſe expedit, ſicuti & alias omnes, quæ laborant, particulas. Adde quòd, cùm ſternutatio motus quidam violentus exiſtat, materiam agitando in cauſa eſt, vt eam in partem imbecilliorem promptius defluat. Quibus de cauſis dictum fuit ab Hippocrate in Coac. Prænot. lib. 5. ſect. 2. tex. 46. Grauedines, & ſternutamenta in morbis pulmonis, ſiue antecedant, ſiue ſequantur, prauum. In alijs verò morbis ſternutationes vtiles. Vnde ſi ad hæc deuenire quiſpiam velit, initia morbi vitanda prorſus eſſe non ignoret, dum crudus humor eſt, & morbus; atque niſi poſt coctionem, pulmone amplius non laborante, ſecurum eſſe errhinorum vſum. Tunc enim ideo maxime conueniunt, quia plurimum caput expurgant, & craſsiores, magiſq; impactos humores excutiendo educunt; præſertim ſi ſint fortiora, quæ à toto capite ducunt, quemadmodum debilia ab oculis tantum, & hinc à vicinis naſo partibus, vt elicitur ex Hippocrate in lib. de Loc. in hom. Inter liquida errhina mihi ſolet eſſe familiare paratum ex ſuccis depuratis betæ, braſsicæ ſing. ad vnc. ij. cum aquæ ſampſuci vnc. v. & modico ſaccharo, aut melle. Inſuper ſuccus foliorum enulæ campanæ, in quo mannæ portiuncula diſſoluta fuerit mihi magnopere arridet, veluti & cyclaminis ſuccus, ſed hæc fortiora alijs capitis affectibus grauioribus relinquamus. Tempore autem, quo de anguſtia illa thoracis ab vtraq; oſſis ſterni parte citra ſenſum doloris conquerebatur, ex fluxa videlicet ad ambas pulmonũ alas tenui pituitoſa materia, arteriaca varia incraſſandi, & expectorandi vim habentia prætermiſſa non fuere, vti quę componuntur ex penidijs, ſaccharo cando cum oxymelite, & ſyrupo iuiubino, & ex loch de pulmone vulpis, de pino, diaireos, diatragachâtha cum ſyrupo de ſucco liquiritiæ, & ſimilibus. Pręcipuè autem ſequenti electuario vſus eſt Patiens. Recipe radicum enulę campanæ elixatæ, ac extractæ vnc. iiij. radic. ſcyllæ elix. & ext. vnc. ij. Mellis optimi lib. j. hyſſopi, ireos, liquiritiæ ſingul. drach. iij. cum aqua decoct. dictar. radicum f. electuarium ſecundum artem.

Quin

Quin etiam extrinſecus ad emolliendum thoracem, doloremque demulcendum, haud omiſſa ſunt præſidia in hunc finem excogitata, veluti oleum liliaceum, ſem. lini, amigdalarum dulcium, violaceum, & chamæmelinum; In eadem ſerie fuere butyrum, pinguedines animalium variæ, emplaſtrum de meliloto, & filij Zachariæ. Verum quia excrementorum reliquiæ tàm in capite, quàm in pulmonibus adhuc ſuperſunt, ea propter ad eas omninò diſsipandas, & in halitum diſcutiendas, ad vnum de duobus, autumno proximo mihi deueniendum eſſe duxi, nimirum vel ad ius galli antiqui ad modum Meſues præparati, vel ad chinæ, ſalſæ, viſciquercini, & ſaſſafras decoctum, cum ſimplicibus caput, iecur, & pulmonem reſpicientibus æquale foret, ſi aſſumeretur, Radicis chinæ vnc. j. cum dimidia, ſalſæ pariliæ drach. v. viſci querc. drach. iij. ſaſſafras drach. ij. iuris pullæ lib. v. Bulliant poſt factam infuſionem ad medietatis conſumptionem, addendo circa finem ebullitionis betonicæ, ſtœchadis ſing. manip. medium, ſonchi, cichorij, endiuiæ ſing. p. duos, hyſſopi, ſcabioſa, & capillorum veneris ſing. p. vnum. Deinde colentur pro ſyrupis. Recrementis addantur aquæ lib. vj. quæ rurſus bulliant ad tertias, & in fine addatur modicum radicis liquiritiæ, & ſacchari pro potu in prandio, & cœna. Ita namque ſpero fore, vt cerebri humiditates abſumantur, ventriculus, & pulmo ab excrementis illis frigidis, & pituitoſis abundè expientur. Ante tamen huiuſmodi decoctum probarentur mihi magnopere aquę Ietuccianæ, quas aliàs Patiens, me hortante, ſumpſit, manifeſto cum ventriculi iuuamine. Poſt hæc omnia remanet cęterarum maximè neceſſaria indicatio, quæ eſt exſiccatio, & corroboratio capitis in primis, ſine qua tolli nunquam diſtillatio poterit, imò eadem perſeuerante cauſa, eadem ſuperuenire incommoda neceſſe eſt; quæ etſi aliquando repreſſa videbuntur, rurſus nihilominus erumpent, ac reuiuiſcent. Pro qua quidem perficienda intentione nonnulla & extrinſecus, & intrinſecus adminiſtrari ſolent. Inter aſſumpta commendantur à Medicis conſeruæ vocatæ cephalicæ ex betonica, floribus anthos, ſaluia, & roſarum, myrobalani chebulæ conditæ, magnæ antidoti, theriaca ſcilicet, & mi-

& mithridatium. De quorum numero ſunt diamoſchum dulce, amarum, diambra, pliriſarcoticum, aurea alexandrina, diaolibanũ ſales theriacales, qui ſi non adſint, eorum loco hac vti licet aqua theriacali dicta. Recipe flor. anthos lib. j. theriacæ veteris vnc. j. aquæ ſaluiæ lib. ij. Diſtilla in balneo mariæ, cuius cochlear vnum quotidie mane aſſumi poteſt. Mihi etiam familiaris eſt ſequens cõſerua hora ſomni deuoranda ad pondus drach. ij. Recipe olibani drach. ij. & ſ. raſuræ eboris drach. ij. coriandr. præp. vnc. ſ. conſeruæ roſarum vnc. ij. cum ſyrupo de betonica fiat mixtura, & inauretur. Nemini autem mirum videri debet, ſi ad roborantia etiam calida deſcendo, eò quod ſuperius ſtatutum eſt Patientis noſtri caput calidum eſſe, quandoquidem validè exſiccantibus indigemus, & adhuc validioribus vtendum eſſet, niſi aetas contraindicaret, quæ quidem citra caliditatem vix eſſe poſſunt, ne dicam quod huius capitis caliditas iam in via eſt ad frigiditatem, nimiæ humiditatis, & ſenilis ætatis ratione, quemadmodum ſupra copiosè probauimus. Quibus adde Hippocratis auctoritatem ex 1. de Diæta tex. 30. vbi ſic loquitur. In ſenili ætate adeſt ignis receſſus, aquæ autem acceſſus, ſiccorum ſublatio, humidorum autem ſtatus. Vnde non temerè calefacientia adminiſtrantur, dummodo ſiccent magis, quàm calefaciant. Propterea etiam mihi ſummopere placet inter extrinſeca, puluis exſiccatorius ſuturæ coronali inſpergi ſolitus, ex caryophyllis pondere drachmæ ſ. ſtœchade, betonica, ſampſuco, folijs roſarum rubearum ſing. drach. vna, facta prius ex melle illinitione. Alter puluis ita componitur. Recipe nigellæ Romanæ torrefactæ vnc. ſ. radicum cyperi drach. vnam cum dimidia, flor. ſtœchados, roſarum, an. man. ſ. nucis moſchatæ, caryophyllorum an. ſcrup. iiij. fiat puluis. Arabes laudant ſummopere ſandaracam, quam hodie vernicem vocamus, ideo eiuſdem puluis addi poteſt. Præcipuè vero commendatur ſtillicidium aquarum thermalium, cuiuſmodi ſunt Patauij, quæ vulgo della Laſtra appellantur. Hæ ſiquidem præ alijs caput minima cum caliditate exſiccant, veluti Patauini Medici præſtantiſsimi vnanimiter affirmant.

Atque

Atque eò magis huius generis præſidium laudo, quò idem Patiens refert olim de conſilio Clariſsimorum Medicorum Hieronymi Capiuaccij, & Mercurialis hoc ipſo remedio ſe mirũ in modũ ſubleuatum fuiſſe. Et quamuis, vbi eſt experimentum in medicina, tunc de Celſi ſententia abijciendæ ſunt rationes, vnde etiam ſcripſit Auicenna; Vbi aliud ratio, aliud experientia indicat, vni tùm experientiæ innitendum, nihilominus ad rationes etiam, ſi quæ ſunt, deſcendere mihi ſemper placuit. Circa vſum itaque harum aquarum, non aliter ac de ſinapiſmis, & veſicantibus diſputatũ eſt, non contemnenda quæſtio excitari poteſt, vtrum videlicet in causa calida conueniens ſit thermalium aquarum ſtillicidium. Nam licet diſtillatio noſtri ægrotantis nullam prorſus calidæ qualitatis notam præſeferat, primò quidem, quia nullus vnquam in ea fætor fuit; quando enim fætet Catarrhus, ſolet eſſe calidus, eò quod fætor putredinis ſoboles eſt; Deinde, quia ſemper caruit illis coloribus, qui fluxionis caliditatem arguunt, vt ſunt croceus, ruber, & viridis; quinimò albus tantummodo color in ea obſeruatus eſt, frigiditatis nota perquammanifeſta. Demùm, quoniam huiuſmodi Catarrhus in ſapore, neq; ſalſus, neq; amarus, neque quouis modo acris vnquam fuit, ſed inſipidus omni tempore, frigiditatis argumentum: licet, inquam, præſens diſtillatio calida non ſit, quia tamen ſupra demonſtratum eſt à cauſa calida potius, quàm frigida pendere, nimirùm calida capitis intemperie, idcircò non temerè ad prædictum ſtillicidium deueniendum eſt. Nam omiſſa Tralliani contra Galenum ratione, de qua vberius ſupra, ipſemet Gal. 6. de Tuen. ſanit. 9. acriter eos damnat, qui ſtillicidijs calidarum aquarum vtuntur, vbi caput calidum eſt. Sanè Rhaſis 9. ad Almanſorem in Catarrho à cauſa frigida proueniente, vti vento, vel aere frigido, docet caput cum panno multum calefieri, etiam ſi Catarrhus calidus eſſet, & ſimiliter de eiuſdem Viri ſententia, vbi diſtillatio orta eſſet à Sole, vel à caliditate capiti impreſſa, hæc prius cum frigidis remouenda foret, quamuis illa frigida eſſet. Hinc conſtat quanti referat in Catarrho curando prius eius cauſam reſcindere, qua non remota, impoſsibile videtur Catarrhum ipſum poſſe expugnari.

Pro

Pro hac itaque dirimenda controuerſia neceſſe omnino eſt non ignorare, quæ ab Auicenna 4. primi cap. vlt. referuntur, quando nimirum cauſa Catarrhi, & Catarrhus æquè fortes ſunt, aut cauſa fortior, magis incumbendum cauſæ expugnandæ, tùm quia cauſa; tùm quia vt plurimum, ipſa non ablata, Catarrhus neutiquam debellatur. Quò dubio procul reſpexit Rhaſis, cuius tamen præceptum (quod praxim facientes non negligenter attendant) non ita ſtatim amplectendum à nobis eſt, quoniam tunc ſolùm vtile, vel ſalubre erit, vbi pauca ſit, quæ defluit, materia, & nulla in capite, ac toto corpore inſignis reperiatur plenitudo; Sed ſi cauſa parua, & leuis exiſtat, Catarrhus autem valde fortis, huic protinus euincendo incumbendum erit, cauſa ipſa omnino neglecta. Hinc meritò Galenus, vbi magna ſit capitis caliditas, aquarum calidarum vſum reprobat, cum ad alia ſiccantia, & roborantia, quæ caput non admodum calefaciant, deueniri poſſit. Quamobrem cum ſæpius dictum ſit à me, intemperiem capitis noſtri Patientis eſſe quidem adhuc calidam, ſed non intensè, & Catarrhi copiam à multitudine potiſsimum vaporum ſurſum in caput à ventriculo frigidiori expirantium progigni, concludatur in hoc, & in alijs à conſimili cauſa eodem malo laborantibus, thermalium aquarum ſtillicidium maxima cum ratione adminiſtrari. Non modò enim cerebri humiditatem ſuperuacaneā reſiccat, verùm etiam membro illi robur manifeſtè conciliat, vt non tam promptè aſcendentes halitus admittat, & in aqueam ſubſtantiam conuertat. Imò ſi tēpore, quo iunior erat, & caput calidius habebat, ab huiuſmodi præſidio tantopere ſubleuatus fuit, quid ſperandum hoc tempore, quo capitis caliditas ob ſenilem ætatem remiſſa eſt? Idem met ſtillicidium ventriculi regioni faciendum omnino eſt, ex aquis tamen Aponitanis, aut alijs mineræ non diſsimilis, vt pars illa, quantum fieri poteſt, roboretur; quinimò ſi aliqua de cauſa impeditus ad thermales aquas ſe conferre nequiret, mihi maxime probaretur ſtillicidium arte paratum ex oleo amygdalino dulci, & vino laudano, nuce moſchata, ligno aloes, cinnamomo, maſtiche, abſinthio mentha & roſis medicato, mane, & veſperi, hora vna, & altera ante cibum, vnius ferè horæ ſpacio, ſupra ventriculi fundum, nimirum

paulò

paulò ſupra vmbilicum, quindecim ſaltem diebus continuis faciendum. Pro qua etiam parte magis confirmanda ſequens linimentum confici poteſt. Recipe olei nardini vnc. j. ſ. roſar. rub. caryophyllorum, maſtichis, corall. rubeor. ſingul. ſcrup. j. vini albi odorati, & ceræ q. ſ. fiat vnguentum. Intrinſecus verò pro ventriculo ipſo calefaciendo, ac roborando laudantur zingiber conditũ, myua cytoniorum aromatica, cõſerua abſinthij, vinum abſinthite, confectio in rotulis ex oleo anyſorum, diatrion pipereon, diacyminum, & huius generis multa, quæ breuitatis ergo omittuntur. Pro pulmonum verò, & pectoris corroboratione, ne fluxionẽ à capite tam facile ſuſcipiant, mirum in modum conducet, ſi ſingulis diebus horis aliquot ante prandium terebinthi optimi drachmam vnam cum ſulphuris viui aqua violacea ſępius læuigati ſemiſcrupulo deuorauerit. Roborant ſimiliter pulmonem, eumq; detergunt ſyrupi de liquiritia, de hyſſopo, capil veneris, & myrtinus, ſaccharum, & præ omnibus pulmo vulpis exſiccatus. Extrinſecus autem pro vniuerſo thorace ſequens linimentum celebratur. Recipe olei liliacei, amygdalarum dulcium an. vnc. j. ſ. butyri recent. vnc. j. pinguedinis anſeris vnc. ſ. hyſſopi, ireos, ſingul. drach. j. croci gr. vij. ceræ q. ſ. fiat ceratum molle. Ad hepatis caliditatem excedentem mitigandam, quę à Medicis per os aſſumenda proponuntur omnino relinquerem, graueſcentis ætatis ratione, & extrinſecis ſolummodo contentus forem, ex fotu ſcilicet facto cum ſpongia in aqua roſarum, cichorij, & ſucco abſinthij, ac aceto roſaceo madefacta, non omiſſa inunctione ex vnguento ſantalino, roſaceo, ſucco cichorij, & aceto. Confero me tandem ad Diætam, in qua ſunt ſex res non naturales appellatæ, nimirũ aer, &, vt inquit Auicenna, quidquid aeri adnectitur, cibus, & potus, inanitio, & repletio, ſomnus & vigilia, motus, & quies, & animi accidentia, quibus tamen & venerem addunt, vt facit Galenus Comm. 3. in tert. Epidem. In his omnibus quicunque rectè, ac temperatè ſe gerunt, profectò neque à Catarrho, neq; ab alio quouis magno morbo tentantur. Nunc autem oſtendamus, obſecrò, quemadmodum tùm Patiens propoſitus, tùm alij conſimili morbo obnoxij in vſu prædictarum rerum ſe gerere debeant. Quantum

itaque

itaque ad aerem ſpectat, maxima ſanè eius vis eſt in noſtris alterã-dis corporibus, vtpote quem inſpiratu, & perſpiratu continenter attrahimus, qui etiam ad vitam vſque adeo neceſſarius eſt, vt vix momento eo carere poſsimus, quod Galenus exemplo ſerui Barbari nos manifeſtè docuit, & quoniam docet Hippocrates in 3. Aph. lib. nonnullos quibuſdam in regionibus, vel anni temporibus, benè vel malè habere, propterea quicunq; Catarrho ſubijciuntur, loca humidiora, ſtagnarum præſertim aquarum expirationibus aerẽ conſpurcantia, euitare ſemper debent, excelſa verò, & aprica, vbi purus, & clarus eſt aer, colere, & inhabitare. Huiuſmodi etenim aer eſt, qui pituitoſos humores non gignit. Dicebat enim Hippocrates in lib. de Sac. mor. Aerem, qui inſpiratur, cerebrum primò petere, & in eo vim ſuam relinquere. Hic non prætereundum Ariſtotelis problema ſect. 14. probl. 7. Cur qui loca edita, apertaque colunt, tardius ſeneſcunt, qui autem caua, & paluſtria ocyus? An ſenectus quædam putredo eſt? putret autem quod quieſcit, nullo modo, aut minus ita afficitur, quod mouetur, vt aqua profluens, & con cluſa. Igitur vt locis editis aer vndique efflante ſpiritu agitatur, ita cauis manet immotus. Ad hæc locis apertis purus, ac diuerſus aſsiduè propter agitationem aer habetur, paluſtribus impurus, idemq; ſemper emarceſcit. Cuiuſmodi ergò debeat eligi aer in omnibus, qui ſani, & longius viuere appetunt, nedum in Catarrho obnoxijs, ex præmiſsis facilè intelligitur. Rauennate cœlum, quemadmodum & Romanum, præhumidum eſſe nemo dubitabit, qui vicina loca paludibus, & aquis diffuſa, animalia ex putri materia oriunda, & nebularum multitudinem huic agro, vel Plinio auctore, peculiarem conſiderabit. Frontinus lib. 11. de Aquæductibus ſcribit, Vrbis Romæ aerem apud veteres infamem habitum, & vocatum fuiſſe. Ad quam cauſam reſpexit fortaſſe Tacitus 11. Hiſtoriæ, dùm infames Vaticani locos appellat. Accedit quod ſitus Vrbis Rauennæ humilis eſt, imò duobus fluminibus, quibus vtrinq; eius muri lambuntur, profundior, quamuis multis ab hinc annis de communi omnium conſenſu aer multo ſiccior ſit, & conſequenter ſalubrior, aquis nimirum putreſcentibus magna ex parte abſumptis, & ſiccato ſolo, noſtro tempore præſertim, opera, & conſilio Bonifacij

nifacij

niſacij Caetani S. R. E. Cardinalis Legati, vt parum abſit, quin dici à nobis poſsit, Rauennate cœlum innoxium eſſe, veluti de ſuo tempore teſtatur Strabo, qui Auguſti, & Tiberij temporibus vixit, qui quidem miratur non parum quomodo paluſtribus in locis, vbi Vrbs maxima (ita ille vocat) Rauenna poſita eſt, tota ligneis compacta ædificijs, aquis diffuſa, pontibuſq; ac lembis peragrata, aer ipſe innoxius ſit. Verùm ſalubritatis aeris illorum temporum ratio, & cauſa alia prorſus erat, quàm ſit noſtræ tempeſtatis. Exiſtimo enim ego eam omninò fuiſſe, quam aliqui nunc de ſalubritate cœli Veneti in medium afferunt. Siquidem, vt etiam Cardanus ait, quod eſt humidi natiui minus conſumitur in humidiore cœlo, nec facilè ob ſalſedinem corrumpitur; ſic Auer. in Paraph. de long. & breuit. vitæ ſcribit eos, qui marina loca incolunt diutius viuere, ob caloris, & humidi abundantiam. Quod ſi Plato in lib. de Rep. fugiendum eſſe mare cenſuit, non ſalubritatis ergo, verùm quòd exiſtimauit mare eſſe improbitatis magiſtrum, iuxta etiam Strabonis mentem, à quo proditum legitur, mare attingentes cæteris eſſe deteriores, ſed hæc vt non ſemper, & in omnibus vera relinquamus. Dicunt à Catarrho minus infeſtari, qui loca inhabitant ſimilia colli Tabienſi, nunc vulgò la Torre del Greco, quò olim Galenus phthiſi obnoxios mittebat, cuiuſmodi eſt etiam mons Sancti Iuliani inter Piſas, & Lucam. Quicunque itaque diſtillationibus laborant, ſub humido, & nebuloſo aere minime degant oportet, aut ſi loci mutatio, vt ſæpè contingit, fieri non poſsit, ſaltem exceſſus qualitatis in aere, cęterarum rerum non naturalium contrarietate corrigendus eſt, de Galeni præcepto in Arte parua. Ad aerem venti referuntur, quia, ſi creditur Stoicis, quibus pariter aſſentiūtur Hippocrates in lib. de Flat. & Seneca 5. Natur. quæſt. ventus nihil eſt aliud, quàm aer commotus, ſeu fluxus aeris. Huic autem morbo contrariantur potiſsimum venti auſtrales, & boreales, qui ambo cerebrum alterando Catarrhum promouent, illi quidem calefaciendo, & magis humectando, hi verò nimis refrigerando, &, quemadmodum tradit Hipp. de Sac. morbo, cerebri humidum, veluti nos manu ſpongiam aqua plenam comprimendo. Radij etiam ſolares vitandi ſunt, ſed multò magis

luna-

lunares,eò quod illi ſuo calore liquando, hi nimia humiditate cùm replendo, tùm laxando fluxiones à capite promoueant. Solares verò tunc maxime fugiendi ſunt, quando Sol ipſe commouendi vim maiorem habet, quàm diſcutiendi, & reſoluendi, quod potiſſimum euenire experimur, in menſe Martio, & primis etiam diebus Aprilis, quo tempore Sol de Aſtronomorum ſententia circa medietatem ſigni Piſcium,& Arietis verſatur. Tunc enim primũ terræ humiditates præ frigore congelatas ſoluere aggreditur, quas cum penitus diſijcere nequeat, quia breuis etiamnum eius mora eſt,in craſſos vapores commutat,necnon in pluuias. Vnde vernum tempus inter cætera pluuioſum cernitur. Idem autem in paruo,quod in magno mundo Sol operatur,corporis ſcilicet noſtri humores tempore hyemis accumulatos, ac intra venas, & partes alias capitis latitantes debili calore eliquando,& ad fluxiones magis idoneos efficiendo. Quæret aliquis hoc in loco, an etiam menſibus Septembris, & Octobris illud idem Sol efficiat, in quibus verſatur circa poſtremos quindecim gradus ſigni Virginis,& præſertim dùm in ſigno Libræ reperitur. Quandoquidem & tunc Sol mouere magis ſolet, quàm reſoluere. Dicatur quod ex parte Solis illud ipſum eueniret, quod de menſe Martio ſcriptum eſt, quia videlicet parum potenter calefacit, vt qui à nobis iam diſcedit, verùm ex parte corporum, ac terræ quominus idem contingat, efficitur,propter corporum ſiccitatem,ob æſtus, & ſqualores præteritæ æſtatis, & ipſius terræ empyreuma à calore Solis relictum, dùm per Cancrum,& Leonẽ, ſigna verticali noſtro puncto admodum propinqua, tranſiret. Non tamen negatur, quin & in autumno diſtillationes fiant, ſed aliam habent cauſam, nempe aeris inconſtantiam, modò frigus, modò calorem; quæ res, vt inquit Celſus lib. 1. cap. 2. maximè grauedines, diſtillationeſq; concitat. Similis ferè ratio eſt de radijs Lunæ. Huic magno ſyderi maxima vis ineſt in cerebro afficiendo,& Catarrho in primis promouendo. Noctu ſiquidem nos eius radij feriunt, dùm aer frigidus, & humidus, ac halitibus multis redundans eſt,qui corpora noſtra ab omni parte circundant, eò quia à tepido illius calore,nec ita diſgregantur, nec ita in altum vti à Sole attolluntur; Vitet verò præſer-

F tim

tim Patiens noſter Lunæ radios ab eiuſdem ortu, vſque ad primæ quadraturæ augmentum, & à prima quadratura, vſque ad plenilunium. Cum enim eius diſtillatio à calida ſimul, & humidiſsima capitis intemperie naſcatur, veriſimile ſit tunc temporis non minimum adaugeri, nam Luna vt ab ortu, vſque ad primæ quadraturæ incrementum, humiditatis magis eſt effectrix, ſic à prima quadratura, vſque ad plenilunium maiorem caliditatem ſublunaribus infert. Verùm de vi Lunæ in cerebrum, & humores abundè ego in Libro de Epilepſia, vbi quæro an in Lunam reijcienda ſit illius magni morbi cauſa. Quare hoc in loco de Luna nihil aliud dicere decreui, niſi quod Ptolemæus ſcriptum reliquit in lib. Apoteleſm. cap. de Planet. virt. Luna (inquit vir ille ſapientiſsimus) plus habet virtutis in humectando, quia videlicet terræ propinquiſsima ob humidorum exhalationem, & diſpoſitionem, è veſtigio corpora emollit, & putrefacit, particeps quoque virtutis eſt parùm calefaciendi, propter Solis illuminationem. Auicenna ſubiungit, & quidquid aeri adnectitur; quibus verbis cæleſtes influentias intelligit, quæ per medium aerem corpora immutandi magnam poſsident facultatem. Quod pariter confeſſus ante eum fuit Philoſophorum Princeps cùm alibi, tùm libro Phyſ. 8. dùm in hunc modum loquitur. Neceſſarium eſt multos motus fieri in corpore à continenti, hoc eſt ab aere, & cælo. Clariſsimè tamen omnium Ptolemæus ipſe opere citato hiſce verbis. Quod itaque transfundatur, ac pertranſeat vis quædam ab ætherea, ſempiternaq; natura in omnem circa terram mutationi obnoxiam regionem, primorum videlicet elementorum ignis, & aeris, quæ ſub Luna continentur, & à cæleſtibus motibus commutantur, quæque continent, & commutant reliqua omnia terram, & aquam, & in eis exiſtentes plantas, & animalia, omnibus euidentiſsimum eſt, & paucis demonſtrari poteſt. Hucuſque Ptolemæus, & ego me ad alia transfero. Poſt aerem, cibus, & potus corpora noſtra alterant, immutantque, vt iure dixerit Hippocrates lib. de Inter. affect. Qui parcè edunt, & parcè bibunt nunquam humoralibus tentantur morbis. Quam auream ſententiam ſi Catarrho laborantes non contẽnerent, de alijs medicinalibus auxiliis cogitandum nõ eſſet.

Reple-

Repletio enim eſt,quæ diſtillationes parit, eodem Hippocr.auctore 3. de Diæta tex. 8. quam rem ſimiliter ſignificare nobis voluit Plato 3. de Rep. qui ſub Socratis perſona affirmat tempore Homeri cognitum Catarrhum non fuiſſe, ſed primò aetate ſua innotuiſſe,poſtquam tot gulæ blandimenta reperta fuerunt.Hinc meritò apud Perſas, Xenophonte auctore, ſpuere turpe habebatur, tanquam crapulæ nota. In Cyri namque Inſtitutione hæc habet verba: Perſæ turpe exiſtimabant ſpuere, quia ſputi materiam exercitio, & frugali vita conſumi volebant. & Hipp. 3. de Diæta mox adducto; Mucus,inquit, & ſaliua repletionis indices ſunt, & ſigna. Nemo itaque non videt hoc in morbi genere victum debere eſſe tenuem, & exquiſitum, non autem plenum,imò de Celſi ſententia,demenda aſſueto cibo pars dimidia,è cibiſq; qui concoctu faciles ſint,& minimè excrementitij, ac ſicci magis,quàm humidi,& quàm minimum varij,& diſsimiles. Ita namque præcipit Hippocr.de Loc.in hom.tex.54.& lib.de Flat.tex.9.Cibi, inquit, ſunt offerendi ea copia,qua corpus,cui offeruntur,ſuperare valeat, ſic enim neque morbus, neque contrarietas fiet ex his, quæ offeruntur;vbi exceditur,contrarium fit.Et eodem in loco de Flat. citato ſcribit: Diſsimiles cibi ſeditionem mouent,quia ſunt inæquales,& alij citius,alij difficilius concoquuntur.Idem auctor lib.2.de Diæta damnat obſonia ex varijs intritis præparata, vtpote æſtuoſa,& humida,& propterea quod pinguia,& toſta,& calida,& inæquales inter ſe vires habentia, in eodem cohærent. Vnde meritò Celſus lib.3. cap. 6. negat eſſe verum,quod Aſclepiades dicebat: facilius concoqui cibos varios. Laudãtur propterea cibi illi ex lib. de Affect.tex.44.quos venter ſuperat,& corpus ſuſcipit,quique celerrime coquuntur, & concocti ſecedunt,& per omnem diem intra ventrem ingeſti minimè moleſti ſunt. Inter carnes itaque Patiens caueat omninò à vaccinis,bubulis,caprinis,& veruecum antiquorum,quæ omnes ab Hippocr.in 2.de Diæta tex.9. damnãtur,quia peſsime conficiuntur, & per quam graues ſunt, & in lib. de Vic. acut.ſimilium carnium naturam inſuperabilem eſſe affirmat, ſubdens non cuiuſuis ventriculi eſſe ipſas elaborare. Vtatur verò carnibus hædorum, vitulorum, caponum, perdicum, columbarum.

phaſianorum, turturum, & auicularum montanarum, quæ omnes ſiccant, nec difficulter coquuntur, de mente ipſius Hippocr. eodem in loco. Suilla caro etiam ſi à Galeno tanquam probi ſucci & humanæ carni admodũ ſimilis laudatur, præ nimia tamẽ, qua ſcatet, humiditate, & quia grandinoſa, non ſolùm in Catarrhis videtur eſſe deneganda, ſed in alijs quoq; morbis non ita facile permittenda. Fugiat pariter quantũ poteſt piſces tàm mollẽ, quàm tenacẽ carnẽ habentes, omnes enim frigidum, & humidum præbent alimentũ, licet molles piſces pituitam propriè dictam magis gignant, corticis verò duri, Græci oſtracodermata vocant, crudos humores, ſeu cruditates. Quæ diſtinctio legitur apud Galenum 2. de Alim. facul. & 3. de Alim. 23. quod ſi idem lib. 3. de Temper. & Comm. in lib. Hipp. de Natura hom. primæ coctionis cruditatem nominatim appellauit pituitam, & manifeſtius in lib. de Atra bile dùm ait; Prima coctione fit pituita in ventriculo ex alimento crudiore, quam cum calor in ſanguinem mutare poſsit, non fuit neceſſe, vt bili, & melancholiæ, ita pituitæ repurgandæ proprium inſtrumentum à natura fabricari: dicatur idipſum de veterum more feciſſe, quibus vſitatum fuiſſe ſcribit idem Gal. lib. 2. de Differ. febr. c. 6. omnem humorem frigidum, & humidum pituitam vocare, id quod ſuperius de Ariſtot. etiam dictum fuit. Præcipuè autem caueat à piſcibus illis, qui lutoſis in locis alimenta habent, vti ſunt capitones, mugiles, & anguillæ, propterea quod ab aqua, & luto, & in his naſcentibus alimentum hauriunt, à quibus etiam ſpiritus in hominem ingrediens ipſum lædit, & grauat. Imò de capitonibus, & anguillis Hippocr. de Inter. affect. ſcripſit ambos pinguedinem habere hominis naturæ infeſtiſsimam. Conceduntur piſces petroſi, aut ſaxatiles vocati, quia leuiores ſunt erronibus. Nam errones, & vndas verberantes laboribus fracti ſolidiorem carnem habent, ſaxatiles verò vt quieſcentes raram, ac leuem, auctore Hippocrate 2. de Diæta. Conceduntur, dummodo parcus ſit eorum vſus, aurata iunior, cuculus, vulgo capone. Carnem enim albam, firmam, & friabilem habet, ſucciq; bonitate à paucis piſcibus ſuperatur. Lupus, qui ſpigola vocatur, quẽadmodum & mullus à nobis quaſi voce Græca triglia dictus, iunior tructa fluuialis, ſoleaq; aut lin-

gulaca

gulaca dicta, rubellio, aliter fragolinus; lutius iunior, & in aquis limpidis currentibus captus, gobius, qui in arenoſis littoribus, aut ſaxoſis promontorijs viuit, & quæ demum paſsim alice vocatur tùm recens, tùm ſalita cum ratione à Medicis permittunrur. Caſei vſus quàm ſit pernicioſus omnibus, nedum Catarrhum patientibus, & ijs potiſſimum, qui ſedentariam vitam ducunt ac multiplicibus veſcuntur edulijs, docuit Hippocrates de Vic. acut. hiſce verbis. Caſeus flatum, & adſtrictionem, & ciborum accenſionem facit, cum crudum, & incoctum ſit edulium. Galenus pariter in lib. de Alim. Caſeus omnis, inquit, craſsi ſucci eſt, vetus etiam mali. Vel igitur omnino prohibeatur, vel non niſi modicè ſumatur, ſitq. recens, & modicè ſalitus, dummodò Catarrhus acris non ſit. Panis debet eſſe ex tenuiſsimis farinis recentibus compactus, & recens, aliquantisper ſalitus, ac mediocriter fermentatus, quoniam talis leuis eſt, & quàm facilè ſecedit, quemadmodum nos docuit Hipp. 2. de Diæta. Vbi rationem afferens, tradit ideò leuem eſſe, quia à fermenti acore humiditas conſumpta eſt, quæ ſanè alimentum exiſtit, ſecedere autem, quia citò concoquitur. Vnde ſi vera eſt hæc Hippocratis doctrina, quæ etiam habetur apud Galenum 1. de Alim. Facul. cap. 2. non equidem video, qua ratione excuſari poſsit alter Latinus Hippocrates, qui lib. 2. cap. 24. in ſtomachi valetudine panis non fermentati vſum commendat. Ratio ſiquidem à Mercuriali pro Celſo excogitata in ſua Praxi cap. de Cardialgia, ne ſcilicet huiuſmodi panis humorum acrimoniam adaugeat, mihi neutiquam probatur. Quandoquidem maius imminet cuique periculum ex cruditate panis non elaborati, qualem non fermentatus progignit, quæ cruditas admodum pernicioſa cenſetur, iuxta vulgare dictum quod legitur etiam in Epigrammate Græco, omnis repletio mala, panis autem peſsima, quàm ex acrimonia, quam fermentatus panis humoribus impertiri poſsit. Præterea ſi Celſus ad acres humores euitãdos fermentum in pane timet, cur ſale modico contacta eodem in loco celebrat? Ex fructibus conuenire videntur pyra, aut mala cocta aniſis ſaccharo coopertis aſperſa, nuclei pinei, piſtachia, & amygdalæ. Qui fugaces dicuntur, & horarij, inter-

dum ſuo tempore concedantur, ſaltem ad aluum ſtypticam ſubducendam. Quæri ſolet an in Catarrho affinibus, vel obnoxijs cœna breuior eſſe debeat prandio, aut è contra, qua in re multa eſſent dicenda, ſed ego breuitati ſtudens, aliorum prætermiſsis argumentis, exiſtimo in diſtillationibus omninò eſſe faciendum, quod communiter de cunctis effertur illo in verſiculo:

Vt ſis nocte leuis, ſit tibi cœna breuis.

Ita enim & diſtillationis materia felicius conſumitur, & ne noua gignatur proſpicitur. Dũ namq; natiuus calor circa multum cibũ non occupatur, ipſam met diſtillationis materiã prõptius abſumit, omniaq; cerebri excrementa deſiccat. Et quonià vapores ab alimento eleuati ad caput diſtillationi pro materia inſeruiunt, ideò veriſimile omnibus fit, vbi tenuior cœna erit, melius actum iri cum ijs, qui Catarrhũ patiũtur. In ſomno ſiquidẽ non ita difflãtur halituoſa excremẽta, vt in vigilia, propterea quod omnes corporis meatus occluſi ſunt, & corpora omni prorſus motu carent. Vnde rectà in cerebrum ventriculi euaporatio fertur. Huic noſtræ aſſertioni repugnare viderur quod Galenus in Conſ. pro Puero epileptico laudat oppoſitum, qua de re alibi. Interim qui plura de propoſita controuerſia noſse cupit, adeat Paternum, Curtium, Valleſium & Oddum. De potione verò cum ægris ingens pugna eſt, vt ait Celſus lib. 3. cap. 6. mihiq; cum Patiente propoſito, dum præſertim febre laborabat, ingentiſsima fuit, cum ſcilicet eiuſdem Celſi præceptum lib. 2. cap. 15. inſequi in animo foret. Initia morborum primùm famem, ſitimq; deſiderant. quod ſimiliter tradit lib. 4. cap. de Diſtill. dicens: ſiti quanta maxime ſuſtineri poteſt, pugnandum eſt. Quod quidem vt medio tempore, nempe quietis, ac intermiſsionis, exactè obſeruandum putamus, ne maior in capite, & ventre cumuletur materia, ita dùm vrget acceſsio, pectuſq; ac pulmones à fluxis iam craſsis humoribus exonerari opus habent, non vtiq; amplectendum à nobis eſt. Ex Hippocratis enim iuſſu in lib. de Loc. in hom. vbi de curanda pleuritide loquitur, potu vtendum, aut aceto mulſo, aut aceto, & aqua, & hæc quamplurima offerre oportet, quò humectatio fiat, eaq; facta excreationem faciat. Qui pariter in lib. de Vic. acut. ſcribit quod dum

os humectatur,& à pulmone prodeuntia, qualia oportet,ſunt, ſorbitionis copiam augere debemus. Quod etiam alibi ex Gal. demonſtraui; Imò Gal. ipſe in Comm. mox adducti libri in peripueumonia, ac pleuritide, concocta materia, & calore febrili diminuto, vinum ipſum ſumma cum ratione propinat, quod, præſertim ſi ſubdulce ſit, pulmonem humectando tuſsim lenit, & ſputum potenter educit. Idem legitur apud eundem lib. 9. cap. 6. de Placitis Hippocr.& Platonis,& id totum ante eum tradidit Hipp. Quæritur modò an Patienti vinum,aut potius aqua in viuendi regimine conueniens magis ſit.Celſus lib.1.cap.4. cui caput infirmũ eſt,bibere aſſiduè vinum dilutum,leue,quàm aquã magis expedit, vt cum caput grauius eſſe cæperit,ſit quò confugiat:eique ex toto neque vinum,neque aqua ſemper vtilia ſunt,medicamentum vtrũque eſt,cum inuicem aſſumitur. Vinum tamen melius ſemper eſt habitum aqua in omnibus,nedum in ſenibus (aduerſus cuius ætatis duriciem quaſi remedium vinum à Deo hominibus datum fuiſſe ſcribit Plato 2.de leg.vt ſenes quoquo pacto reiuueneſcãt,eoſq; mæſtarum rerum obliuio capiat)non ad concoctionem ſolùm, verùm quoque & ad coctorum diſtributionem,ſanguificationemq, & nutritionem,ac mictionem, & ad ſanis in corporibus tranſpirationem,Galeno auctore 6.Epidem. Comm. 4. Zeno Stoicorum princeps natura ſeuerus in conuiuio rogatus cur hilareſceret; & lupini, inquit, amari, vbi madauerint dulceſcunt. Vnde rectè Homerus.

O Menelae, dij vium fecere beati,
Vt curas animi pellat mortalibus acres.

Attamen error qui à cunctis ferè in illius vſu committitur, infinita corpori mala infert, quæ poſtmodum vino ipſi adſcribuntur, de quibus legendus eſt Plato lib. 1. de Legibus; ſed ne longius diſcedam, & volumen texere voluiſſe dicar, Patiens noſter, & quicunque à ſimilibus cauſis Catarrhum patitur, copiam potus vini vitare in primis debet, non oblitus verſiculorum Euripidis,quos Plutarchus in lib. de Tuen.ſanit. affert.

Adſis mihi, ſed mediocris, neque me deſtituas.

Non etenim rectè dictum ab Aſclepiade primum cyathum bibendum eſſe ad neceſsitatem, ſecundum ad voluptatem, tertium ad

ebrietatem,quartum ad inſaniam.Potus enim definitur ab euentis Eſt nimirum liquor, qui ſitim ſedat, alimenta permiſcet, & per miſta diſtribuit. Hinc conſtat quàm ſalubrius ſit parùm, & ſæpè bibere, quàm hauſtu Germanico vti,qui facit,vt in vẽtriculo cibi fluctuent. Eraſiſtratus apud Plutarchum 5. Sympoſ. potum appellat,cibi præſertim ſolidioris vehiculum. Profectò ſanguis cum ſit coctione incraſſatus, ne tardius venas permeet,potu diluitur, ac attenuatur, ſicq; ad nutritionem partium omnium citius peruenit. Celſus vinum meracum, & copioſum concedit in diſtillationibus. Sanè pro ventriculo alimentorum coctioni inepto tale vinum conuenire videtur,iuxta Hippocratis mẽtem de Vic. acut. tex. 25. Partibus,inquit ille,circa inteſtinum vinum magis proderit,quod meracius fuerit, & Galen. memoriæ mandauit dilutum vinum ventris robur exoluere. Quoniam verò vinum quodcunq; ſit, auctore Alexandro ſect.Probl.2.probl.52.vapores in caput,& cerebrũ mittit;Vnde idem Hippocr.citato loco partibus capitis vinũ dilutũ magis cõuenire prodidit, ne dicam quod hepar vini vſu magis accenditur; propterea non citra rationem aqua ex coriandris,qui ſtomacho grati ſunt,ex Hippocr. in lib. de Affect.tex.48. vinum dilui in Patiente libuit. Dioſcorides ægris, in quibus vini noxam timet, loram concedit. Galenus tamen 2. de Aliment. facult.capite proprio,ſcribit ſecundam loram minus ferire caput, quàm primam, licet Rhaſis in capitis dolore merum concedat, quod intelligitur de dolore inclinante, aut à frigida cauſa exorto, iuxta illud:Ophthalmias ſiue oculorum dolores meri potio ſoluit. Sed quid eſt lora? nihil aliud niſi aqua pura ſuper vuam extracto vino effuſa, atque ad ignem feruefacta. Cuius ideò vſus tutior erit, ſi diſtillatio cum febre fuerit, & vini potu in ægrotantis gratiam vtendum ſit. Quod nulla alia de cauſa dico,niſi quia huiuſmodi crama,ita enim cum Celſo vocare libet vinum copioſiore aqua dilutum,in frequenti vſu eſt apud Rauennates,& alias Vrbes huius Prouinciæ. Veruntamen ego pro Patiente magis laudo vinum tenue, album, & ſubauſterum, de Celſi ſententia lib. 1. cap. 8. Quale omninò abundè prouenit non longè ab hac Vrbe in agro,qui Sancti Petri in Vinculis dicitur. Huiuſmodi enim

vina

vina ad robur, & ſiccitatem commoda ſunt, velut elicitur ex Hippocr. in lib. de Affect. non longè admodum à fine. Quinimò Celſus lib. 4. cap. 4. in ſpirandi difficultate vinum tenue, ac auſterum commendat, quod tamen cum adſtringendi vim poſsideat, parùm ex arte præſcriptum videri cuipiam poſſet. Nihilominus dicerem Celſum de auſtero tenui, non craſſo loqui, cuius vis dùm in thoracem peruenit, partium, quæ ibi ſunt, ſubſtantiam denſando, efficit, vt inutiles ſuccos aliunde tranſmiſſos non tam promptè excipiant, & quos inuitæ ſuſceperint contrahendo ſeſe valentius propellant. Sic puto nos poſſe tueri Meſuem à quibuſdã acerbè reprehenſum, quod roſarũ ſtillatitiũ liquorẽ, ſyrupo ſuo è glycyrrhiza addiderit, quaſi rẽ adſtrictoriam in ea poſuerit, quæ dilatando pectori adhibetur. Sed hi neſciunt modicam adſtrictionẽ etiã in morbis pectoris neceſſariam, nedum vtilem eſſe. Ita namq; expultrix melius ſuo fungitur officio, & modica adſtrictio penetrationẽ adiuuat. Sic Gal. 7. catat. miſcet vnà crocũ, & myrrham, quia adſtrictio croci iuuat penetrationẽ myrrhæ. Legãt inter alios Manardũ, & Syluium. Nec putent Celſum primum fuiſſe, qui vinũ auſterum propoſuerit in affectionibus thoracicis, quoniam Hippocrates ipſe multò ante laudauerat in lib. de Loc. in hom. quando in ſuppuratis, vbi excreationem facere oporteat, pluribus cibis & ſalſis, & pinguibus vtendum eſſe ait, necnon & vino auſtero. Caueat omninò à vetuſtorum, & nouellorum vinorum potu. Illa enim plus, quàm par eſt, calefaciunt; Hæc verò concoctu difficilia, flatulenta, craſſa. Id ſolùm recentia bonitatis habent, quod ventrem ſubducunt, quo euentu ſi priuentur, magnam noxam pota afferunt. Vinum quoque dulce pro conſueto potu damnatur, quia pituitoſum eſt, de mente Hippocratis lib. de Aff. & 2. de Diæta. Verùm dicet aliquis cur vinum dulce pituitoſum? Reſpondeo; quia quod dulce eſt, neque tenui ſubſtantia eſt, neque intenſo calore. Scribitur enim ab Ariſt. 4. Meteor. cap. 9. quod dulce eſt pinguis aliquid habere, & propterea craſsi, ac lenti non parum, & hæc etiam eſt cauſa, quamobrem dulce vinum minus, quàm reliqua capiti infeſtum ſit. Antequam verò me à potione expediam, vnum remanet diſcutiendum, an videlicet

pro

pro compeſcenda euaporatione ventriculi ad caput, ſequenda ſit Celſi admonitio lib. 1. cap. 8. vt nimirum Patiens priuſquam dormitum eat, & conquieſcat, duos tresve cyathos, qui ſunt quatuor, aut quinque vnciæ aquæ frigidæ ſorbeat. Plutarchus enim grauiſsimus Auctor in lib. de Sanit. tuen. tale præceptum amplectitur, & laudat. Quin & Hippocr. id ipſum literis proditum reliquit, à quo dubio procul deſumpſit Celſus. Nam in lib. de Vic. acut. in capitis grauitate, aut mentis perculſione vehementi aquæ potum commendans, vel ſaltem vinum aquoſum, & album, & inodorum, ſtatim ſubiungit: Et poſt ipſius (aquoſi vini) potum aqua modica inſuper bibenda. Ita enim, inquit, robur vini caput, & mentem minus percellet. Quamobrem morem hunc multis præſertim Principibus familiarem & nos haud improbamus, quando aquæ bonitas accedat. Vtuntur hodie vere, & æſtiuis potiſsimum temporibus, varijs aquis niue refrigeratis ex floribus, vel turionibus citri, ex fragis, floribus iaſmini, ſeminibus coriandrorum, & alijs cum ſaccharo, quæ omnes non minus palato amicæ ſunt, & gratæ, quàm ſalubriter bibantur. Galenus etiam 5. Aphor. 25. vbi nocte ſitiunt homines propter ciborum, ac potuum calidorum vſum, nec ideò ſomnum capere poſſunt, aquæ frigidæ potum in media nocte commendat, eò quod coctionem iuuet, ac ſitim adimat. Os etenim ventriculi ex hoc potu magis conſtringitur, & calor magis intra ventriculum colligitur, & augetur; ideò idem Celſus cap. 2. eiuſdem libri, in quo quæ ſtomacho imbecillis ſeruanda ſunt, enarrat; hæc etiam verba profert. Vbi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi quicquid aſſumpſit, potione aquæ frigidæ includit, tùm pauliſper inuigilat, deinde benè dormit. Quòd autem ad inanitionem, ac repletionem attinet, nemo non nouit inanitionem, ſiue fiat per ea, quæ manifeſtè corpus euacuant, ſiue per ea, quæ inſenſibiliter, ac ex accidenti etiam humiditates in corpore ac ceruatas abſumendo, magnum afferre emolumentum ijs, qui fluxionibus ſunt obnoxij: eſt enim fluxio quæuis, nedum Catarrhus propriè ſumptus, plenitudinis ſoboles, & morbos, qui ex plenitudine oriuntur, optimè ſanat inanitio. Inter ea, quæ vniuer-

ſum

ſum corpus inſenſibiliter exonerant, ſunt frictiones, de quibus ſupra in Chirurgia, & quas dicebat Galenus 4. de Sanit. tuen. ſufficere poſſe loco purgationum, ſunt abſtinentia, & inedia ipſa, quibus humidiora corpora vehementer premenda ſunt. Famem etenim humidas carnes habentibus inducere bonum eſt, de mente Hippocratis 7. Aphor. 59. Nam fames ex accidenti multum diſiccat. Vnde Galeno haud diſplicet mos illorum, qui corpora deplendi gratia, ſibi per ſingulos menſes vnius diei inediam indicunt. Quam quidem conſuetudinem & nos in diſtillationibus magnoperè probamus, cùm in alijs anni tẽporibus, tùm præcipuè in verno, quando capitis fluxiones ob iam allatas rationes promouentur. Hinc ſciant omnes Quadrageſimale Ieiunium, quod tamen de Iure Diuino nõ ſcripto ab aliquibus dicitur, ego de temporis tantum determinatione loquor, pro animarum ſalute à Summis Pontificibus Romanis in vere inſtitutum, corporum quoque ſalubritati mirum in modum conferre, quidquid in contrarium deblateret fuchſius de re medica quidem benemeritus, ſed Catholicæ Religionis hoſtis impius. Cuius viri opinio abundè etiam refellitur per ea, quæ ſcripta ſunt à D. Hieronymo aduerſus Iouin. lib. 2. Vbi ſcribitur, multorum infirmitates, præcipuè verò illas, quæ à fluxione pendent, ieiunio ſanari, & multos proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos conualuiſſe. Quem locum regiſtratum in Can. 30. de Conſecrat. diſtinct. 5. oſtendit mihi nuper Franciſcus Ingolus I. V. D. vir ſpectatæ eruditionis, & probitatis. Euacuant ſenſibiliter corpus, quæ ventrem ſubducunt, vt clyſmi blandi ex iure pingui, ſaccharo rubro, oleo, ſale, & vitello oui, aut balani ex hiera, ſale gemmeo, & melle. Interdum quoque in vſum deducantur aliquot ex relatis pilulis; eadem enim ſunt præſeruationis remedia, quæ curationis, dummodo à perito artifice præſcribantur. Per os aſſumpta ventrem ſubducunt alimenta quædam, quæ molliendi vim habent, inter quæ ſunt holera multa oleo, ac ſale condita, præſertim verò malua, & lactuca, de quibus Martialis

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Et

Et alibi de malua.

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias quas habet hortus opes.

Beta eiuſdem eſt virtutis, præſertim verò illius ſuccus, ideò iuſculũ magis laudatur, quàm holus ipſum, quod potius adſtringendi facultatem poſsidet, auctore Hippocrate 2. de Diæta text. 14. Aluum præterea lubricam ſeruant pruna Damaſcena dulciora in ſenæ infuſo excocta, & ſaccharo aſperſa, & paulò ante alios cibos deuorata, panis ex tota farina, confuſaneum vocant, aut eiuſdem medulla hiſpano melle illita, & prima menſa cõmanducata, vino ſubdulci ad vncias binas ſuperpotato, aut tartari ex vino albo in te nuiſſimũ puluerẽ redacti, atq; per ſetaceũ traiecti vncia media ex iu re, vel vituli, vel capi, vel veruecis ante omnia edulia ſumpti. Augu ſtus panẽ ſecundariũ maxime appetebat, nõ ſolùm, vt innuere vide tur Suetonius, guſtus gratia, ſed etiã fortaſſe ob hãc ipſam cauſam Mihi etiã familiaris interdum eſt radix noſtræ iridis ſaccharo, aut melle condita, & vnius, vel duarũ quoq; vnciarum pondere aſſumpta. Puluis deniq; illius radicis, quam Mechoachan appellant, pon dere duarũ drachmarũ per noctẽ aut vino, aut iuri infuſus multis haud improſpere ventrem exonerat. Dũmodò venter quotidie du catur, nã ſemper heſternum ſtercus per omnes dies excernit, ſi ſanus homo eſſe debet, auctore Hippocrate 4. de Morb. aut ad ſummum alternis diebus, parum curo, an hoc, vel illo auxilio fiat. Dicebat ſiquidem 2. de Diæta Hipp. ipſe. Cum euacuata eſt aluus ex reliquo corpore, & capite humiditatem in ſeipſam attrahit. Ad manifeſtam humorum malorum euacuationem ſpectat etiam vomitus arte quadam per interualla excitatus, qui quidem mirabiliter conducere creditur, ex eo, quod in repletionibus à natura ipſa, quæ non edocta Medico peragenda demonſtrat, cùm iuuamine promoueri ſoleat. Inter alios Patiens noſter vomitus beneficium iam pridem expertus eſt. Vnde ceſſante vomitu eius tùm venter, tùm caput peius habet. Sanè Hipp. in lib. de Inter. aff. tex. 47. vomitum fluxioni à capite conducere arbitratur. Mos olim fuit apud Aegyptios, & Caldæos pro conſeruanda ſanitate, quolibet menſe vomitum ciere, quemadmodũ referũt Diodorus Siculus

ac Herodotus: quem morem laudat Hippoc. dùm libro de Inſomnijs ſcribit, ſalubre eſſe bis in menſe vomere, & 3. de Diæta; humidiores, inquit, debent vomere ter, ſicciores bis. Lectum eſt etiã [redacted] in Eccleſiaſtico cap. 31. de vomitu præceptum dignum prorſus quod hùc transferatur. Et ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Galenus tamen ad 3. Aphoriſmorum conſuetudinem vomitum prouocandi minimè probat, quia vomitus motus eſt violentus, eoq; ſubuertitur, & reſupinatur ventriculus, & fumis repletur caput. Quamobrem & ego in non aſſuetis hanc ipſam euacuationem nõ laudo, ſed multo magis, aut vnius diei per interualla quædam omnimodam à cibis abſtinentiã, aut per blanda, & hypelata medicamenta lenem ventris euacuationem, aut deniq; tenuem, & exquiſitum victum. Sola enim abſtinentia ſine periculo medetur, vt ait Celſus lib. 3. & ſic vomitus ſuperuacaneus erit, qui nocet ijs, qui proba vtuntur victus ratione inquit Auicenna. Accedo ad ſomnum, & ad inſomniam, ſeu vigilias. Quod itaque ſcriptum reliquit Hipp. 2. Aphor. 3. Somnus, & vigilia, vtraq; modum excedentia, malum, ad Catarrho obnoxios ſi transferatur, vndequaque veritatem præſeferet. Nimiæ enim vigiliæ, & ſomni longiores Catarrhum coaceruant. Illę ſiquidem, inter cætera quę inferunt mala, cerebri temperaturã corrumpunt, & virtutes omnes non minus exoluunt, quàm ſenſibiles euacuationes Comm. 1. in Prorrh. Inſuper cruditatem, incoctionemq; tùm ciborum, tùm potus efficiunt 2. de Vic. acut. Com. vltimo, & in initio lib. de Sympt. cauſ. Inde illud Martialis.

Nam vigilare leue eſt, peruigilare graue

An igitur damnanda Salernitana Schola, à qua ſcriptum eſt.

Ieiunent, vigilent, ſitiant, qui rheumata curant:

Vigilare enim Catarrho maximè auxiliari teſtatur? Si de nimijs vigilijs loqueretur, dubio procul audienda non eſſet Schola illa, ſed cum de moderatis intellexiſſe veriſimile ſit, in hoc etiam veluti & in ſiti, & inedia veritatem docuiſſe, affirmare non verebor, licet oppoſitum putauerit doctiſsimus Mercurialis. Quandoquidem in Catarrho euacuatione indigemus, & expulſione, quę commodè

per

per vigiliam fit, nullo autem modo dùm ſomno indulgemus. Quare hoc in mali genere neceſſarium eſt, vt vigilia ſomnum ſuperet. Quæ etiam fuit Auicennæ ſententia. Ne dicam quod Hippocrat. ante alios rem hanc nos docuit in de Inter.affect. dùm ſuppuratos à ſomno impediendos eſſe admonet, donec vndecim dies præterierint. Multus ad hæc ſomnus capitis grauitatem conciliat, quoniam, vt Caſſius ſcribit in Problem. tranſmiſſa ad caput materia, ob aſtrictionem ſomni ratione factam exhalare, tranſpirareq. non poteſt. Inde frigida, & humida cerebri intemperatura augetur, inque morbidam conuertitur. Et Gal. vberiorem ſomnum crudos humores digeri non ſinere teſtatur 12.Meth. De hoc ſomno ſimiliter intellexit Hippocr. in lib. de Flat.tex. 20. dùm dixit.Longiori ſomno frigeſcit ſanguis. Alioqui enim ſomnus, ſi rectè ineatur, vt labor articulis, ſic viſceribus commodat, cibum elaborat, humores excoquit, dolorem lenit, laſſitudinem ſolatur, intenta laxat, animi ægritudines obliterat, rationem vitiatam corrigit.Galenus 4. de Sanit. tuen. Nihil eſt, inquit,quod crudos ſuccos æque conficiat, atque ſomnus. Præterea, quod ad rem noſtram magis ſpectat, ſomnus effluuia quæque cohibere natus eſt, ſiſtitq. euacuationes omnes, præter ſudorem, quoniam vnà cum ſanguine innatus calor ad profunda corporis in eo confluit. Vigilia pariter moderata,de qua prædicta Schola intelligi voluit,humores ſuperuacaneos per halitum digerit, diſcutitq; & vniuerſum corporis habitum exſiccat, vti conſtat ex Galeno 2.de Vic. acutor.Comm. 55. & 7. Meth. Concludatur itaq; ſomnum, & vigiliam, ſi modum non excedant,& in hisCatarrho obnoxij Oraculum illud:Miden agan, nè quid nimis, ſeruare non obliuiſcantur, pro expugnando,aut compeſcendo Catarrho ipſo maximi vſus eſſe. Quare dubia quædam ſalutaria hoc in loco excitari ſolita à Medicis minimè ſunt ſilentio prætereunda. Primum eſt,an interdiu ſtatim à cibo dormiendum ſit, cum Auicenna in Catarrho idipſum prohibeat. Alterum, an ſupino decubitu. Poſtremum, an depreſſo, vel eleuato capite. Ad primum dicatur,cum in præſenti de ſene loquamur,licere ei ſtatim, meo iudicio, à cibo dormire, veluti nos docuit Galenus,Homeri teſtimonio,qui de Neſtore ita canit.

Vt la-

Vt lauit, ſumpſitq; cibum, dat membra ſopori
Namq; hæc iuſta ſeni.

Senibus ſiquidem ſomnus longior conuenit, & frequentior, vt eorũ ſiccitas emendetur, coctio iuuetur, & vires roborentur; Alijs verò non adeo tutus ſomnus eſt, præſertim meridianus, cùm alijs de cauſis, tùm quia fit motus violentus & naturæ contrarius. Nam lux diurna calorem, & ſpiritum foras trahit, vtrumq; ſomnus ad interiora reuocat. Supinus decubitus, de quo ſecundo loco dubitabatur, nemini Medicorum vnquam placuit, quidquid ſit, & dicat de oculorum commodo Plinius. Corpora enim ad Incubum, Epilepſiam, & Apoplexiam diſponit, vt aſſerunt Rhaſis 25. Contin. & Auicenna 3. Primi. Quoniam eo ſitu ſuperfluitatum ad poſteriora reclinatio fit, atq; inde retentio, nec ſuis influere meatibus permittuntur, cuius ſunt generis nares, & palatum. Tantò ergo minus Catarrho detentis conuenit, in quibus etiam ea forma, aut figura decumbentibus renes incaleſcunt, & vena ipſa caua, vt copioſi halitus in caput expirent, nè dicam, quod ſpirandi anguſtiam ſupinus decubitus magnopere adauget, thoracem comprimendo. Quoad vltimum, ſciendum eſt de mente Aetij, in omnibus decubitum erectiorem eſſe debere, quò ſuperior pars corporis ſublimior ſit, & infima ſubmiſsior. In Catarrho detentis, & ijs potiſsimum, quibus ad pectus diſtillat, erecto capite dormiendum eſſe, ſenſus ipſe demonſtrat. Aſthmate enim, ac orthopnæa laborantes vix reſpirant, niſi recta ceruice. Auicenna tamen oppoſitam ſententiam literis traditam reliquit, qui vbi de Catarrho agit, multò vtilius eſſe affirmat, capite inclinato, puluinariq; decliui dormire, quàm ſublimi, & erecto. Quam rem alembici ſimilitudine comprobare conatur; nam quemadmodum roſtratus pileus cucurbitæ collo impoſitus facilius, vehementiuſque, ac celerius halitibus repletur, quàm ſi in latere eſſet collocatus, pari ratione caput, quod egregiè pileum illum cucurbitæ inhærentem æmulatur, plures vapores facilius admittit, ac recipit, ſi ſublime, ac erectum ſit, quàm ſi decliue, aut depreſſum. Hùc forſitan reſpexit 4. de Morb. Hippocrates, dùm caput medicæ cucurbitæ comparauit. Quinimo Ariſtoteles ſententiam Auicennæ omninò confirmare

creditur

creditur Sect. 10. Probl. 53. quærens: Cur animantium homo maxime ſternutare ſoleat; Quoniam, inquit, grauedine etiam maxime tentatur: cuius rei cauſa eſt, quod calor, qui circa cor eſt, ſurſumq; ſua natura effertur, cæteris animantibus in armos ſe effert: Vnde per refractionem diſiectus, partim ceruicem, caputq; petit, partim in ſpinam, lumboſq; defertur; hęc enim linea recta, iuxtaq; baſim ſita omnia ſunt. Homini verò quod erecta baſe ſe in ſublime, modo ſtirpium, attollit, euenit, vt caloris elatio plurima, & vehementiſsima caput adeat. Quoties itaque accidit, vt caput humeſcat, refrigeretur q; extrinſecus, amplius, quàm ſatis ſit, efficitur, vt calor, qui & alimentum habet, & ſe in partem interiorem contrahit, nimium creſcat, creſcens ſe ſe in caput, meatuſq; capitis efferat, quo humores prętenues, crudiq; ſectantes, implent meatus, diſtillationeſq; faciunt. Cum enim calor directo tramite ſe ad cerebrum vſque extulerit, eiq; ipſi impegerit, ad nares reflectitur, eo quoniam meatus illac foras de cerebro pertendant. Cęterorum autem animantium aues maximè grauedinem ſentiunt, quod formam corporis maximè ſimilem hominibus gerunt. Verùm minus, quàm homines afficiuntur, quoniam caput magna ex parte deorſum tenent, vt quę victum abs terra petere ſoleant. Hæc omnia ibi ſparſim dicuntur ab Ariſtotele, quæ oppidò quàm valdè Auicennæ dictum roborant. In hac itaque tantorum virorum controuerſia quid ſentiam liberè pronunciabo, me ſemper ſaniori iudicio ſubijciens. Aut igitur loquimur de tempore, quo quis à fluxione liber, & immunis eſt, medium vocāt, aut cùm primùm à capite in ſubiectas partes materia dilabi incipit, aut vbi tandem in pectus, & pulmones iam fluxa, ac dilapſa eſt. Si de duobus primis temporibus, ego etiam exiſtimo depreſſo potius capite, quàm erecto dormiendum eſſe, propter cauſas ab Ariſtotele, & Auicenna excogitatas, quia nimirùm vaporum multitudo, quæ eſt potiſſima diſtillationis materia, ab inferiori ventre ſurſum in caput difficilius conſcendit. Verumtamen ſi de poſtremo tempore ſermo fiat, profectò decubitus capite depreſſo prohibendus eſt; nam in ſpirādo difficultas adaugetur, pulmonum bronchijs, & meatibus in vnum magis coarctatis, magiſque occluſis, quod recta ceruice decum-

cumbentibus nullo modo contingit, vt ex orthopnoicis conſtat. In motu, & quiete breuibus me expediam. Nemini itaq; non conſtat corporis motum, qui data opera vehementior ſuſcipitur, hic enim motus exercitationis nomine dignandus, cuius terminũ Gal. 2. de Sanit. tuen. anhelitus alterationem facit, eò quia articulorum motu auctus calor per venas, & arterias cordi communicatur, vnde maiorem, velociorem, & crebriorem fieri reſpirationem neceſſe eſt, ijs qui crudorum humorum copia laborant, & morbis è pituita detinentur, mirum in modum conferre. Nam quod de omnibus ſcriptum eſt in Epid. Salubritatis tutela cibis non ſatiari, & non eſſe pigrum ad laborem, ad Catarrho laborantes potiſsimum trãsferri debet. Atqui labor, aut exercitium calefaciendi vim habet, refferturq; ad localem motum, qui quidem calefactiuus eſt, de mente Ariſt. 2. de Cælo, & Mundo, vel quia adducit calefaciens, vt cæli motus aſtrum ſupra hemiſphærium, vel quia per confricationẽ, aut concitatam medij diuiſionem fit, quibus poſtremis modis exercitium calefacere dicendum arbitror, non per ſe, quod nihilominus doctiſsimi quidam viri conſtanter affirmant. Propterea moderatæ exercitationis hæc erunt commoda, vt ferrum quiete rubiginem contrahit, animus torporem, ſic totũ corpus otio refrigeſcit, pituitã multã, & excrementa congerit, quæ omnia calor exercitio auctus omninò diſsipat, quo pariter omnes tàm animæ, quàm naturæ functiones melius obeuntur. Non parũ tamen refert, quo quis tẽpore, & exercitij genere corpus ipſum exerceat. Nã cibum antecedere debent labores omnes, per quos puriora reddũtur corpora, quæ impura quò magis nutries, eò magis lædes. 2. Aphor. 10. quiq; ſtatim à prandio, aut cœna ſeſe vel corporis, vel animi motionibus exponunt, vim magnã crudorum humorum in venis accumulant. Concoctio enim quiete perficitur, vt motu interturbatur. Hinc non audiendus Ariſt. qui 2. Poſter. obiter quodammodo dixit; laborandum eſſe poſt cibũ. Alia pariter eſt exercitatio totius corporis, quę generalis dicitur, vti luſus pilæ palmarię, & ſaltatio, alia particularis, qua vna dumtaxat pars roboratur, vt pugilatu brachia, equitatione ventriculus. Quæ omnia diffusè, & exactè à recẽtioribus multis nedum veteribus, qui de ſanitate conſeruanda ſcripſere, pertractata ſunt, de quibus propterea ego longius non agam, & ad animi

G pathe-

pathemata me confero,quæ quidem magnoperè alterant,& à naturali ſtatu auertũt,vt ait Gal.in Ar.par.& alibi ſæpè,ſuntq; rationalis animæ motus non naturales, quibus licet anima prius, vehementiuſq;cõmoueatur,ex ea tamẽ poſtea in corpus redũdant,quia ſcilicet vel calorem,& ſpiritũ à centro ad circumferentiã educunt, vel à circumferentia ad centrũ reuocant. Vnde non temerè dictũ, & creditum à vulgo,animi lætitiam impinguare,quod etiã ſcripſit Auerr.2. Cantic.In lætitia enim, ſeu gaudio cor ſenſim dilatatur quò pręſenti fruatur bono,naturaliſq; calor,& ſpiritus quaſi ad exteriora cum sãguine diffunduntur,vt eſt 4.de Cauſ.pulſ.Ex qua re fit,vt membra ſanguinis humiditate imbuantur,humectenturque, & craſſeſcant.Hinc lætitia vires confirmat,vitales, & naturales 4. Primi.concoctioni conducit 13.tertij,& demùm ex frequẽti animi lætitia ſequitur vigor naturalis virtutis,vt eſt in lib.de Virib.cord. Vnde cap.17. Prouerb. Animus gaudens ætatem floridam facit. Quoniam autem contrariorum eadem eſt diſciplina, mæſtitia motus eſt lætitiæ diſsimilis,quo refrigeſcit corpus; quia intrò cõuertit caloris motum,vt ait Gal.2.de Cauſ.ſympt.Tardus tamen natura ſua,& lẽtus motus eſt,& proinde calorẽ vitalẽ paulatim marceſcere,partiumq;nutritionem minui facit,atq;ita ad tabẽ deducit.Quò ſpectãt verba illa Prouerb.17.Spiritus triſtis exſiccat oſſa.Ab Auicẽna propterea triſtitia refertur inter cauſas morbificas, & ab alijs Medicis ponitur non in cauſis non naturalibus, ſed potius in his, quæ præter naturam ſunt,ac ſemper noxiæ,ab ipſomet Auicenna non diſcrepantes. Sanè cap.30.Eccleſiaſtici hæc verba leguntur; Multos occidit triſtitia,& non eſt vtilitas in illa. Duplici verò nomine fugiẽda quàm maximè eſt huic Patiẽti mæſtitia : Primo,quia melancholico etiam humore abundare eius corpus demonſtratum eſt.Scripſit autẽ Gal.6.Aphor. Comm.23. hoc pathematis genus non modo humorem,& ab eo genitam affectionem indicare, verũ etiam generare,& adaugere.Altero quia coctionẽ, & diſtributionem alimenti impedit,& ratio eſt,quia dùm cor conſtringit,& impedit quominus calor & ſpiritus in habitum corporis effundatur, naturales facultates infirmantur,corpus refrigeſcit, ac paulatim ad tabẽ demigrat. An ad iram prouocandus? In morbis enim frigidis,quales ſunt qui à pituita pendent,maximè ſalutare eſt,etiam

de

de Hippocratis ſententia,ægrotantes excandeſcere. In iracundia ſiquidem feruidior fit ſanguis in præcordijs, & augetur calor in corde. Sunt etiam qui in febribus pituitoſis id faciendum ſuadent. Dicatur iram excitandam conſultò eſſe in frigidis affectibus, & in his, quorum cor, & caput natura frigidiora ſunt, tutò prouocari, nullo autem pacto, dùm cor, & caput naturali intemperie ſupra modum calida ſunt, aut calido affectu aduentitio laborant. Sic Hali Rhodoam per iram vehementem concitatam perſanauit militem valido algore iam congelatum, & rigidum, vt ipſe teſtatur in Comm. Art. par. 3. Sic ira effęminatos, & puſillanimes non parum iuuat. Patiens tamen noſter, & quicunq; à ſimili cauſa Catarrhum patiuntur, ab ira quantum maximè fieri poteſt, debent abſtineri, etiam ſi fluxio ipſa frigidæ qualitatis notas perquam manifeſtas haberet. Viſcera enim cuncta naturali temperie calidiora magis incenduntur, à quibus copioſior euaporatio in caput expirat. Excandeſcentia, inquit Gal. 6. Epid. Comm. 5. cor, & pulmonem contrahit, vt gaudium relaxat. Poſtremum locum inter cauſas non naturales veneri adſcripſi, & quamuis ſupra ab earum numero ſeiungere voluiſſe videar, comprehenditur tamen à Medicis ſub inanitionis nomine. An ergo confert, & locum habet in Catarrho concubitus? Profectò Hippocr. 6. Epid. ſect. 5. tex. 23. in hunc modum ſcripſit. Morbis è pituita confert Venus. quod etiam legitur apud Ariſt. cùm alibi, tùm 4. Probl. 17. vbi quærit quamobrem concubitus morbos è pituita iuuet. Idem Hipp. 5. Epidem. narrat hiſtoriam cuiuſdam Timocharis, qui veneris vſu à diſtillatione fuit curatus. Timochari, inquit, hyeme diſtillatio, maximè in nares, cum venere vſus eſſet, reſiccata ſunt omnia. & 6. eiuſdē operis Comm. 5. Mixtio ea, quæ in ventre ſunt, indurat. Qui ocus fortaſſe idem cum eo, in quo ſententia legitur, quæ modeſtiſsimo Sene indigna putatur, vt reuera foret, ſi eum haberet ſenſum, quem omnes propemodum afferunt. Videtur itaque colligi ex præmiſsis in curatione Catarrhi venerem non modò non obeſſe, ſed potius valdopere prodeſſe. Admiratione dignum eſt, quod ab Aetio refertur lib. 3. alui quoque profluuia inueterata aliquando per venerem reſiccari. Meherclè ratio à natura rei petita

G 2 Ca-

Catarrho concubitum auxiliari demonſtrat. Nam coitus, de Hippocratis ſententia 1. de Diæta tex. 22. duplici nomine calefacit, primo propter laborem, ſecundo propter frigiditatis excretionem. Hinc Ariſtoteles quærens in Problematis, cur melancholici à venere iuuentur, ſoluit reſpondendo, quia plurimo flatu, & plurima pituita abundant, quaſi calor eo in congreſſu magis excitatus vtrumq; diſcutiat. Excrementa tamen capitis, & corporis frigida vnà cum ſemine euacuari impoſsibile videtur ijs, qui ſeminis naturam tenent, & ſpiritus potius calidiores vnà cum eo egredi non ignorant. Imò hinc manat altera ſecta affirmantium Catarrhos, diſtillationeſq; venere non modò non curari, verùm magis augeri, ac reuiuiſcere. Quod inter alios ſcripſit Rabby Moyſe 9. Aphor. de mente Galeni. Qui quidem Galenus in 3. Epidem. Com. 3. in Adoleſcente in Melibæa aſſerit, venerem neruos, & eorum principium cerebrum ſatis lædere, vireſq; omnes elidere. Quò etiam, ni fallor, ſpectat Democriti dictum, ab eodem Galeno repetitum in 3. Epidem. in Pythione; concubitum paruam eſſe Epilepſiam. Celſus in diſtillatione venerem damnat, nec Hippocr. in hiſtoria Tymocharis eam laudat, cum non dicat morbum fuiſſe ſanatum, ſed potius maiorem factum, quia ſubdit ſucceſsiſſe laſsitudinem, calorem, capitis grauitatem, quæ ſunt valde maiora, grauioraque in nares diſtillatione, quam ante veneris vſu reſiccatam tradit. Quinimò niſi copioſus ſubſecutus fuiſſet ſudor, qui humorem per totum corpus diffuſum vacuauit, forſitan non euaſiſſet. Dirimatur lis hæc reſpondendo cum ipſomet Galeno 6. Epidem. Comm. 5. non omnibus ex pituita laborantibus auxilio venerem eſſe, ſed ijs, qui robuſta ſunt virtute. Nam ſi imbecilles ad ſummam debilitatem ex ipſa peruenerint, magnoperè lædentur. Qui verò robuſta ſunt virtute, neque diſſoluentur, ſed iuuabuntur, exſiccante pituitoſam ſuperfluitatem venere. Reſiccare etenim venerem veluti & vigilias didiciſtis, euaporando amplius humores. Imò & corpus robuſtum habẽtibus facultatem calefacit venus, debilibus verò protinus quidem calefacit, ſed tandem ſtrenuè refrigerat. In poſtrema ſerie, & numero eorum qui læduntur dubio procul reponendi

ponendi ſunt ſenes omnes, ſed hi maximè, qui ſiccioris ſunt habitus; cuiuſmodi eſt Viri, de quo in præſentia ſermo à nobis habetur. Nam Galenus 6. de Tuen. ſanit. humidis tantum, & calidis naturis, quæ copioſo abundant ſanguine, & conſequenter ſpermate, venerem conferre teſtatur. In quibus quidem cum ſemine vaſa abundent, neceſſe eſt, vt vel excernatur, vel eius multitudo moderatè, ac religiosè viuendo minuatur, vel in alienam qualitatem demigret, quæ grauiſsima illa ſymptomata inuehere interdum ſolet, quorum Galenus meminit 6. de Loc. aff. Retentum ſiquidem in his præſertim temperaturis putret, ac veneni vim adquirit, iuxta illud Galeni: Quò quid perfectius eſt, cũ integram naturam ſeruat, eò deterius fit, cùm ab ea degenerat. Nam quælibet mutatio fit à contrario in contrarium, ab optimo ad peſsimum. Quæ Medicorum placita vtinam de numero eorum nõ ſint, quæ diuinę cognitioni contraria à D. Ambroſio vocantur ſuper Pſalm. 118. vti illa ſunt, quæ à ieiunio reuocant. Nam & D. Auguſtinus ſuper Ioann. tract. 17. perfectum ieiunium de abſtinentia ab illicitis voluptatibus ſeculi interpretatur. Caput, & pedes primariæ totius corporis extremitates in Catarrho ſedulò ſunt conſeruandę, veriſſimumq; eſt hoc in mali genere, quod vulgo, & paſſim dicitur, pro tuenda ſanitate admodum conferre, ſi vnà cum capite pedes calidi foueantur. Sanè Plato 12. de Legib. ſcribens quomodo à prima ætate duro victu, & cultu corporis inculto corroborandi ſint iuuenes aduerſus labores, & incommoda militiæ, hæc habet verba. Ob eandem cauſam aſſueſcere debemus à cibo, & potu abſtinere, frigus, æſtumq; & cubilis duritiem pati, & in primis capitis, pedumq; virtutem alienis tegmentis non corrumpere, nec pileorum, calceorumq; à generatione datorum naturam perdere. Nam extremitates hæ cum naturam conſeruant ſuam, maximas toti corpori vires præbent: contra verò contrarium. Ex hoc Platonis loco facile eſt colligere, laudandam eſſe illorum conſuetudinem, qui pueros ab ipſa infantia denudato capite incedere aſſuefaciunt. Qui mos ſeruari maximè debet apud illos populos, qui frequenter, & grauiter à morbis capitis, & præſertim à Catarrho infeſtari conſueuerunt. Scimus enim etiam ex Auicenna capitis tegmẽ caput ipſum infirmare, vt eſt pr. tertij Canonis. Nec alia ra-

tione apud Herodotum lib. 3. & Syneſium in caluitio Perſarum capita adeo fragilia ſunt, vt ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſsis. Aegyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis eliſdas. Iſti enim à primis annis puerorum capita radere incipiunt, quæ ad Solem redduntur admodum compacta, nec aeris poſtmodum alterationes ita facilè ſentiunt. Perſæ contra à principijs imbuuntur cooperire capita, geſtantes pilea, tiaraſque. Nihilo tamen paulò ſupra dicebamus auctoritate Xenophontis Perſas minime expuere fuiſſe ſolitos; vnde veriſimile fit neque Catarrho, aut à capite fluxione humorum laboraſſe, ab hac enim potiſſimum cauſa prouenit ptyeliſmus, ſed facilis eſt reſponſio ex eodem Xenophonte, quia Perſæ ſputi materiã, exercitio, & frugali vita conſumebant. Partis ſiquidem imbecillitas non ſufficit pro generatione morbi in ea, niſi vnà accedat materia aliunde tranſmiſſa. Idipſum quotidie cernitur in podagricis, & alijs, qui ex humorum affluxu ad aliquam partem per interualla ægrotare ſolent. Sed tandem huic Conſilio finis imponatur, in quo de curatione Catarrhi, & ab eodem præſeruatione, pro ingenij mei modulo ſermonem feci, in gratiam tùm aliorum, qui Catarrho obnoxij ſunt, tùm propoſiti Patientis, qui Dei primùm auxilio, deinde etiam medicinæ adminiculo, hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribuntur, ac typis mandantur, priſtinam ſalutem conſecutus eſt:-

Libri Primi de Catarrho Finis.

DE

DE PHRENITIDE LIBER SECVNDVS.

Definitio Phrenitidis. *Lectio I.*

IAM abſoluimus, Auditores honeſtiſſimi, morbos illos capitis, qui ad communes actiones, tùm ipſius capitis, tùm cerebri ſpectare videbantur, nempe ad ſenſum tactus, & nutritionem. Quod idem eſt, ac ſi diceretur, abundè nos hucúſque de omni capitis dolore, & de Catarrho pertractaſſe, nunc verò ad morbos deſcendere conſtitui, qui cerebri ipſius magis particulares actiones vitiare ſolent. Incipiam autem, vt par eſt, à nobilioribus, ſeu à morbis nobiliorem animam, hoc eſt animalem facultatem obſidentibus. Quare de Phrenitide nunc primùm loqui aggrediar, quæ quidem inter eos numeratur affectus, qui, vt ſcribit Gal. 2. Meth. 2. & confirmat Auicen. 3. primi c.8. à ſymptomate nomen accipiunt, nimirũ à delirio, nam in Phrenitide mens perpetuò læditur. Vnde Gal. 1. Pror. 4. ex communi hominum notione probat Phreneſim eam eſſe affectionem, in qua phrenas, ideſt mens læſa eſt. Per Phrenitidem igitur ſcitote delirium veluti furens intelligi, ad differentiam alterius delirij, quod in melancholicis obſeruatur, necnon & illius, quod maniacis contingit, de quibus in præſentia ne verbum quidem, quoniam de Phrenitico delirio propriè ſumpto, nunc ſolùm verba facere decreui. Phrenitis itaque, vt patet ex Galeni loco Pror. citato, duplici modo intelligitur à Medicis, communiter, & propriè. Primo modo ſumitur Phrenitis pro quocunque delirio cum febre, vt eſt ſæpiſsimè videre apud Hippocratem in libris Epid. in quibus etiã typhomaniam ſub Phrenitidis nomine comprehendi videmus, quæ eſt delirium, cum propenſione ad ſomnum. De qua ſermo fit ab ipſo Hippocrate 3. Epid. ſect. 3. tex. 45. hiſce verbis.

Nullus Phreniticorum vehementer inſaniuit, vt in alijs, ſed alia quadam veternoſa in ſomnum delatione, capite grauati moriebantur. Et tex. 62. Sopiebantur in primis Phrenitici. De Phrenitide hoc modo ſumpta ſermo noſter intelligendus non eſt, ſed de altera Phrenitide propriè accepta, quæ, vt nos clarè docuit Gal. cùm alibi, tùm 1. Epid. Comm. 2. tex. 3. inflammatio quædam cerebri eſt, & membranarum eius; quæ Phrenitis exquiſita dicitur; quam quidem exactius definientes, nihil aliud eſſe aſſerimus, quàm delirium perpetuum cum acuta febre, vel ſynocho homotono; & propterea ſymptoma in actione principe deprauata, dependens à calida, ſiccaque diſcraſia, ſeu ab inflammatione cerebri, ac membranarum eius. Huius definitionis partes ſingulas expendamus oportet, cum præſertim tota fermè curatio methodo inſtituenda ex illa dependeat. Delirium igitur genus erit, quo Phrenitis cum alijs delirijs ſupradictis communicat, dictione illa, perpetuum, clara fit differentia, quæ inter Phrenitidem eſt, & Paraphrenitidem, videlicet delirium illud, quod in febrium ardentium acceſsionibus quotidie cernitur, & ex vaporibus calidis ab alijs partibus ad cerebrum aſcendentibus non infrequenter contingit. Poſtrema definitionis parte Phrenitis à mania diſtinguitur, & à melancholia. Subnectitur autem maioris elucidationis gratia, in hoc affectu actionem cerebri principalem deprauari, potiſſimum inquam diſcurſum, & imaginationem, vt diſtinctio fiat Phrenitidis ab amentia, & fatuitate, in quibus prædictæ facultates imminuuntur, & auferuntur, quemadmodum ſcripſit Gal. lib. 2. de Cauſ. Sympt. cap. vlt. licet memoria, quæ & ipſa ad principalem cerebri functionem ſpectat, in Phrenitide non deprauetur; ſed potius auferatur, vt ex eo conſtat, quod Phrenitici matulam ſæpiſſimè petunt, quaſi mingere volentes, & poſtmodum mingere omninò obliuiſcuntur. Reliqua & cauſam efficientem, & ſubiectum Phrenitidis reſpiciunt. Verùm, Domini, ex dictis non leues inſurgunt difficultates, quæ niſi tollantur, caliginoſa erunt omnia. In primis enim, quod dictum eſt Phreneſim (ita enim vocat Samonicus) eſſe delirium continuum, vt vera Phrenitis diſtinguatur à Paraphrenitide, falſum eſſe cuipiam veſtrùm videri poteſt, ex eo quod Gal. 3. de Locis affect. 7. dicebat delirium factum à ſepto

pto

pto tranſuerſo, pulmone, pleura, & orificio ventriculi in eo differre, quòd à ſepto factum, ſit continuum, ab alijs autem partibus excitatum, intermittat; Ergo dabitur etiam delirij continuitas in Paraphrenitide, cuiuſmodi eſſe ſolet delirium, quod ab alijs partibus per conſenſum cerebro communicatur. Accedit quod Franciſcus Valleſius 3. Epid. ſect. 1. Comm. vlt. manifeſtè ſcribit de eſſentia Phrenitidis non eſſe delirium continuum, quoniam ſcilicet in Phreniticis aliquando delirium interrumpitur, neque ſemper eodem modo fit, cum æger ad mentem redeat. Probat hanc ſuam ſententiam ex ægroto Hippocratis in Dealcis horto habitante, qui quidem, inquit, quarta die vigilauit, delirauit aliquantulum, quinta non dormiuit, delirauit ſeptima, ſimiliter octaua dormiuit, intelligebat. Hic homo ſiquidem Phreniticus erat, & ante ſolutionem morbi intelligebat, ergo non eſt neceſſe, vt Phreniticus ſemper deliret. Pro Gal. autem, qui in Phrenitide delirium eſſe continuum ſcribit, reſpondet continuum ideò dici, quia reditus ad mentem certas intermiſſiones non habet, ſtataſque periodos. Ad primam difficultatem dicatis Gal. ibidem affirmare, delirium ex ſepto non eſſe verè perpetuum, ſed parum à continuo diſtare, quaſi non ita continuum ſit, vt in exquiſita Phrenitide contingit, vt comparatione facta cum delirio à pulmone, pleura, & orificio ventriculi continuum dici poſſit, ob rationem inferius adducendam, ſed ſi comparetur cum delirio ex cerebri inflammatione ſuborto, profectò à continuo diſtare rectè ſcribit Gal. Nam in Phrenitide, quæ in cerebro ex primaria affectione oritur, ſtatim apparet delirium, ſed in illa, quæ ex ſepto pendet, primùm febris ex inflammatione, & deinceps delirium ſequitur. Ad alteram obiectionem ex Valleſio, dicatis virum alioqui doctiſſimum non rectè conſideraſſe Phrenitidis naturam. Quandoquidem ſi delirium ex inflammatione oboritur, perſeuerante inflammatione, quomodo delirium non erit? Inſuper ſi in Phrenitide delirij non adeſt continuitas, quæ nam obſecro differentia erit inter Phrenitidem ipſam, ac Paraphrenitidẽ? Verùm ad Hippocratẽ quid reſpondebimus? Dicendum mea ſententia nunquam voluiſſe in hoc morbi genere delirium intermittere, & ſi id voluit, non de vera Phrenitide, ſed Paraphrenitide locutum fuiſſe, imò dato etiam quod de

vera Phrenitide loquatur Hippocr. non propterea concludendum erat ipſum velle dari Phreneſim citra delirij continuitatem, quoniam dictione illa, intelligebat, ſignificare nobis voluit ægrotum illum parum deliraſſe. Id colligitur non obſcurè ex die vndecima, in qua æger omninò mente conſtitit: ſi omninò: ergo antea delirium remiſſum fuiſſe videtur, ſed non penitus. Quod ante nos literis mandauit Pereda; & de his hactenus.

A quonam morbo cerebri pendeat Phrenitis. *Lect.* *II.*

QVOD Phrenitis ſymptoma ſit in actione principe læſa, abundè conſtat ex præmiſſis; quoniam verò huiuſmodi ſymptoma neceſſariò morbum aliquem, velut vmbra corpus, inſequitur, & cerebrum hoc in affectu triplici morbo laborat, nimirum in magnitudine, in intemperie, & in ſoluta vnitate, licet non deſint, qui auctoritate Gal. in lib. de Diff. morb. cap. 11. continui ſolutionem in inflammatione reperiri negant, niſi quando vlcus vnà coniungitur; meritò veſtrûm aliquis noſſe deſiderabit in Phrenitide, quinam ſit morbus animales functiones potiſſimum affligens, & lædens. Quod genus dubitationis ad rem noſtram valde neceſſarium eſt, pendetq; ſolutio illius ex præclara, ſed obſcura ſimul quæſtione, ratiocinetur ne cerebrum, & phantaſmata ſpeculetur, quia tali præditum eſt temperamento, an quia adeò mirabili compoſitione fabrefactum eſt. Hinc inde probabiles afferuntur rationes, nec deſunt magni roboris auctoritates; Quandoquidem qui à ſola ſtructura, & conformatione principes facultates edi exiſtimant, id ipſum Gal. loco confirmant ex lib. 7. de Plac. in quo ſcribit, cauſam prudentiæ in homine eſſe varietatem ſtructuræ cerebri, & magnitudinem illius. Apud eundem Gal. 2. Art. med. 14. quemadmodum & apud Hipp. 6. Epid. Comm. 2. capitis figura, ſi naturalis exiſtat, ſphærica, oblonga, anteriore, & poſteriore parte protuberans, & vtrinq; ad latera depreſſa, ſignũ eſt prudentis hominis. Contra acuminatũ, & turbinatũ caput, quale Therſitis fuiſſe apud Homerum legitur, ſtolidum, & amentem hominem arguit. Inſuper ſtructura, & conformatione vitia-

ta, ſtatim principes facultates & ipſæ vitiantur, temperamento nondum læſo, quemadmodum apparet in apoplexia, & epilepſia, nec non in vulneribus capitis, oppletis, & compreſsis cerebri ventriculis; nam in tam exiguo temporis momento alterari non poteſt cerebri temperies; effracto cranio, & humore ventriculos replente. Qui verò contrariam tuentur ſententiam, facultatum principum propriam, & immediatam cauſam temperiem ſubſtantiæ medullaris cerebri, & ſpirituum animalium agnoſcentes, afferunt Hipp. 1. de Diæta ita loquentem: Cum in corpore pars ignis ſiccisſima, & aquæ humidiſsima æqualiter temperantur, prudentiſſimum quid naſcitur. Et Platonem, qui ita ſcribit in Theæteto. Non rectè anima ſe habet in denſo, aut lutulento, molli nimis, aut duro cerebro; molle enim celeres quidem ad percipiendum efficit, ſed eoſdem obliuioſos; durum diu memores, ſed ineptos ad percipiendum, denſum ſimulachra obſcura continet; Deniq; etiam Gal. lib. 8. de Vſu part. cap. 13. vbi ait. Melius fortè exiſtimare intellectum ſequi non varietatem compoſitionis, ſed corporis, quod cogitat, laudabilem temperiem; neq; enim perfectio intellectus, quantitati ſpirituum tàm attribuenda eſt, quàm qualitati. Sic diſputans aduerſus Eraſiſtratum, qui putabat ideò cerebrum humanum nobiliſsimas edere operationes, quia ſummo artificio fabricatum eſt, ſubiungit Gal. id minime verum eſſe, quoniam & cerebrum bruti animantis artificiosè factum eſt, & nihilominus ignobiliſsimas edit operationes. Vnde concludit ipſe cerebrum humanum propterea nobiliſsimas agere actiones, quia nobiliſsimo temperamento donatum à natura fuit. Congruit cum hac re, quod ſcribunt Anatomici, & veteres, & recentiores omnes, cerebrum bouis à cerebro hominis neutiquam differre, imò ei quam ſimillimum eſſe; in operationibus autem animalibus quantum ad inuicem diſcrepent, ac inter ſe diſsimilia ſint; vnicuiq; veſtrûm vel ex eo conſtare poteſt, quod cum aliquem tanquam ignauum, & ſtolidum notare volumus, ipſum bouis cerebrum habere paſsim dicimus. Quò pariter reſpexit Gal. dùm in Anat. cerebri bouis ita locutus eſt. Cerebrum bouis ſimile eſt cerebro hominis, præter quam quod intellectu, & cogitatione caret. Quod etiam confeſſus eſt 8. de Vſu part. cap. 6. in quo ſcribit non admodum differ-

re

re cerebrum bruti animantis ab hominis cerebro, tametſi complexione differăt. Idem Gal. lib. Quod animi mores ſequunt. animã vocat concentum qualitatũ, & eã non videtur à tẽperie ſeparare. Comm. autẽ in *6*. Epid. & in Aph. *6*. ſect. 2. & lib. 3. de Locis aff. *6*. cerebri temperiem mentem appellat. Enarrans enim illa Hipp. verba: Melancholici fiũt Epileptici, & Epileptici fiunt melãcholici, tradit prout in hanc, vel in illam cerebri partem humor repit, ſic vtriusq; affectus fieri tranſmutationẽ ex humorũ videlicet metaſtaſi: nã ſi in corpus, & ventres cerebri effundatur humor, fiunt Epileptici: ſi in mentem, melancholici. Vbi per mentem dubio procul temperiem intelligit, quoniam melancholia intemperies eſt frigida, & ſicca cerebri. In hac controuerſia Andreas Laurentius in ſuis Oper. Anat. lib. 4. Quæſt. 2. putat, &, meo quidem iudicio, rectiſſimè, functionum omnium efficientem cauſam, nec ſolam eſſe temperiem, nec mirabilem cerebri ſtructuram, ſed animam intelligentem, quæ tamen vtramque cauſam admittat, organicam, amplitudinem cerebri ſcilicet, ventriculorum, & ſpirituum, & ſimilarem temperiem ſubſtantiæ medullaris, & ſpirituum. Hinc colligit ratiocinationem nec abſolutè eſſe organicam actionem, quia læditur in melancholicis, & Phreniticis, illæſa ſtructura cerebri: nec purè ſimilarem, quia colliſis, compreſsisq; ventriculis, illæſa temperie vitiatur, quin etiam addit, à ſola temperie nec inchoari, nec perfici, nec à qualibet partis particula edi; ſed mixtam eſſe actionem ex organica, & ſimilari, qualis eſt actio cordis, & ventriculi. Mouetur enim cor, & pulſat inſita vi, propriaq; temperie, ſed non contraheretur, nec diſtenderetur, niſi eſſet ſinibus excauatum. Attamen ſi in Phrenitide de morbo quæratur, qui potiſsimum vitiat operationes, exiſtimandum eſt ſolam intemperiem calidam, & ſiccam cerebri illam eſſe, quæ in eo animæ actiones primarias oblædit, atque deprauat. Valleſius in ſuis Cõtrouerſijs diſputat an Phrenitis ſemper ſit inflammatio, vt eius eſſentia in inflammatione perpetuò conſiſtat, concluditq; poſſe eſſe Phrenitidem abſque inflammatione, cum ſola redundantia humorum putreſcentium in cerebro, ita vt calida, & ſicca intemperies in Phrenitide ſemper adſit, inflammatio non ſemper, ſed tunc ſolùm cùm morbus progreſſus eſt, & firmata apparet Phrenitis, non autẽ quando incipit; ſed hac de re vberius in Lethargo.

Quæ animæ potentiæ lædantur in Phreniticis, & argumenta negantium in Phrenitide ſubiectum eſſe cerebrum. Lect. III.

PRINCIPALEM cerebri actionem in Phrenitide vitiari à morbo in intemperie, nempe à calida, & ſicca diſcraſia, in heſterna Lectione demõſtratum eſt; nunc verò quæritur, cum ad ipſius cerebri actionem primariam referantur diſcurſus, imaginatio, atque memoria, quæ nam ex his facultatibus hoc in morbo potiſſimum lædantur. Multi enim id in curatione magni faciunt, quia pro varia illarum facultatum læſione, varijs capitis locis adhibenda eſſe localia exiſtimant, vt læſa vi imaginatrice anteriori, memoria poſteriori, diſcurſu mediæ capitis parti admoueri debeant: quaſi Gal. cùm alibi, tùm lib. Meth. 12. & 2. Catat. non clare dixerit, quæcunque pars capitis afficiatur, perpetuò localia ſincipiti eſſe applicanda. Altius enim penetrat anteriori parti admotum medicamentum ob cranij tenuitatem, & ſuturæ coronalis raritatem. Interdum itaque in Phrenitide ſola afficitur imaginatio, interdum ſola ratio, interdum vtraq; ſimul, & denique ſola aliquando amittitur memoria, alijs illæſis facultatibus. Cuius quidem rei elegantes hiſtoriæ extant apud Gal. de Diff. ſympt. cap. 3. & 4. de Loc. aff. 2. Nam Theophilus cum alioqui prudenter diſſereret, tibicines tamen arbitrabatur eſſe in angulo cubiculi, & aſsidue clamitans iubebat eos à cubiculo expelli. Alius Phreniticus obſeratis intus ianuis, ſingula vaſa, quæ proprijs nominibus deſignabat, ad feneſtras deferebat, prætereuntes ad vnum interrogans, iuberent ne ea proijcere. Narrat Thucydides eo tempore, quo per Græciam, & Peloponneſſum tàm immaniter ſæuiebat peſtis, quam plurimos ita eorum omnium, quæ ante nouerant, fuiſſe oblitos, vt nec familiares, nec parentes agnoſcerent. Vnde in his ſola memoria, in Theophilo ſola imaginatio, in alio Phrenitico ſola ratiocinatio lædebatur. Cum ergo hæc ita ſint, facile eſt intelligere prædictas facultates omnes hoc in morbo viciſſim lædi, & vitiari, pro maioris fortaſſe, aut minoris in cerebri

rebri temperie læſionis varia ratione. Cenſeo enim cum Græcis per omnes ſinus, & per totam cerebri ſubſtantiam diffuſas eſſe principes facultates, & in eadem ſubiecti particula vigere, licet à ſe inuicem ſint diſtinctæ, ita vt vnica anima ſit, quæ diuerſarum facultatum munia, diuerſis vtens medijs, diuerſa temperie exequitur, dicant alij cum Arabibus quicquid lubet. An obſecro non vident in vna, & eadem oſſis particula diuerſas ineſſe facultates, attractricem, retentricem, aſſimilatricem, & expultricem, quarum licet vna ſæpius afficiatur illæſis cœteris, nemo è Medicis propterea dixerit locis, & ſubiectis proprijs eſſe diſtinctas? Quamobrem vt in ventriculo à diuerſa intemperie diuerſæ facultates læduntur, ab humida quippe retentrix magis, à ſicca aſſimilatrix, non tamen alia eſt coctricis, alia retentricis ſedes: ita de principibus facultatibus ſtatuendum eſſe bona Medicorum pars tenet. Sed ne diſcedamus à Phrenitide, an hæc inflammatio non eſt cerebri, & membranarum? At in ea nunc ratio læditur ſola, nunc imaginatio, nunc memoria; Quis vnicum in Phrenitide ſinum inflammatione obſideri dixerit? In melancholia idiopathica, ſeu per eſſentiam, quæ intemperies eſt frigida, & ſicca totius cerebri, vnica interdum læditur facultas, nunc ratio, nunc imaginatio. Sic igitur cenſendum eſt de varia læſione principis facultatis, quam 16. de Vſu part. Gal. ſub nomine ἡγεμονικὸν complectitur, in Phrenitide, licet maxime omnium functionum affici videatur vis ipſa cogitatiua, ſeu διάνοια quoniam Phreniticorum error in iudicio, & diſcurſu frequentiſſime cernitur, rarò tamen euenit, quin ad læſionem diſcurſus, aut rationis, non ſequatur pariter imaginationis offenſa, quamuis aliquando diſcurſus læſio vſque adeo vehemens ſit, vt imaginationis errorem obſcuret. Atqui delirium, nemine diſſentiente, commune exiſtit cùm rationi, tùm imaginationi; ſed hæc omittamus. Subiectum in Phrenitide, & pars primario affecta, vt ex ſupra relatis conſtat, erit cerebrum, ita vt Phrenitis propria, & peculiaris ſit cerebri paſſio: Cumq; cerebri dico, intelligo ſubſtantiæ cerebri, non ſolùm meningũ. Delirium ſiquidem certiſſimum ſignũ eſt cerebri male affecti, quoniã læſio eſt actionis ipſi cerebro propriæ. Eſt enim cerebri proprium, duce illa animi parte, quæ mentis, & conſilij eſt particeps, imaginari, ratiocinari, meminiſſe. Quare cum harũ actio-

num

nũ facultates, cum meningibus minimè ſint, dicãt alij quàm rectè iudicẽt, qui Phrenitidem volunt eſſe ſolùm inflammationem membranarum, non autem cerebri. Sed contra hanc veritatem multa, & ea quidem non contemnenda excogitantur. In primis enim contendunt aliqui cerebri ſubſtantiam inflammationem contrahere, nequaquam poſſe: de qua re differentiam habemus apud Conciliatorem. 96. Qui quidem duplici potiſsimum nituntur ratione, quarum vna eſt, quia cerebri ſubſtantia mollis, & laxa exiſtit: ſiquidem quæ vehemẽter ſunt vel dura, vel mollia, alienam ſubſtãtiam non poſſunt in ſe recipere, quare neq; poſſunt inflammari. Altera, eorum ratio eſt, quod cerebrum nullis venis, & arterijs præditum ſit, cum omninò album, ac ferè ſine ſanguine cernatur: quod ſi ſanguine caret, neque inflammationi obnoxium eſſe poteſt. Quandoquidem, vt Galenus docet, inflammatio fit à ſanguine influente in venas, & arterias, primum quidem magnas, deinde paruas, ac poſtremò in exiguas cauitates: vbi verò venæ deſunt, & arteriæ, ibi nullo modo poteſt concitari inflammatio, de eiuſdem Galeni doctrina in lib. ad Glauc. Addatis pulmonem ſcyrrhis non poſſe affici, vt nos docuit Gal. ipſe 3. de Præſag. ex pulſ. cap. 8. quia pars rara eſt: ergo neque inflammatione. Idem videtur eſſe dicendum de cerebri corpore. Præterea ſi Phrenitis peculiaris paſsio eſt cerebri, cur Gal. ex tenui meninge ortũ habere tradit? 4. de cauſ. pulſ. 14. Quinimò comparans ibidem inter ſe Lethargum, atque Phrenitidem, dicit in Lethargo magis cerebrum pati, quàm membranas, in Phrenitide contra magis inflammari membranas, quàm cerebrum. Paulus Aegineta lib. 3. cap. 6. & Aetius lib. 6. cap. 2. idem, putaſſe videntur, nimirum Phrenitidem fieri ex inflammatis membranis. Tandem Ariſt. 3. de part. anim. cap. 10. ſcriptum reliquit diaphragma eſſe vocatũ phrenas, eò quod vbi calidi, & feruidi humores illa in parte colliguntur, mẽs, & ratio offenditur, quaſi Phrenitis paſſio ſit diaphragmatis. Quod ſimiliter legitur apud Gal. 2. de Loc. affect. 3. quo in loco tradit veteres, inter quos fuit Plato in Timæo, ſeptum tranſuerſum appellaſſe phrenas, quia quando pars hæc inflammatione tentatur, Phrenitis tunc oriri ſolet. Quibus omnibus ſatisfacere non adeò difficile fore exiſtimo, quemadmodum vobis ex ſubſequenti ſermone conſtabit.

Subiectum in Phrenitide cerebrum ſtatuitur, reſponſioq; affertur ad contra ſentientium argumenta, & quomodo inflammationem, ac delirium patiatur. Lect. IIII.

SVBIECTVM in Phrenitide dicebamus eſſe cerebrum, quod verum eſſe ex læſis potiſſimum actionibus, quæ in cerebro ſedem habent, facillimè cognoſcitur, ne dicam quod Galenus clariſsimè cũ alibi, tùm præcipuè 2. de Sympt. cauſ. ad finẽ idipſum nos docuit dicens; Phrenitis non ſimpliciter ob calidos euenit humores, ſed cum eo phlegmonem quoq; in cerebro, & ipſius membranis parit. Et 1. Epid. Comm. 2. tex. 3. ſcribit in Phreneſi inflammari & membranas, & corpus cerebri. Denique 4. de Præſag. ex pulſ. 8. apertè tradit cerebrum intemperiem cum fluxione, & citra fluxionem poſſe perpeti. Alex. Trallianus lib. 1. cap. 13. & cum eo alij, inter quos eſt etiam ipſe Auicen. 1. 3. tract. 3. cap. 1. ſcribunt in Phrenitide inflammari, vel membranam, vel cerebrum, ita vt de hac re nemini veſtrûm dubitandum ſit. Reſtat ſolùm contra ſentientium rationes confutare, ſi prius tamen dixero, quando ſcribitur cerebrum eſſe primarium locum, & ſubiectum Phrenitidis, ſumi poſſe dupliciter, & ſecundũ propriam ſubſtantiã, & prout eſt ſuis mẽbranis cõueſtitũ. Vtroq; enim modo Phrenitis ſemper eſt paſsio cerebri. Licet itaq; cerebri ſubſtantia magnas cum venas, tùm arterias non habeat, ſenſus nihilominus demonſtrat plures venulas per totam illius ſubſtantiam diſſeminari, per quas nutrimentum ad ipſum deffertur, in quibus propterea excrementa poſſunt colligi, quæ ad gignendam inflammationem ſunt accommodata. Neque etiam adeo mollis, & fluxilis eſt cerebri ſubſtantia, vt ad eam firmari non poſsint humores. Differt enim euidenter ab oſsium medulla, quæ pinguedini ſimilis eſt, vt ſcribit Gal. 1. de Motu muſc. vnde Hipp. lib. de Gland. hanc cerebri ſubſtantiam glandulosãm vocat. Præterea non eſt par ratio de pulmone, & cerebro, quoniam pulmo ob raritatem rarò eryſipelate afficitur; at cerebrum cum molle ſit, non rarum, eo frequenter corripitur. Quod verò ſcyrrhi in pulmonibus, & cerebri cor-

corpore vix gignantur, veriſimile inde fit, quod ſcyrrhus, vt vobis omnibus notiſſimum eſt, ex craſſo ſanguine generatur, ſed pulmo ex ſanguine tenui, cerebrum verò ex humido nutritur: quare ex apoſtemate cerebri etiam Phrenitis fiet, quoniam, vt ſcribit Auicenna, quod poteſt alimento extendi, poteſt etiam extendi præter naturam. Sic in hydrocephalis, quos infantes patiuntur, manifeſtè cerebri corpus intumeſcit, ex aduentante aqueo humore, & ideò nulli dubium ſit, quin cerebri caro, vt & muſculi phlegmonem pati poſſit. Mercatus tamen conſtanter negat, cerebrum in propria ſubſtantia vero abſceſſu poſſe inflammari; ſed ex receptione cuiuſuis humoris adeò creſcere, & membranas diſtendere, quod inflammationem æmuletur, ita vt Arabes, & alij Medici peculiare conſcripſerint caput de inflammato cerebro. Rurſus dicet aliquis Valleſium ſcripſiſſe 5. Epid. poſſe eſſe inflammationem in cerebro citra delirium, ex eo quòd in fractura capitis animaduerterit hominē, in cuius dura meninge manifeſta erat inflammatio, non deliraſſe. Quod Valleſij experimentum ſi verum eſt, corruit ſtatim illorum Medicorum opinio, qui cum Serapione, & Auenzoar lib. 1. tract. 3. cap. 5. exiſtimant è membranis in Phrenitide apoſtema pati durā potius meningem, quàm tenuem; quorum ſententiæ neq; adhærere vnquam potui, quoniam pia meninx cum ſubſtantia mollior ſit, necnon venis, & arterijs referta magis, & ob hoc pariter calidior, huic affectionis generi propenſior eſſe videtur. Vnde ad Valleſium dicatis Galenum ſermonem facere potiſsimum de tenui membrana, & de cerebro, quæ duæ partes adhærentes cum ſint, inuicem ſibi communicant affectiones; Et propterea ſcribit Gal. 4. de Præſag. ex pulſ. cap. 9. cerebrum ipſum, ac tenuem membranam, vſque adeò inter ſe connecti, vt neque ſine membrana cerebrum, neque membrana ſine cerebro laborare poſſit. Quod certè non videtur dicendum de dura meninge, quæ cum ſeparata ſit, ſola poteſt affici, neque cerebrum ita ei conſentire, niſi magna admodum ſit ipſamet inflammatio. Ad eos autem, qui dicūt Phrenitidem fieri ex inflammatis membranis, reſpondendum, & nos idem ſentire, dummodò & ipſi concedant quæ mox de cerebri corpore ex Galeni doctrina probauimus. Re vera tamen locus inflammationi magis opportunus videtur eſſe membrana, veluti cerebri

ſubſtantia compati magis apta. Vnde Gal. 1. Epid. 2. 73. ſcribit deliria fieri quando bilis per venas cerebri excurrit, fieri autem veram Phrenitidem, quãdo eadem bilis firmata eſt circa membranas. Ad Ariſtotelem denique quod attinet, dici poteſt ipſum non ſcribere Phrenitidem eſſe paſsionem ſepti tranſuerſi, quaſi in eo mens, & prudentia ſit, vt contra eum putaſſe videtur Hieronymus Mercurialis lib. 1. cap. 15. ſuæ Praxis; ſed ideò ex illius læſione mentem ſenſumq; perturbari, quia propinquum eſt ijs, quæ vim illam obtinent, nempe cordi, in quo ipſe Ariſt. animalem vim collocauit. Hæc pro Ariſt. Medici autẽ, inter quos eſt Gal. ex huius magni muſculi inflãmatione Phrenitidẽ fieri teſtantur, cerebro cõſortij lege impertita affectione, vt paulò infra vberius demonſtrabitur. Ad cauſam verò efficientem Phrenitidis, ſpectant verba illa definitionis, à calida ſiccaq; dyſcraſia, ſeu inflammatione cerebri, aut membranarum: in quibus quidem duo conſiderantur morbi in Phrenitide; calida, & ſicca intemperies, & tumor calidus mẽbranarum, aut cerebri. Dyſcraſia autem intelligitur cum materia, quæ in Phrenitide non in cerebri ventriculis abundat, ſed in eius ſubſtantia, aliàs cerebrum vt pars organica, aut inſtrumentalis afficeretur, cum hoc in affectu, vt ſimilare lædatur, Galeno auctore lib. 3. De loc. aff. cap. 7. Calidam verò, & ſiccam intemperiem dixi, quia ſermo nobis eſt de vera, & exquiſita Phrenitide, quæ ſemper ab huiuſmodi cauſa ortum habet. Inflammatio autem tripliciter accipi ſolet apud Medicos. Primùm enim accipitur pro ingenti alicuius partis accenſione, quæ alio nomine φλόγωσις dicitur. Deinde accipitur pro apoſtemate ex calidis ſuccis oborto. Denique capitur proprijſſimè pro eo tumore, qui fit à ſanguine. In Phrenitide igitur facta inflãmatio cuiuſmodi erit? Certè ad inflammationem ſecundo modo acceptam referenda erit, nempe ad eryſipelas, loquendo tamen de vera, & exquiſita Phrenitide, quæ eſt cerebri, aut membranarum eius apoſtema factum ex ſucco calido. Quare concludendum videtur ex ſanguine, & ex bile id ipſum contingere poſſe, tumoremq; fieri, vbi è venis in ſpacia cerebri exigua eius humor tranfluit. Quod quidem Aetius ſe vidiſſe teſtatur. Remanet Gal. locus ex 14. Meth. 1. qui contrarius eſſe videtur; nam ſcribitur eo loci eryſipelata minimè fieri in partibus inti-

intimis, ſed in cute tantum ; & ratio huius rei eſt, quia ſanguis tenuis, & bilioſus facilè elabitur, donec circa cutim firmetur. Vnde paulò ſupra ex eodem Gal. demonſtratum eſt, veram tunc gigni Phrenitidem, cùm bilis circa membranas firmatur. Verùm Domini, Galeni mos eſt, id quod rarò fit, contemnere, ac ſi nunquam contingeret. Propterea alibi etiam dictum fuit cum Galeni doctrina magis congruere, vt locus inflammationis in Phrenitide potius ſit vtraque meninx, & ſubſtantia cerebri magis compatiatur. Vtcunq; tamen ſit de hac dubitatione, vobis ſat erit non ignorare à iam dictis curandi rationem minimè alterari. Siue enim afficiantur membranæ ſolæ, quod vix creditur, ſi præſertim de tenui loquamur, ſiue vnà etiam cerebri corpus, quod receptiſſimum eſt apud omnes probatos Medicos ex actionum, quæ proprię ſunt cerebri ſubſtantiæ, læſione, vnus ſemper, & idem ferè eſt curationis modus. Priuſquam verò hodierno ſermoni finis imponatur, breuiter demonſtrandum quomodo Phreniticum delirium fieri contingat. Iam patet per Hippocratem inde inſania ad Democritum, ſanguinem probum maximè conferre ad prudentiam, vitiatum verò ad inſaniam, necnon tamdiu hominem ſapere, quādiu cerebrum quieuerit. Audite ergò Hippocratem ipſum in lib. de Morbis, vbi ſic loquitur. Cum bilis commota ad venas, & ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex contracta compage, & commotione dimouet, & ſeroſum facit, ac calefacit : Calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalfacit, & deſipit homo & non ſibi conſtat, ex ſanguinis ad ſeroſitatem tranſmutatione, & mutatione non ſolita contingente : ſimiles autem ſic ſunt, qui Phrenitide tenentur, & ab atra bile delirant. Et non ita poſt ſubiungit. Eo verò commoto neque viſum, neque auditum quieſcere ; ſed alios alia videre, & audire, & linguam talia loqui, qualia ſingulis vicibus viderit, ac audierit ; quamdiu verò cerebrum quieuerit, tamdiu etiam homo ſapit. Nunc de cauſis, vt ita vocem, humoralibus ipſius Phrenitidis ſermonem aggrediamur.

De cauſis omnibus Phrenitidis; in quibus dubitationes, & contrarietates in doctrina Galeni, & aliorum tolluntur. Lect. V.

EX qua nam materia Phrenitis fiat iã tempus poſtulat vt prò viribus oſtẽdamus, atque eò magis, quòMedici hac in re non ita ſibi conſtare videntur. Nam Gal. 4. de Cauſ. pulſ. 14 & 1.Epid.2. 73. immediatam Phrenitidis cauſam ſtatuit bilẽ, vel potius ſanguinem bilioſum, vt alij interpreta ntur;& 2. de Sympt. cauſ. circa finem,calidos,& mordaces humores, qualis maximè eſt flaua bilis,voluit eſſe cauſam Phrenitidis: ad quem modum ſcribit idem Galenus loco Epid. mox citato eundem humorem pro ſola ſitus, aut loci diuerſitate, & febrem ardentem, & Phrenitidem facere. Nam dum flaua bilis in vaſorum ſpacijs vnà cum ſanguine continetur, vtcunq; accendatur, contingit febres ardentes prodire, præſertim verò vbi in ventris, aut iecoris, aut pulmonis venis efferueſcit: ſin autem in cerebrũ, eiuſq; membranas impingatur Phrenitides inducit:Veruntamen Paulus,quem Galeni ſimiam appellant omnes,triplicem ponit materiam Phrenitidis cauſam,ſanguinem ſcilicet,bilioſum humorem, ac bilem præaſſatam, quæ iam ad atram inclinat. Putant aliqui Paulum cum Galeno poſſe conciliari, ſi dicatur ipſum voluiſſe non ſanguinem purum facere Phrenitidem, ſed ſanguinem bili commixtum. Quæ tamen conciliatio ex eo mihi non omnino quadrat, quòd Galenus tantum abeſt, vt hanc Phrenitidis cauſam ponat,vt 1. Pror. clarè dicat, ſi bili ſanguis admiſceatur, Phrenitides non veras,ſed comatoſas fieri. Vnde perpetuò Phreneſim affectum calidum, & ſiccum ſtatuit, & inde febres ardentes oriri ait, veluti & vigilias, quæ certè ab humida materia, qualis ſanguinea eſt, non proueniunt, & multa alia ſymptomata Phreniticis familiaria in ſiccitatem ipſius affectus reducit, & denique ſæpius dixit Phrenitidem tunc fieri, cùm bilis principis animæ ſedem occupat. Iccircò quando Auic.ſcribit à ſanguine bilioſo fieri,dubio procul intelligẽdus de ſanguine,in quo bilis potiſsimũ dominatur.

Quod

Quod etiam nobis ſignificare voluit Gal. 3. Epid. 3. dum eryſipelas cerebri Phrenitim eſſe prodit. Eryſipelas enim de eiuſdem Galeni ſententia 14. Meth. à ſanguine bilioſo prouenit, & 2. ad Glauc. 1. teſtatur eryſipelas fieri à ſanguine tenuiſſimo, & calidiſſimo, quod idem eſt; In lib. De tum. præter nat. cap. 10. tradit cauſam eryſipelatis eſſe bilem miſtam, vel ſanguini, vel aquoſo ſanguini. Et certè quando bilis expers eſt huiuſce miſcellæ, ita vt ſola ſit, atque ſincera, nec tumorem aliquem, nec pondus inducere valet, vt elicitur ex lib. De plenit. cap. vlt. quoniam antequam tumor fiat, & pondus perſentiatur, bilis hæc exulcerat, ideoque non eryſipelas; ſed herpetem progignit. Quamobrem non omninò ſine ſanguine bilis erit, quę eryſipelas facit, licet ſanguis in adeo exigua portione ſit, vt ſui notas non præferat, & ſola tantum bilis cernatur. Reſponderi etiam poſſet, Galenum propterea ſcripſiſſe interdum fieri Phrenitidē ex ſanguine, ideoq; tunc ægrotos inſanire cum riſu, & affectum non eſſe adeo pernicioſum, quia idem Gal. 2. De diff. febr. 9. & 2. De criſ. 12. ſcribit ſanguinem putreſcētem quoquomodo bileſcere, adeo vt ille quoq; ſub nomine bilis comprehendi poſſit. Diſtinctio à quibuſdam hoc in loco fit de eryſipelate exquiſito, ſimiliter de Phrenitide legitima, aut ſpuria, & notha: ſic enim omnis ſedatur controuerſia, omniſq; prorſus dubitandi occaſio tollitur, à qua non deſcendendum. Nos verò reliqua magis vtilia percurramus. Apud Oribaſium datur Phrenitis à pituita, quod quidem, quantum ego puto, de acuta, & ſalſa intelligendum à vobis eſt, niſi fortaſſe Orbaſius idem velit quod Auenzoar 3. Theiſir, vbi ſcribit, quod & ſi calidi humores ſæpius hunc affectum pariunt, ijdem tamen non puri ſunt, ſed plegmate aquoſo permiſti, à quo cerebrum non denudatur: quo in loco etiam tradit à melancholia naturali Phrenitidem poſſe fieri. Quinimò dubitari cum ratione poteſt an ex frigidis, & crudis ſuccis generari Phrenitis queat, propter Galeni locū, de quo infra in Lethargo, & qui habetur 3. Epid. ſect. 3. Comm. 45. vbi loquens de Phrenitide, cui coma iungitur, tradit hunc in modum fieri, quoniam ſcilicet ex horum ſuccorum crudorum multitudine, & frigiditate coma generatur, delirium verò ex acrimonia, & caliditate, quam ijdem putreſcentes pa-

riunt, ita vt velit Galenus cauſari delirium etiam à frigidis humoribus, non tamen propria qualitate, quatenus frigidi ſunt, ſed extranea, quam per putredinem acquirunt, duo acrimonia, & calore, cuiuſmodi delirium cum febre recenſet Hippocr. in tertio illo Epidemiarum. Diſcrimen autem huius Phrenitidis à Lethargo ponetur infra. Et hæc ſatis pro tẽpore dicta ſint de cauſis Phrenitidis immediatis, & humoralibus. Cauſę verò eiuſdem affectus internæ, ſed mediatæ, & naturales, ſunt craſis calida, & ſicca, cerebri præſertim, quemadmodum clare docuit Galenus 2. de Cauſ. ſympt. prope finem, ætaſq; iuuenilis; vnde Hippocr. 3. Aphor. 30. inter morbos iunioris ætatis Phrenitidem recenſet; & 7. eiuſdem operis 3. ſcribit Phrenitidem poſt quadrageſimum annum eſſe incurabilem. Indicio enim eſt magnam eſſe cauſam, cum propria non ſit illius ætatis. Inter eaſdem cauſas, ſed præternaturales collocari poteſt conſuetę ſanguinis euacuationis retentio, vel ſuppreſsio, aut menſium, aut hæmorrhoidum, aut ſanguinis è naribus potiſsimum defluentis. Nonnulli ſiquidem ſunt, quibus à primis annis ex naturæ præſcripto ſanguis è naribus feliciter erumpit, vt nos docuit Celſus lib. 2. cap. 7. in quibus eiuſmodi euacuatio ſupprimenda non eſt, niſi poſt tranſactum quadrageſimum annum, de eiuſdem Celſi doctrina. Inter externas verò cauſas, quæ non naturales dicuntur, recenſendus in primis aer nimium calidus, & ſiccus, tempuſq; æſtiuum, iuxta illud Hippocr. 3. Aphor. 7. In ſiccitatibus acutæ fiunt febres. Hùc facit quod Alexander Aphrodiſeus 1. Probl. 76. refert canes in æſtate maximè rabie tentari, quæ rabies veluti quædam Phrenitis eſſe videtur. Quod Plutarchus perbellè nos docuit in eo opuſculo; Quod bruta rationem habeant, vbi probat canes non eſſe prorſus expertes rationis, quia rabie tentantur, quæ quidem rabies eſt veluti Phrenitis in homine, quaſi canes tententur affectu rationalis fscultatis, ſicut & ipſi homines; Præterea inter cauſas Phrenitidis procatarcticas referunt longa mora ſub Sole, balneum impenſe calidum, fortes capitis frictiones, calidorum appoſitio, corpore præſertim pleno exiſtente, crapula, ebrietas, ira, caſus, percuſsio, nimiæ vigiliæ, vehementes corporis exercitationes, aſsiduæque

animi

animi curæ, & nimia denique in ſtudijs ſollicitudo. Ab his enim omnibus ſicciores euadunt humores, & ſanguis totus bilioſior redditur, ſicuti etiam ab vſu eorum in cibo, & potu, quæ valde calida ſunt, acria, atque ſalita, & præcipue à frequenti potu generoſi, & meraci vini. A qua cauſa dicitur apud Moſcouitas complures videri Phreniticos, propter vſum aquæ vitæ, & aromatum, quibus ſubinde vtuntur; & hæc breuiter de cauſis omnibus Phrenitidis; nunc verò eiuſdem differentias proſequi oportet, de quibus hodie agere ſuperſedeo, legitima ex cauſa impeditus.

Differentiæ Phrenitidis, & quænam ſit vera cauſa ſimilitudinis Phrenitidis, cum delirio per conſenſum à Diaphragmate. *Lect. VI.*

PLVRES ſunt Phrenitidis differentiæ, ſed eſſentiales magis illæ eſſe videntur, quæ & à ſubiecto, & à cauſis tàm formali, quàm efficiente deſumuntur. Differentiæ itaque à ſubiecto ducuntur à cerebro diuerſimode affecto, ſed ante omnia à varietate partium, ſecundum quas laborat. Nam vel ſubſtantia, vel tenuis, ſeu craſſa membrana, vel dextra, aut ſiniſtra, vel anterior, ſiue poſterior, mediave pars cerebri afficitur. Hæc fuit ſententia Poſsidonij apud Aetium, Nemeſij de natura hominis cap. 13. & potiſsimum Auicen. cap. de Anat. cerebri imò & eandem habuiſſe Galenum lib. 1. Proret. 27. multi contendunt. Ex quibus quidem differentijs alii aliter, ac nos diſſoluunt Problema iam propoſitum, quomodo vna ex primarijs actionibus lædatur, altera illæſa, & ſalua remanente. Reſpondent enim ſingulas facultates in ſingulis ſeparatis cerebri ſedibus, imaginationem in parte anteriori, rationem in media, memoriam in poſtrema reſidere. Quæ tamen diſtinctiones ad curandi methodum, vel nihil, vel certè parum conducunt. Differentiæ à formali cauſa, quæ eſt cerebri functio principalis deprauata, in tres (vt ita dicam (ſpecies diſtinguuntur, quarum duæ ſimplices ſunt, & tertia ex vtriſque compoſita, quæ omnes

à varietate læſionis operationum deducuntur. Aliquando enim ſola deprauatur imaginatio, aliquando ſola ratio, aliquando verò vtraque ſimul. Vnde aliqui reperiuntur Phrenitici qui malè imaginantur, ſed ritè diſcurrunt, alij de rebus viſui ſubiectis rectè diiudicant, ſed circa illas ineptè ratiocinãtur, alij demum ſunt, qui vtrunque malè agunt, vtpote quibus imaginatio corrupta eſt vnà cum diſcurſu. Prima differentia, in qua nimirum imaginatio permanet illæſa, ratione perturbata, Phreniticus ille laborabat, qui primum vaſa vitrea, deinde puerum per feneſtras proiecit: Secũda, in qua ſcilicet imaginatione dũtaxat lęſa, ſalua reſtat ratiocinatio, laborauit ipſe Galenus cum feſtucas in lecto, & floccos in veſtibus colligebat, colloquentes verò amicos intelligebat, qua etiam differentia detinebatur Theophilus Medicus. Poſtrema differentia, in qua ſimul & imaginatio, & diſcurſus læduntur, viſus eſt laboraſſe puer ille lanificus. Quæ abundè omnia docuit nos Gal. 4. De loc. aff. 2. & de Diff. ſympt. cap. 3. Demum differentiæ illæ in curanda Phrenitide magni faciendæ ſunt, quæ deſumuntur ab efficienti cauſa, hoc eſt à materijs, ex quibus diuerſitas fit ſymptomatum, & affectus grauior, vel leuior eſſe dignoſcitur. Hoc clarè elicitur ex Gal. 3. de Loc. aff. 70. vbi tradit iuxta diuerſitatem bilis, ex qua efficitur, aliam Phrenitidem mitem eſſe, aliam ferocem, & immanem. Itaque ea mitis eſt, quæ ex pallida bile oritur, eſt enim bilis hæc prorſus ſecundum naturam, & adhuc mitior admixtione ſeroſæ, ac tenuis humiditatis, vel pituitæ naturalis; flaua autem calidior cum ſit, & acrior, ideo affectum deteriorem facit; peſſima omnium eſt, quæ ex bile fit præaſſata non quod atra bilis iam effecta ſit; ſed quæ in via eſt, vt fiat. Quæ namque atra exactè eſt, maniam facit ſolùm, non item febrem, quoniam quod exuſtum eſt, putreſcere nullo modo poteſt. Vnde verè maniaci à febre ſemper liberi, & immunes exiſtunt. Quando Hipp. 6. Aphor. 53. dixit. Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, minus periculoſæ ſunt, quæ autem cum fletu periculoſiores, ad qualitatem humoris deſipientiam facientis & ipſe reſpexit, prout ſcilicet magis ſincerus eſt, vel temperatus; ſemper enim mitior erit Phrenitis ex pallida bile, ob admixtam pituitam, quemadmodum adhuc mitior erit; ſi admixtus ſit ſanguis, comparatione fa-

ne fa-

ne facta cum ea, quæ ex bile flaua ſincera fit, vel exuſta. Sunt & aliæ Phrenitidis differentiæ neutiquam cōtemnendæ, inter quas ſunt differentiæ à tempore depromptæ, cum alia Phrenitis in principio ſit, alia in augmento, alia in ſtatu, & declinatione; quæ differentiæ maxime faciunt ad curationem, eo quod pro diuerſa temporum ratione, varia quoque adminiſtrari debent remedia. Alia etiam Phrenitis in habitu eſt, quæ dicitur hectica; alia eſt in affectu, ſeu diſpoſitione, quæ ſimpliciter Phrenitis nominatur. De qua differentia mentionem facit Galenus 1. Prorr. 33. In hectica enim Phrenitide diffuſa eſt bilis per vniuerſam cerebri ſubſtantiam, ita vt cerebrum inſtar lanæ cuiuſdam totum ſit bile infectum, & imbutum: qua quidem laborantes quietè admodum, & pacatè mouentur, breuiſſimè loquuntur, ac vix laborare creduntur. Alia demùm vera, & exquiſita eſt Phrenitis, alia non vera, nec exquiſita, ad quam ſpectat illa Phrenitis, in qua cerebrum, conſentiente aliqua inferiore parte, laborat, licet quæ per conſenſum fit, non Phrenitis, ſed Paraphrenitis dicatur. Aliqua tamen eſt dubitatio de delirio à ſepto tranſuerſo cerebro communicato; quod vſque adeo continuum, & perpetuum eſt, vt veram Phrenitidem ab inflammatione cerebri, & membranarum eius concitatam mentiatur. Quod quidem quamobrem eueniat, non inutile forſitan erit nunc diligenter perquirere. Delirium itaque quod per conſenſum fit, non autem primaria affectione in cerebro exiſtente, neque perpetuum eſt, neque continuum, ſed fugax, ſed interpollatum, & ideò pſeudodelirium potius à Medicis appellatur; quale omnino eſt, quod ſæpiſsimè in febrium acceſſionibus obſeruamus, ad quarum decrementum & ipſum decreſcit. Inſuper videmus multarum partium inflammationes, velut hepatis, ventriculi, & pulmonum, delirium parere, cerebro impertita affectione; ſed & huius generis Phrenitis leuior eſt, & quàm cito euaneſcit, ſub nomine propterea Paraphrenitidis comprehenſa, ſola diaphragmatis inflammatio delirium facit continuum, quod veram Phrenitidem ab inflammatione cerebri, & membranarum eius concitatam æmulatur,

tur, ita vt non niſi à perito in arte dignoſci poſsit. Quam Phrenitidem deſcripſit eleganter Hippocrates lib. 3. De morbis per hæc verba. Phrenitides fiunt etiam ex alijs morbis. Patiuntur autem ægri hæc; ſeptum tranſuerſum dolent, vt ne contingere quidem permittant, & febris accedit, & mente mouentur. Huius forte generis ea fuit Phrenitis, de qua ſcribit Hippocrates 5. Epid. cum ait Coco in ſpina gibboſitatem factam eſſe ex Prhenitide. Cuius rei argumento illud eſſe poteſt, quod illi nulla medicamenti potio conferebat, nempe acrioris, qualibus ea ætas vti ſolebat. De hac eadem Phrenitide leguntur multa apud Galenum 5. de Loc. aff. 3. Quinimò & Ariſtoteles eandem cognouit, dum 3. de Part. anim. 10. refert veteres vocaſſe diaphragma phrenas, eo quod ex illius inflammatione mens, & ratio perturbatur. Qui verò huiuſmodi muſculum ita vocatum fuiſſe exiſtimant, quod particeps ſit prudentiæ, aut quod ad ſapientiam quicquam conferat, irridentur manifeſtè ab Hippocrate in lib. de Mor. ſacro quando ait. Præcordijs fortuitum nomen, & per conſuetudinem impoſitum eſt, non ex rei natura, neque enim quam vim habeant præcordia, vt ſapiant, & intelligant, ego vnquam noui; Quare concludendum ſeptum vocatum fuiſſe phrenas, non quod ſapiat, ſed quòd ex illius inflammatione ſubſequatur Phrenitis, delirium quippè continuum cum acuta febre, vigilijſque coniunctum. Qua in re duo veniunt diligenti examine trutinanda, pro curatione rite facienda admodum neceſſaria. Primum, quomodo Phrenitis ex primaria cerebri affectione dignoſci poſsit ab hac altera Phrenitide per conſenſum à diaphragmate enata. Secundum; quæ nam vera ſit cauſa, propter quam eiuſmodi delirium cum cerebri delirio ita conſentit, vt vnum ferè, & idem eſſe videantur. De primo erit ſermo infrà, cum de ſignis agam, nunc verò de ſecundo, ſeu de ratione tam mirabilis conſenſus loquamur; Franciſcus Valleſius 3. Epid. ſect. 1. Comm. vlt. dùm cauſam quærit, cur à diaphragmatis inflammatione Phrenitis oboritur, ad analogiam id refert, quæ eſt inter ſeptum, & cerebrum; ſed obſe-

cro

cro Domini, quæ nam eſt hæc ſimilitudo ſepti cum cerebro? Nam diſtincta prorſus eſt natura cerebri, & diaphragmatis, quoniam cerebrum totum ſpermaticum eſt; At ſeptum multa ex parte carnoſum. An ſimilitudo ſubſtantiæ? Certè ego non video quæ ſimilitudo ſubſtantiæ ſit inter cerebrum, & membranam, ne dicam quod ſi ſimilitudo id faceret, cur eandem non habebit & pleura, ex cuius inflammatione ſequitur etiam delirium? Galenus 6. Epid. comm. 1. irridet eos, qui teſtibus cerebrum condolere aſſerunt, quod ſubſtantia cum cerebro eandem ſint conſecuti, & eos pariter, qui vterum cerebro ſuas communicare affectiones exiſtimant, propter ſimilitudinem quandam ſecundum corpoream propriæ ſubſtantiæ eſſentiam. Vnde vereor ne Valleſius, alioqui aculatiſsimus in huiuſmodi lapſum inciderit. Scitote itaque conſentire maximè cerebro neruoſas partes, poſt eas, quæ multas euaporationes tranſmittere poſſunt. Vterus in primis, & pulmo euaporationis ratione malum impertiri videntur. Promptè ſiquidem à pulmonibus in caput efferuntur vapores, promptè & ab vtero, ob arterias, & venas, quas tùm plurimas, tùm maximas vterus habet, vt voluit in citato loco Galenus: Non negauerim tamen ex eodem Galeni loco, magnam eſſe ſympathiam cerebri cum vtero, propter neruos, & membranas ſpinalis medullæ, ex qua cauſa non infrequenter in mulieribus dolor in occipite fit. Prima verò ratione, nempe quod neruoſa corpora ſint, cerebro conſentiunt ventriculus, & ſeptum. Sed in hac re videor mihi audire aliquem veſtrûm obijcientem, ventriculi inflammationem perpetuum delirium cerebro non communicare, quemadmodum facit inflammatio ſepti, & nihilotamen conſtat ad os ventriculi ſupernum à ſexto neruorum pari quam plures neruos, eoſque non exiles demandari. Quamobrem huiuſce præclaræ dubitationis ſolutio ab altiori principio petenda eſt. Puto igitur vnà cùm alijs viris doctiſsimis adeò mirabilem ſocietatem, quod ad rem noſtram facit, non inde prouenire, quod magna vaſorum ſit communio inter cerebrum, & ſeptum, licet & hoc aliquid præſtet, nerui enim ad ſunt inſignes, ſed potius quia inflammatio facta in ſepto, magis

reſpi-

reſpirationem impedit, quàm alijs in partibus facta. Nam ſeptum ipſum præcipuum eſt reſpirationis inſtrumentum, & ex præpedita reſpiratione calor adaugetur in thorace, & in corde; & ideò ſanguis attenuatur magis, atque bileſcit, accedente præſertim perenni illius muſculi motu, quo nomine cerebrum ſanguis ille aſcendens eryſipelas in eo accendit, & Phrenitidem parit, & hic finis eſt differentijs Phrenitidis.

De ſignis Phrenitidem ab alijs conſimilibus morbis diſtinguentibus. Lect. VII.

DE differentijs Phrenitidis hucuſque abundè peregimus, iam ſigna videamus; quæ in tres claſſes à bona Medicorum ſchola diuiduntur. 1
Vna ſiquidem illa percurrit ſigna, quibus vera Phrenitis ab alijs conſimilibus morbis dignoſcitur. Altera eorum eſt ſignorum, quæ Phrenitidem primùm futuram, ſeù imminentem, deinde verò iam preſentem oſtendunt. Poſtrema claſſis verſatur circa ſigna, quibus ſalutem, aut mortem prædicere valeamus. In primis autem magni facienda ſunt pathognomonica ſigna; ſed ea potiſſimum, quæ futuram indicant Phrenitidem, licet apud Aurelianum diſputatum ſit, an haberi poſſint impendentis Phrenitidis ſigna. Nam vbi iam facta eſt, Phrenitis clariſſima omnibus fit, ſed curatu per quàm difficilis, ne dicam impoſsibilis tunc euaſit. Quare in hoc Medicus debet eſſe inſtar boni, & exercitati olitoris, quoniam vt hic nuper natas, & vix è terra emergentes herbas diſtinguere, & proprio etiam nomine nouit, ſic ille morbos non tunc ſolùm, cùm euidentes ſui notas omnibus præbent; ſed tunc etiam cùm obſcuræ adhuc ſunt, & ambiguæ noſſe tenetur. Propterea videmus Rhaſim cap. de Phrenit. non item in alijs præcedentibus, ſigna pro cognoſcenda Phreneſi futura tradidiſſe. In morbis enim diuturnis illa præcognitio non admodum refert; ſed in acutis, & periculoſis morbis, qui derepente iugulant, inter quos enumerari Phrenitis poteſt,

poteſt, neceſſaria omninò eſt præcognitio antequam fiant, quia dum facti ſunt, ipſos cognoſcere, aut nihil, aut parum certè iuuat. Vnde ſumma cum ratione dicebat Hippocrates in lib. De rat. vict. in acut. ab initio. Maximè laudauerim Medicum, qui in acutis morbis, qui vt plurimum enecant, inſigniter ad laudem excelluerit. Gal. ideo 4. de Loc. aff. de ſe ipſo clamabat, vt præcauerent eum à Phrenitide impendente, quia poſtquam facta eſt, vix curationẽ admittit. Verùm nos videamus prius, quæ nam illa ſint ſigna, quæ veram, & exquiſitam Phrenitidem ab alijs, quę cum ea ſimilitudinem habent, affectionibus diſtinguunt: Plures enim ſunt, quæ huic aſsimilantur, paſſiones, nimirum mania, melancholia, pleuritis, peripneumonia, alienatio mentis eorum, qui altercùm, vel mandragoram potarunt, & denique eorum, qui ſepti tranſuerſi inflammatione laborant. Incipiam autem à notis illis, quæ veram Phreneſim à delirio per cõſenſum diaphragmatis nobis interſtinguunt; pro qua re neceſſe eſt non ignorare, Phrenitidis ab inflammatione illius muſculi enatæ quatuor eſſe propria, eaq; manifeſtiſsima ſigna, quæ ſunt reſpiratio parua, & frequens (licet interdũ magna. & anguſtioſa ſit, ex Gal. 4. de Locis affect. 2.) vox acuta, hypocondriorum intro ſurſum reuulſio, & deniq; circa muſculi regionem mala ſenſatio; Quæ quidem omnia & ab Hippocrate, & ab ipſa rei natura depromuntur. Primò namq; in Phrenitide idiopathica, quæ eſt ex primaria affectione in cerebro exiſtente, reſpiratio magna, & ex longis interuallis, quam raram vocant, obſeruatur, quod nos docuit Hippocrates in Progn. Prorrhet. & Coac. prænot. Cuius rei ratio ſi quæratur, cum crebra, & frequens potius eſſe deberet, vt euenit in morbis omnibus ardentibus, hæc erit: Quia Phrenitici mentem oblæſam habent, & multis obrutam imaginationibus, ideoq; neceſsitatẽ minimè percipientes, rarã, & ex longis interuallis ductam habent reſpirationem, pro velocitate verò magnitudo ſuccedit, vt omnibus contingit, qui mentem aliò auerſam habentes, diù reſpirationem cohibent, vt quædam fiat cõpenſatio. At in Phrenitide ſympathica ex conſenſu videlicet diaphragmatis reſpiratio parua eſt, & frequens; parua quidem, ob inflammationem partis reſpirationi inſeruientis. Inde enim fit, vt in omnem dimenſionem dilatari thorax non poſſit, vt nec liberè colligi ad in-

ſpirandum, expirandumue, vt in altera verè Phrenitide euenit, in qua reſpiratoria organa libera ſunt: frequens verò vrgente neceſſitate, & febrili incendio, vnde paruitas crebritate compenſatur. Secundò delirium à ſepto ab altero exquiſito cognoſcitur, vocis ſigno, quoniam in Phrenitide ex cerebri primaria læſione, vox grauis eſt, grauiterq; vociferantur ægrotantes ipſi; ſed oppoſitum obſeruatur in altero, nempe acuta vox, quia ſcilicet diaphragma primarium eſt reſpirationis inſtrumentum, quod vbi afficitur, & ſurſum ab inflammatione contrahitur, thorax anguſtior redditur, & ita vox exilis, & acuta euadit. Tertiò in Phrenitide per conſenſum diaphragmatis, hypocondria intro ſurſum reuulſa apparent, vt proditum legitur ab Hipp. in Coac. prænot. Aphor. 55. Cuius ſententiæ veritas ex anatome ſatis ſuperque demonſtratur. Septum enim ſuperiore parte tegitur pleura, inferiore verò peritonęo, quod quidem membra omnia naturalia, & in inferiori ventre ſtabulantia ad inſtar ſacchi cuiuſdam complectitur, ſinguliſque propriam largitur tunicam, quamobrem inflammatum diaphragma, cum ſurſum retrahatur, & vnà ſecum peritonæum adducat, cum ipſo peritonæo contrahuntut hypocondria, hepar, lien, ventriculus, viſceraque omnia per ſympathian, & ita fit hypocondriorum intro ſurſum reuulſio. Quartò & poſtremò clarè dignoſcitur delirium diaphragmatis, quia dolor eſſe ſolet circa partem illam, vt Hipp. voluit lib. 3. De morb. Concludatis itaq; in Phrenitide ex diaphragmate adeſſe reſpirationem paruam, & frequentem, vocem acutam, hypocondria intro ſurſum reuulſa, & dolorem circa illius muſculi regionem. Qui propriè Phrenitici exiſtunt (ita loquitur Trallianus lib. 1. c. 13.) à delirantibus ex partium conſortijs diſtinguuntur, quod ipſis febris adſit perpetua, oculi cruenti; ſanguis è naribus profluat, & caput ſit calidius. Nam qui ſepto tranſuerſo laborant, ijs caput non eſt adeo calidum, vt præcordia, ipſumque ſeptum; ægrè magis ſpirant, & inæqualem valde ſpirationem edũt; Diſcernes autem Phreniticos ab inſanientibus, eo quod inſania quidem, quæ Græcè mania dicitur, citra febrem; Phrenitis autem, vt diximus, ſemper cum febre ſpectetur. Quod ſimiliter dicendum vobis erit de ijs, qui cicutam, aut mandragoram potarunt, in quibus etiam pulſus valde raros obſeruabitis. Delirium autem pleuriti-

riti-

riticorum, velut eorum, qui peripneumonia detinentur, non continuum eſt, ſed ſimul cum febris acceſſione augetur, & poſtmodum decreſcit, eſtque omnino pſeudodelirium. Nunc reliqua ſigna adeamus.

Signa tàm impendentis, quàm præſentis Phrenitidis, nec non differentiarum, & cauſarum eius. Lect. VIII.

IVXTA Rhaſis, Tralliani, & aliorum cùm veterum, tùm recentiorum Medicorum conſilium, notas primùm, & ſigna incipientis Phrenitidis, mox verò conſiſtentis, ſeu iam præſentis breuiter oſtendamus. Erit enim maximè vtile ad præſeruationem ſimul, & curationem ex methodo inſtituendam. Quamobrem ſcitote quòd cum Phrenitis inflammatio ſit cerebri, & membranarum eius, vt iam ſæpe audiuiſtis, in prima ſui generatione, notas aliquas ſiccitatis, & ardoris præſeferat neceſſe eſt, & bilis potiſſimum, quæ ad caput mouetur. Propterea quibus imminet Phrenitis, vigiliæ, ac turbati in primis fiunt ſomni, pleni inquam multis imaginibus. Feruntur enim vapores prius in cerebrum, qui quidem ſua mordacitate, ac ſiccitate cerebri membranas vellicant, & ſiccant, vnde vigiliæ. Ab eadem cauſa fit etiam illa viſorum turbulentia, vt in ebrijs videmus, & qui vel dorichnium, vel hioſcyamum biberunt, exemplo eorum qui ex vaporibus ſuffuſos habent oculos, qui varias quaſdam rerum imagines ſe videre arbitrantur. Hinc ſolent iſti, qui non ita poſt Phrenitide corripiendi ſunt, feſtucas, & floccos ex pannis, & lecto colligere. Imagines enim illas, quæ circum oculos ipſorum ob aduſtos vapores voluuntur, autumant eſſe in ſtragulis, & veſtimentis, & ideo eas conantur euellere, & auferre, accedente ſcilicet mentis errore; Ex hoc Galenus in ſeipſo Phrenitidē imminentē prædixit. Solent quoque Phrenitici prius quam tales euadant, lingua eſſe incontinentes, hoc eſt plus cōſueto loqui, & nugari, & propterea in Phreniticis Epid. Hipp. notantur multa verba. Imò cum reſpondent, ferociores, ac iracundiores, quàm prius apparent. Vnde Hipp. 2. Prorh. rectè ſcripſit oportere Medicum mores ægri perſpectos

habere; nam in compoſito,& modeſto homine ferox reſponſio delirium portēdit. Indicio enim eſt iam mentem calore, & fuliginoſis vaporibus conturbari. Præcedere etiam ſolet dolor capitis, nonnunquam in occipite. Hinc capitis,& colli doloroſa grauitas Tertio in tertium Epid.73. necnon luminis, & ſplendoris horror, rubor vultus, rubor oculorum, calore capitis ſurſum ſanguinem attrahente;à qua cauſa pariter obſeruantur aliquādo in futuris Phreniticis obliuiones. Ideo cùm familiaribus præcipere quædam incipiunt,ad alia conuertuntur,eorum, quæ ab initio iniuncturi erant, obliuiſcentes. Hæc,& conſimilia ſunt morbi incipientis præludia, ſeu inſtantis Phrenitidis præcipua ſigna;poſtmodum augeri cuncta in horas, & momenta videntur. In primis enim dolores minimè ſentiunt, mentem habentes ægrotantem, atque aliò auerſam, ex continuo imaginationum motu. Hinc oritur quod nulla de re conqueruntur, etiam ſi quis acrius premat, aut pungat, quia mens occupata circa phantaſmata, non percipit ea,quæ ſenſibus offeruntur. Nam,vt dicere ſolebat Epicharmus;Sola mens audit,& videt, cætera ſunt cæca, & ſurda. Et potiſsimum abſque ſiti eſſe videntur, cum tamen ſitis cauſam habeant vrgentiſſimam, linguamque prorſus aridam. Quò reſpexit Hipp.6. Epid. & 1. Prorreth. cùm Brachipotas,ideſt parū bibentes Phreniticos appellauit,non quod ſcilicet non multo egeant potu; ſed quia non expetunt, ſitim non ſentientes; qua etiam ratione in ijſdem ex toto ſæpe ſupprimitur vrina,& ſpiratio ex longis interuallis hoc eſt rara fieri ſolet,& magna,non crebra,& velox,vt contingere deberet in ardente morbo; cuius euentus perbellam affert explicationem Alexander Aphrodiſeus 2.Probl.1.vbi tradit fieri reſpirationem tardam;quia læſa eſt facultas animalis,quæ thoracem mouet, ob quam læſionem velut obliuiſcitur eum mouere; vnde tarda fit reſpiratio, donec neceſſitate quadam excitata facultas vitalis animalem ſuſcitat, quæ tarditatem reſpirationis magnitudine compenſet.Sed vbi iam malum ad vigorem peruenit,in extrema ſæuitia apparent accidentia quęuis,vt nemini dubium eſſe poſſit,quin vera, & exquiſita ſit Phrenitis. Nam,vt nos docuit Gal.5.de Loc. aff.2. & 1. Prorreth. 10. & cum eo Rhaſis, & Auicenna, iam ratio vndique abolita eſt, facta maiori ex parte intemperie,& ideo clamant,rixantur,lecto exiliunt

liunt,ſe,& alios pugnis percutiunt, dentibuſq; quicquid obuiam fit mordent, & dum corpus mouere nequeunt,linguam, & oculos mouent. Pulſus in his ſolent eſſe parui,duri,neruoſi,non nihil vndoſi,quam celerrimi, & quibus hoc ferè adeſt perpetuò, quod ego etiam in praxi millies animaduerti; vt cum conuulſione quadam motus eorum abrumpatur. Parui quidem, quia cor compatitur, itemq; duri propter membranam cerebri inflammatam,quam celerrimi, ob impenſè adauctam neceſsitatem propter febrem, interdum vndoſi, quia afficitur cerebrum; quod eſt membrum molle, præciſi denique, & cum conuulſione quadam, quoniam natura neceſſitate coacta nititur intendere arteriam,quæ tamen ſua duritie obſtat. Vrinæ verò vt plurimum albæ, & aquoſæ,in quibus aut nihil apparet, aut nebula turpiſsima in altum eleuata. Præſens quoque Phrenitis dignoſcitur è lingua ſcabra, & ſicca, aliquando nigra, aliquando citrina. Sicca enim fit,dùm ab incendio, & vaporibus calidioribus extima tantùm linguæ humiditas abſumitur, aſpera, & inæqualis dùm etiam interior, & vbi vapor linguam petens bilioſus eſt,lingua ipſa citrina apparet; vbi vehementer exuſtus,ac fuliginoſus, nigra. Dicebat enim Hippocrates *6.* Epid.ad finem: Lingua concolor humoribus ipſam attingentibus: ſquallidi cernuntur oculi, ideſt aridi, & ſicci,ob ſiccatas membranas, & cerebrum, vnde aluntur, & humorem ſuſcipiunt,interdum verò præter voluntatem illachrymant, ob partis imbecillitatem, à qua veluti non continente ſponte exeunt excrementa; Rubore oculi tunc maximè ſuffuſi apparent, è naribus non rarò ſtillat ſanguis,denique continuò delirant, aſſiduaque febre vruntur. Signa verò differentiarum quæ nam erunt? Vtrum itaque cerebri ſubſtantia, an membranæ afficiantur,colligi ex eo poteſt,quod membranarum dolor cerebri dolore longe ſit intenſior; quoniam membranę exquiſito,cerebrum autem aut nullo, aut leuiſsimo ſenſu præditum eſt, vt,cùm de capitis dolore agebatur, abundè vobis oſtenſum fuit. Similiter inflammatione cerebrum obſidente, omnia ſunt deteriora adeo, vt ſcribat Auicen. 1. 3. tract. 3. cap.4. aliquando ſuturas capitis ſeparari; Vtrùm tamen cerebrum,an membranæ prius laborent,diligentius inueſtigare ſuperuacaneum omnino eſt, nec vllam habet vtilitatem, etiam de Galeni ſententia 2. de Loc.

aff. 9. quemadmodum quæ nam pars dextra, an ſiniſtra, anterior, an poſterior, & demum quales nam actiones principes, an vna, vel plures, an omnes lædantur. Quod omnibus ex ratione delirij manifeſtum fiet, prout ægri vel imaginatione, vel ratiocinio decipiuntur. Quomodocunque enim ſit, nulla eſt in curatione varietas, & ſemper ad ſinciput capiti remedia adhibentur. Signa cauſarum prætermitto, quia tàm externæ, quàm internæ cauſæ ſatis ſunt manifeſtæ, illæ ex aliorum relatione, hæ verò quia quando cum oculis, & facie totum caput calidum, & rubicundum apparet, vrgent vigiliæ, ſitis, & ſimilia, hæc profectò calidam cerebri intemperiem, & calidos, atque mordaces humores oſtendere ſolent. Signa autem ex tempore inflammationis à ſymptomatibus potiſſimum deſumere oportet, prout illa incipiunt, aut creſcunt, aut vigent, aut decreſcunt. Signa hecticæ Phrenitidis exactè deſcribuntur 1. Prorrh. 33. Aegrotantes enim in ea parum loquuntur, parum mouentur, ac ferè videntur quieſcere, ac dormire: quod certè non alia ex cauſa euenit, niſi quia æqualis quædam facta eſt intemperies, & res ad quendam velut habitum deducta eſt, quæ nullam ferè affert moleſtiam. Signa denique veræ, & exquiſitæ Phrenitidis explicantur à Galeno 5. De loc. aff. 4. Si enim caput laboret per conſenſum, vel vniuerſi corporis, ſicut in febribus ardentibus contingit, vel per conſenſum à pulmonibus, pleura, vel aliqua alia parte laborante, tunc huius partis vel dolor, vel inflammatio, vel alia affectio præceſsit. Accedit etiam quod illud delirium de repente, & ſubito hominem arripit, quod in vera Phrenitide non euenit, in qua ſanguis non ſtatim, & confertim, ſed paulatim repit ad caput, vnde varia ſymptomata præcedere ſolent, antequam Phrenitis ex primaria cerebri affectione inſurgat, de quibus nos paulò ante ex Rhaſi, & Tralliano loquebamur, iam de ſignis agamus prognoſticis.

De

De Prognoſtico in Phreniticis, & an vrinæ inſpiciendæ ſint in affectibus capitis. *Lect.* *IX.*

PROGNOSTICA ſigna Phrenitidis, quibus vel ſalutem, vel interitum ægrotantis prædicimus, ex vniuerſali methodo comprehenduntur, in qua primùm vires morbo comparantur: Nam in magno morbo vires imbecillæ ſuccumbunt. Ad quem modum Gal. 10. Meth. 3. generaliter docet in omnibus internis inflammationibus, in virium robore vnicam ſpem ſalutis eſſe. Quantum verò morbus naturam ſuperet, ex coctionibus, & cruditatibus ſæpius dignoſcitur. Qua ratione ſcripſit Hippocr. 4. Aphor. 72. Quibus vrinæ albæ ſunt, & perſpicuæ malæ, maximè ſi tales in Phreniticis appareant. Oſtendunt enim maximam humorum cruditatem, necnon flauam bilem ad caput aſcendere: Vnde Gal. in Comm. teſtatur ſe neminem ſaluatum vidiſſe, in quo huiuſmodi vrina viſa fuerit. Cæterum vt de morbi exitu felicius iudicare poſsimus, morem in primis ipſius morbi ſpectare debemus, qui quidem ex ſuperuenientibus ſymptomatis, quæ Hippocrates explicat in Prorrh. facilè cognoſcitur. In vniuerſum tamen ſcitote Phrenitidem potius eſſe lethalem, vtpotè ex qua plurimi intereunt. Aliqui nihilominus etiam ſeruantur, imò & ex illis, in quibus conſummata eſt Phrenitis, quique floccos, & feſtucas colligunt, licet oppoſitum ſcribat Hippocrates 1. Prognoſt. 23. Vnde idem auctor lib. 1. de Mor. inter morbos dubios Phrenitidem connumerat, qui nimirum ancipites ſunt, inter lethales, & ſalubres. Quò reſpexit Demetrius Herophili ſectator apud Aurelianum, qui Phrenitidem definiens dicebat eam eſſe delirationem vehementem cum febre, deſinentem in interfectionē celerem, aliquando & in ſanitatem. Hinc Trallianus gloriatur ſe aliquos liberaſſe, & apud Gal. lib. 1. Epid. ſect. 2. t. 73. Phrenitis dicitur vt plurimum mortalis, non tamen perpetuò. Quod quidem de alijs omnibus Phrenitidis differentijs intelligendum eſt, præterquam de hectica Phrenitide vocata, à qua neminem poſſe in priſtinam ſanitatem reſtitui, communis eſt omnium Medicorum

conſenſus. Atqui in Phrenitide triplex illa rerum præter naturam vehementia inſignis admodum reperitur, eſſentiæ inquam, dignitatis, & facultatis. Inſignis adeſt vehementia eſſentiæ, quoniam in Phrenitide magnus eſt receſſus à naturali ſtatu, ſecundum morbos, cauſas, & ſymptomata: ſecundum morbum, quia intemperies capitis calida, & multum vehemens, febriſq; aſſiduè ardens: ſecundum cauſam eſt etiam hæc vehementia inſignis, quoniam materia faciens Phreneſim putrida eſt, & mordax: ſecundum deniq; ſymptomata, quod & hęc maxima ſint, cum cerebri functiones principales corrumpantur, adſint vigiliæ continuę. Vehementia dignitatis & ipſa maxima adeſt, eò quod in Phrenitide cerebrum intemperie afficitur, membranæ cruciantur, & corpus totum offenditur: Tandem eſt etiam vehementia in Phrenitide inſignis ratione facultatis, quoniam in hoc affectu pulſus maiori ex parte valde puſilli ſunt, vnde vitalis facultas debilis arguitur, vt conſtat ex Gal. 4. de Cauſ. pulſ. 14. & 1. ad Glauc. 14. Hęc verò de Prognoſtico Phrenitidis in genere. Verùm, vt dicebam, ex alijs ſuperuenientibus, epigenomena appellant Græci, non difficile cognoſcitur, num ex morbo hoc euaſurus æger ſit, an interiturus, in quibus quidem paulisper immorandum. Ante omnia igitur Phrenitidis prauitatem, ac malum morem ſignificant flere, & perpetuo rixandi ſtudio teneri, vt contrà quæ cum riſu fit Phrenitis ſecurior, ſeu minus maligna eſſe conſueuit, vt nos docuit Hippoc. *6.* Aphor. *63.* ſiue id eueniat, quia, vt in commento notauit Gal. Phrenitis hæc ſolo calore generatur, cum ſcilicet cerebrum calore intemperatum eſt, ſiue quia miſta affectio ſit ex ſanguine ſimul, & bile, vndè mitior morbus, vt de Phrenitide teſtatur ipſe Gal. 3. de Criſibus. Furor ſiquidem ex mordacitate magis, quæ mordacitas ſanguinis benignitate attemperatur, ac tale delirium fit, quale ebrijs humidioribus ſuperuenire videmus. In Phreniticis quoque vrinæ albæ, & perſpicuæ, & quaſi aqueæ exitiales vocantur à Galeno 4. Aphor. 72. Quandoquidem magnitudinem eryſipelatis oſtendunt, necnon ſuccum omnem bilioſum, quo vrinæ ipſæ tingebantur, rapi, trahiq; ſurſum ad caput. Sed hoc in loco veſtrûm aliquis fortaſſe objiciet ad affectus capitis ſignificandos nihil prorſus conferre vrinarum inſpectionem. Galenus enim 2. Pror. 2. manifeſtè dicit ex vrinis

nihil haberi de indicijs Phrenitidis,quia vis vrinarum, inquit, eſt, vt de veſicæ affectibus,& renum,& venarum;prçterea de robore facultatis,quæ humores gignit,ſignificet.Propterea in Progn. vrinarum differentias omnes percurrens nullius omninò mentionem facit,quæ Phrenitidem indicet.Contrà verò eſſe videtur,quod Hippoc. in hiſtoria Virginis in Lariſſa cauſo cum vigilijs laborantis, poſtquàm ſcripſit ipſam quarto die minxiſſe tenue,paucum,& in illius vrina apparuiſſe ençorema ſublime,ſtatim infert,ipſam deliraſſe. Eoq; oſtendit,ait Galenus,ex his ençorematis deliriũ ſequi; Et in Coac.prçnot.lib. 1.ſect. 2.Aphor. 11.ſcribit Hipp.: Progreſſo morbo ſurditas, cum vrinæ ſubrubræ appareant, quæ nihil deponant ſedimenti,ſed ſublimamẽtum habeant, emouendæ mentis ſignum eſt.Idem 6.Epid.Vrinas in Phreniticis multum habentes ſedimentum,tanquam maximè ſalutares commendat,dùm ità loquitur:Vrina multam ſubſidentiam habens à mentis motione liberat, qualis Dexippi fuit; Quamobrem ſcitote hanc dubitationem tolli, ſi dicamus vrinæ ſignum per ſe nunquam vllum delirij genus denunciare, ita vt inter pathognomonica ſigna Phrenitidis minimè connumerari debeat, ſed inter ſigna potius morem indicantia, & ad prognoſim ſpectantia, quoniã quotieſcunq; huiuſmodi apparẽt vrinæ,claræ videlicet,& diaphanæ,ſi præſertim antea craſſæ, turbatæ,& ſubiugales fuerint, oſtendunt grauem Phrenitidem ex eo, quod calidorum humorum quidam demonſtratur raptus ad ſuperiores partes. Non tamen negandum eſt,quin etiam imminentem Phreneſim ſignificare poſsint, vt Hipp. & Galenus aliquando voluiſſe videntur,ſed hoc omninò per accidens erit,quatenus videlicet flatuoſum continẽt enæorema, ea prorſus ratione,qua idem Hipp.præſentẽ,aut futurũ capitis dolorẽ,ex turbatis vrinis prænũciat 4.Aphor. Non enim primò,& immediatè illud euenire voluit Hipp. ſed per diſcurſum quendã coniecturalẽ,eò quod multitudinẽ crudorũ humorum, & vehementiã caloris exagitantis oſtendunt, & ex conſequenti multã in caput efferri vaporationẽ. Concludatis itaq; vrinas inter Phrenitica ſigna,quæcunq; illa ſint,recenſeri tantum per accidens,non quod vel partem affectam,vel affectũ ipſum eiuſq; euentum per ſe ſolæ demonſtrare poſsint.Reliqua ſigna prognoſtica non minoris momenti proſequar in ſubſequenti.

De eodem Prognoſtico. Lect. X.

AD Prognoſtica ſigna Phrenitidis præter ea, quæ in altera Lectione examinauimus, ſpectant multa etiã, quæ hùc afferre operæpretium duxi. Hipp. 1. Pror. ſcripſit; Frequẽtes in Phreniticis permutationes malas omninò eſſe. Quod repetit in Coac. prænot. lib. 3. Aphor. 26. dicens. Vbi varij caſus ſubinde incidunt Phreniticis, prauum, & conuulſionem denunciat. Hæc varietas autem, ſeu mutatio quomodo intelligenda? Multifariam Domini, ſed vnicam videtur habere generationis cauſam, nempe traiectionem humoris, vel transfluxionem ab vna cerebri parte in aliam, in qua ſpecies quidem ſeruatur affectionis eadem, verùm pro laborante parte diuerſa inſurgunt ſymptomata, aliquando læſo viſu, aliquando auditu, aut olfactu, aut tactu, aliquando verò etiam facultatibus principibus, memoria, diſcurſu, imaginatione. Vnde Phrenitici perpetuò delirant, ſed modis, formiſq; ſecundum vniuerſa functionum animalium genera variant. Viciſsim enim excandeſcunt, lætãtur, plorãt, rident, aliqua honeſtè, & pudicè faciunt, mox turpia, & obſcæna commiſcent, quæ commutatio non ex vitioſis humoribus ad clementiores, ſed ex prauis ad magis prauos efficitur. Qua in re diligenter obſeruandũ quod modò vnius facultatis actio læditur, modò alterius, interdũ verò ad contraria ſymptomata in eadem facultate, & parte viciſsim fieri ſolet commutatio, vt ab audacia in timorem, à ſiti in ſitis vacuitatem, à mingendi deſiderio in obliuionem, aut frigore in calorem; Primum euenit ab humorũ affluxione, alterum quia vel humor morbificus in aliam ſpeciem degenerat, vt bilis flaua in atram, vel calor natiuus extinguitur, & mens celeriter obliuiſcitur. Talium Phreniticorum exempla colligere haud vna poſſumus ex Epid. In Dealcis vxore ab initio factæ lachrymę, & rurſum riſus: Nono valdè delirauit, & rurſus firmata eſt ſilenſ. 14. ſpiritus rarus, magnus per tẽpus, rurſus breuiſpira. Vigeſimo multa verba: rurſus cõfirmata eſt; Vigeſimo primo obijt. Nimirum ob melancholiam tacebat: ob Phrenitidem multa loquebatur, bile flaua in atram degenerante. Spiritus magnus ab incendio

dio;rarus ab obliuione,celer, paruus, breuis, rarus; à refrigeratione per extinctionem caloris. Similiter Silenus deſcribitur laborans inflammatione ſepti tranſuerſi, cuius reſpiratio ſemper ab initio, vſque in finem magna fuit,& rara. Cœpit delirare ſecunda die aliquantum:Tertia die multa verba,riſus,& cantus, moderari ſibi nõ potuit. Quinta die mente conſtitit,quia in ſoporem tranſibat:nam die ſeptima obmutuit,mortuus eſt vndecima.Inſuper notauit Hippocrates in muliere in Cyzico modò delirium vehemens,modò firmitatem mentis, & in Apollonio coma,& vigilias, qui omnes interierunt.Vnde & Phrenitis,quę in Lethargum permutatur, perniciosa eſt. Quæ mutatio quàm frequenter in medendo obſeruatur; & non ſemel Medicorum culpa,atque errore,dùm plus iuſto refrigerantibus vtuntur,non quod bilis pituita fiat, ſed quod protracto malo venæ cerebri calore deſtitutæ alimentũ in pituitam vertunt, indeq; ſenſim ad Lethargum fit tranſitus. Niſi tamẽ etiam velimus miſtum eſſe affectum, vt reſoluta bile tandem ex pituita Letargici euadant. An Phrenitici, qui dormire, & quietè iacere videntur à morbo incolumes erunt? Sæpè enim videre eſt,qui cum antea furerent,mox ita quieſcunt, vt ni quis probè aduertat,eos verè dormire exiſtimet.Quàm prauæ etiam ſint naturæ Phrenitides in quibus ægri,qui antea cum ferocitate cuncta peragebant, deinde immobiles, & quieti iacent, non ex me, ſed ex Hippocrate diſcatis; qui 1. Pror. 33. ita loquitur. Tremulæ, obſcuræ, blandæq; & contractabiles deſipientię valde Phreniticæ.Et Gal.in Comm. In hac (ait)æger quietus iacet,neq; ſolùm non tumultuosè exclamat exilitq;,vt antea,ſed neq; prorſus loquitur, neque figuram decubitus mutat,ſæpiuſque,qui ita affecti ſunt,familiaribus præbent occaſionem quod mox ſint,ſi quod fiat ſilẽtium,dormituri. De huiuſmodi Phreniticis loquebatur idem Hipp.in Coac. prænot.lib.2. Aphor. 30.cum dixit;In Febribus inſaniæ vehementes ſilente ægro,ſed nõ etiam priuato voce lethale eſt.Cuius obſcuræ,& ſilentis Phrenitidis duæ ſunt cauſæ vobis nequaquam celandæ,vt in prædictione facienda metam facilius attingatis,nempe & languens virtus, & hectica diatheſis,quando videlicet humore bilioſo, & intemperie calida, ſiccaq; ità cerebri ſubſtantia inficitur,vt morbus efficiatur hecticus ipſi cerebro;& notate quod dixi ipſi cerebro, quoniam

I 4 fuit

fuit etiam opinio quorundam huiuſmodi Phreneſim in hecticam totius,& maraſmum poſſe verti,quod ego equidem fieri minimè poſſe crediderim.Nam ſicut Gal.ait ex ſepto non aduenire hecticam,ſed prius ægrum mori lib. 10. Meth. ita & de cerebro dico, non enim poteſt vſque adeò ſiccari, quin prius moriatur homo. In hac tamen Phrenitide habituata, vt in febribus hecticis,non amplius humorum putredo cauſa eſt;ſed partium ſolidarum facta, & abſoluta alteratio. Sic etenim in cerebro euenit,quēadmodū in lanis,quas colore aliquo ita fucant,vt vis medicamenti concepta nulla lotione elui poſsit: vnde cerebri veluti tinctura quædam dementiam hecticam acquirit. Veruntamen ad prognoſim ritè peragendam, diſtinguenda erit non oſcitanter Phrenitis hæc ſilens ab alia conſimili Phrenitide, quæ cum ſopore ſiue Lethargo iuncta eſt; Prior enim Phrenitis progreſſo morbo tandem firmatur, cum pulſu admodum languido, duro,& anguſto, itaut quies tunc fiat languida reddita virtute, & reſolutis viribus, non morbo ſuperato. Altera verò cum comate, vel profundo ſomno ab initio morbi potiſsimum contingit, nec ægri ipſi quietem adeò obſcurā habent,vt in priori, in qua vires omnes languent,& firmata eſt hectica diſpoſitio, vixq; patientes ſe mouere poſſunt. Quæritur autem hoc in loco ratio duorum problematum: Quorum vnum eſt: cur Phrenitici modò meticuloſi ſint,modò audaces, modò in ore riſus abundet, modò in eorum oculis lachrymæ cernantur. Alterum cur Phreniticorum robur maius omnino ſit, quàm dùm ſanitate fruuntur. Ad primum dicatis,quod quemadmodum ex timido audacem agitata,feruidaq; bilis,ſic ex audace pauitātem eadē exuſta ægrum facit. Quod verò in eodem Phrenitico modò metus adſit,modò ferocitas,modò riſus,modò ploratus,in cauſa eſt multiplex materia,vt iam ſignificaui; Nam vt in febribus hæc materia celeries, illa tardius in atram bilem, & melancholiam degenerat; Ne dicam quod inde etiam euenire certum eſt,cum pars morbificæ materiæ feruet, atque vritur, & cum iam adusta, & veluti in cinerem redacta omnino eſt: hæc ſiquidem pauorē, & lachrymas, illa riſum, audaciā, & alia excitat. Alterius problematis ratio cum alijs etiam ad prognoſin perficiendam attinentibus in futura Lectione examinabitur.

De

De eodem Prognoſtico; vbi perpulchra ſoluuntur Problemata. Lect. XI.

PROBLEMA alterum dilucidandum remanet quod huiuſmodi erat; quamobrem Phreniticorũ robur maius ſit, quàm cùm integra,& perfecta fruuntur ſanitate: videtur enim ad inſtar paradoxi. Quandoquidem Phrenitide correpti aſsidua febre vruntur, continuiſq; vigilijs infeſtantur,à quibus & cordis,& cerebri vires maximoperè labefactãtur, & propterea etiam cæterarum corporis partium robur deijci deberet. Contrarium tamen demonſtrat experientia, quia nimirum Phreniticorum robur longe maius eſt in ægritudine, quàm in ſanitate. Vidit hoc Caſsius lib. Probl. Med. 61. vbi refert hoc ipſum euenire, quia corpus eo tempore magis adſtrictum eſt, & minimè ad perſpiratũ diſpoſitum. Rectius,& clarius Gal. 3. de Symp. cauſ. 3. vbi id totũ tribuere videtur caliditati,& ſiccitati mẽbrorũ, addẽs ſiccitatem corporis maximè facere robur; & certè neruorum genera quantò ſicciora, tantò fortiora. Pendet hinc alterius quæſiti ſolutio, cur nimirum Phrenitici, cum validos edant motus, ſenſus tamen debiliſsimos habeãt, quia ſcilicet nerui reſiccati,& incalentes vt validius mouent, ſic ad ſenſum ineptiores redduntur, eò quod ad ſenſionem requiratur mollicies, non ſiccitas. Quæ ratio in Elephanticis eluceſcit; reſiccatis enim ab humore atro,& neruis & cute, perit in illis externarum partium ſenſus; Addere tamen etiam poſſemus ad robur illud in Phreniticis faciendum non infimum habere locum animi impetus, quos ipſimet habent ex varijs ſimul,& validis in imaginatione motionibus. Peſſimum Phrenitidis ſignum eſt vomitus in ea, citra vllam ventriculi læſionem, vt habetur lib. 2. Pror. Comm. 10. quia ſcilicet cerebrum adeò affici ſignificatur, vt in conſenſum ventriculum trahat. Inter ſigna prognoſtica Phrenitici morituri connumerat ſanguinis ſtillas, ſeu guttulas quaſdam è naribus exeuntes, ſi præſertim ſtillæ illę meræ ſint hoc eſt nigræ,& ſinceræ prorſus, vt elicitur ex Epid. Duo enim inde

de ſignificantur valdè praua. Vnum eſt ſanguinem in venis cerebri ex vehementi inflammatione exuſtum contineri; alterum non poſſe à natura pelli, ſed fruſtrà tentari, ipſa iam victa, & debellata à magnitudine morbi. Non contemnendum pariter eſt ſignum illud, quod & vulgus paſsim annotare conſueuit, nempe ſtrepitus quidam, qui in ventre auditur Phreniticorum, dùm bibunt. Quod ſignum non latuit Hippocratem, qui quidem vel in minimis diligentiſsimus ſemper fuit. Nam lib. 3. Coac. præn. Aph. 21. ita ſcripſit. Phrenitici rarius bibentes, & quod bibunt cum ſtrepitu deglutientes, in tremorem, vel conuulſionem incidunt. Subiungit autem ſtatim. In vehementi Phrenitide tremores mortiferi. Hùc propterea reſpexiſſe exiſtimo eundem Hippocratem in Pror. quando dixit; Phrenitici raró, parumq; bibentes, ſtrepitum facile ſentientes, tremuli. Galenus tamen per ſtrepitum facilè ſentientes interpretatur, quaſi in potione meticuloſos Phreniticos vocet Hippocrates, quique cum ſtrepitu quodam potionem omnem reſpuunt, aut quos etiam leuiſsimus ſtrepitus perterret, vt potus illis, ita Ennius loquitur, perterricrepus exiſtat. Verùm rectius (mea ſententia) Iacotius de ſtrepitu deſcendentis potus accipiendum eſſe cenſet. Hoc idem etenim docuerat etiam Hippocrates alibi nempe 2. Coac. prænot. 27. dicens; Qui dùm deglutiunt potum, obiter ſtrepunt, & ſubmurmurant in ſiccis lethale. Quod verò in Phreniticis morituris talis ſonitus perſentiatur in ventre, experimento conſtat, & vel mulierculæ obſeruant, ne dicam quod 7. Epid. Cydis Filius febre, capitis, & aurium dolore, delirio, quadamque contractione ad vigeſimum ſecundum diem laborans, cum biberet, deſcendentis potus in pectora, & ventrem ſtrepitus audiebatur, qualis & Chartadi. Idem & in hiſtoria Vxoris Theodori, & eiuſdem Chartadis refertur: ſed quæ nam ratio erit huius euentus? Depromatis eam ab ipſa rei natura. Phrenitis enim morbus calidus, & ſiccus eſt, in quo propterea corpus vniuerſum plurimum reſiccatur. Siccato igitur plurimum œſophago ſtrepitus auditur. Vbi namque liquor per ſiccum canalem, & anguſtum mouetur, ſonitum, ſtrepitumq; edit, per humidum non ita, quia ſonitus in ſicco, non in humido

do fit. Inſomnia quoque Phreniticorum in Prognoſtico non ſunt contemnenda. Norunt enim omnes quàm diligenter ſomnia expenderit Hippocrates, idque tùm ad morbos ipſos dignoſcendos, tùm verò etiam ad præſagium de ſalute, vel interitu ex arte faciendum. Quod quidem apertè conſtat ex libro Epidem. quarum ſexto dixit: Inſomnia qualia quis viderit ſpectandum, & ex libello de Inſomnijs, quem præclarè illuſtrauit Scaliger. Galenus pariter librum compoſuit, cui titulus eſt, De præſagio ex inſomnijs deſumendo, comprobatq; hoc Medicorum inſtitutum Ariſtoteles in lib. de Diuinat. per ſomnia cap. 1. Intelligo autem ſomnia vocata naturalia, quæ ex affectione corporum, temperamento, humorum incurſionibus, alijſque eiuſmodi naſcuntur. Nam diuina, & quæ animalia nuncupantur, nihil ad rem præſentem. Hippocrates igitur 1. Pror. 8. hunc in modum loquitur. Inſomnia conſpicua Phrenitidem portendunt. Alij tamen ita legunt. Inſomnia in Phrenitide euidentia. At in Coac. prænot. 3. ſententia 15. aliter ſcribitur, nempe: Inſomnia in Phrenitide conſpicua, bona. Quorum locorum intelligentia torſit non parum veteres Hippocratis interpretes Satyrum, Galenum, & reliquos, dumque Galenus quærit quamobrem clara, & perſpicua ſomnia fiant, in mox futuris Phreniticis, ad cerebri ſiccitatem id refert, addens idcircò melancholicos manifeſtis, atque euidentibus ſpectris, & phantaſmatis inter dormiendum moueri, & ſanos, qui parciori cibo vſi ſunt, aut ieiunarint ſomnia manifeſta videre. Vnde in ijs, qui ſe cibo, potuque onerarunt, aut in ægris, quorum cerebrum nimio humore ſcatet, vel non fiunt ſomnia, vel vbi facta fuerint, phantaſmata ita effluunt, vt ne veſtigia quidem in memoria relinquant. Quibus verbis Galenus pulcherrimè more ſuo ratiocinatur, ſed, quod tanti Coryphæi pace dictum ſit, ad Hippocratis aphoriſmum parum facere videntur.

Nam ſi ſomnia manifeſta Phrenitidem præmonſtrant ob ſiccitatem cerebri, quomodo bona eſſe poſſunt? Inſuper impendente Phrenitide quanam ratione ægrotantium inſomnia lucida, & conſpicua erunt? Quoniam, ſi rectè memoria tenetis,

docui

docui ſupra vos ex ipſomet Galeno, dùm Phrenitis inchoat, bilem per venas cerebri excurrere; nec adhuc fixam in eius vel ſubſtantia, vel membranis perſiſtere, in qua excurſione neceſſum eſt, eiuſdem cerebri ſtatum vehementer conturbari, atque confundi, & ideò non ſine ratione dictum fuit à me futuram Phrenitidem indicari potiſsimum ex eo, quod ægri illi habent ſomnos maximè conturbatos, imaginationemq; cum memorandi potentia magnoperè confuſam, & perturbatam. Quare Phreniticorum cerebrum eo tempore comparandum potius eſt ebrijs, quàm ijs, qui ieiunarunt, & propterea in illis ſomnia nullo modo poſſunt eſſe perſpicua. Deſiderius Iacotius, & ante eum Iacobus Hollerius Viri certè ambo impenſè docti in ſuis Comment. ad loca Hippocratis iam allata, hæc omnia viderunt, & egregiè examinarunt. In eo ſolùm Iacotij doctrinæ minimè poſſum acquieſcere; quod poſtquàm exactè demonſtrauit ex pluribus Ariſtotelis locis in Problem. de Somno, & vigilia, & Diuinatione per ſomnia, perturbari ſpecies in animis dormientium ex calore, motu, & quauis alteratione vehementiori, concluſitq; tandem ex dictis non ſolùm cerebri ſiccitatem manifeſti ſomnij cauſam eſſe, ſed etiam ſpirituum, & humorum tranquillitatem, ſedatam morboſæ affectionis agitationem, & caloris vehementioris vacuitatem, quæ quidem omnia veriſſima ſunt, poſtquàm dico hæc omnia doctè, & à rei natura rimatus eſt, ſubiungit, in primo generationis Phrenitidis rudimento ſomnia manifeſta fieri à ſiccitate cerebri, ſed turbulentiora ſimul ob incendium febris coniunctum, quæ opinio mihi non vndequaque arridet. Non enim video quomodo eodem tempore ſimul, & eodem in ſubiecto Phrenitide inchoante inſomnia & manifeſta, ratione ſiccitatis cerebri, & turbulenta, propter febrile incendium eſſe poſſint, iamque ſatis indicatum vobis eſt, ab initio Phrenitidis ſomnia prorſus confuſa apparere, omninoque perturbata ſpectra menti Phreniticorum offerri. Quamobrem in ea ſum ſententia cum alijs è recentioribus primi ordinis, vt Hippocrates in locis iam adductis voluerit, quotieſcunque in Phreniticis ſomnia lucida, & perſpicua apparent, bonum ſemper portendere, ac ſignificare.

Si

Signum eſt enim in manifeſta remiſsione morbum eſſe, & cerebri tumultum iam deſinere, quando ſcilicet Phrenitici ſomnia digno-ſcere incipiunt, & quæ viſa ſunt, nobis ſecura recordatione, & memoria exponunt. Sed in hoc loco diſcutiendum remanet, quomodo ſomnient Phrenitici, ſi perpetuò euigilant, & inter pręcipua tàm antegreſſa, quàm cõnexa Phrenitidis ſigna vigilia recenſetur. Reſpondent qui locum Hippocratis aliter, ac nos explanant, de inſomnijs, quæ Phrenitidem antecedunt, atque denunciant. In Phrenitide enim imminẽte, etiam ſi vigilia ferè pręcedat, ſomnus tamẽ aliquis aliquãdo obrepit, in quo ſomnia quædam efficiunt, vt ægri ipſi exclament, perturbentur, & ita excitati quod ſomniauerint, exponere poſsint. Verùm nos dubitationem intelligimus de ijs, qui in media, vt ita dicã Phrenitide verſantur, non autem de ijs, in quibus expectatur. Quomodo ergo ſi vigilant, ſomnia patiuntur? An Phrenitici commeante in cerebrum præcalidi ſanguinis copia, & veluti diſſoluta illius organi temperie, non minus abſurda, & inepta cogitant, & loquuntur, quàm dormientes? Phrenitidem præterea ex propria ſpecie morbum eſſe acutum nemo ignorat, ideoq; intra acutorum terminum finiri, qui tamen limes, vel terminus à nobis præfigi non poteſt. Sunt enim acuti morbi ſimpliciter, qui decimumquartum non tranſcendunt, alij non exquiſitè acuti, qui ad vigeſimum, & vltra pertingunt, alij demùm valdè acuti, qui intra hebdomadam finem habent. Vnde iuxta hanc doctrinã videmus Phreniticorum hiſtorias apud Hippocratem diuerſimodè referri. Nam Dealcis Vxor vigeſimo primo obijt, & alia puerpera decimoquarto, alius etiam vndecimo. Galenus pariter aſſerit aliquos quarto, & quinto die obijſſe; Et ſic vana eſt, ni fallor ego, illorum Medicorum diligentia, qui diſputant, vtrum neceſſariò ſeptima die pereant Phrenitici. Sed inter Phreniticos quinam periculoſius ægrotant? Qui poſt tertium diem Phrenitide tentantur, an verò potius, qui ſtatim à principio Phrenitici euadunt? Nam Cælius Aurelianus 1. Acut. paſſ. primum affirmat: Verùm Galen. 7. Epid. 75. ſecundum magis tuetur. Dicatis tolli grauiſsimorum ſcriptorum contrarietatem, ſi reſponſio ſit, Phrenitidem poſſe conſiderari dupliciter, videlicet & ſecundum ſui eſſentiam, & ſecundum curandi rationẽ. Si conſideretur Phrenitis prout eſſentialis &

primo

primo modo, dubio procul quæ initio fit, grauior, & periculoſior ſemper eſt; ſi autem ſecundum facilitatem, aut difficultatem curandi conſideretur, grauior vtique erit, quæ poſt diem tertium, vel quartum apparet; quandoquidem cum iam natura à precedẽte morbo fracta ſit, & debilitata, nõ poteſt ea ferre præſidia, quæ neceſſaria ſunt, & præſertim ſanguinis miſsionem, iuxta quem modum loquebatur Celſus, vt alio modo Galenus. Deniq; ad prognoſticum ſpectat quod quæritur, vbi interiturus eſt Phreniticus, qua ratione idipſum eueniat, & è contra, ſi ſanitati reſtituẽdus eſt, quomodo finiatur morbus. Hippocr. lib. 1. de Morb. ad libri extremum videtur exiſtimare Phreniticos non ſolùm ex febris vehementia, ſed etiam fame interire, quia ſcilicet cum deſipiant, nihil eorum, quæ ipſis exhibentur, accipiunt. Sed Auicenna ſuffocatos, vel ſtrangulatos de repente Phreniticos obire ſcribit, quia ſæpè dùm clamant, dùm alios percutiunt, ſtatim mortui concidunt, putatq; ille idipſum euenire, quoniam facultas animalis fracta, & cor rupta à morbo vnà concidit, adeò vt thoracem mouere nequeat, cuius partis motu præpedito reſpiratio aufertur, & cum reſpiratione vita. Si autem Phreniticus euaſurus ſit è Phrenitide legitima, & acuta valde, aut fit ſanguinis è naribus largo profluuio, aut copioſorum ſudorum beneficio, aut multa vrina cũ ſedimẽto multo, & bono, quibus duobus vltimis modis obſeruaui ego ſæpiſsimè Phreniticos eſſe liberatos, & non ita pridem vir quidam nobilis apud Principem Sabellum, cum diù Phreniticus fuiſſet, die vigeſimaquarta minxit multum, album, multam habens hypoſtaſim, ſudauitq; ſudore multo calido per totum corpus, ſicque ſine febre iudicatus fuit; vnde eum Nicodemo Abderitano Hippocratis comparabam: aut per expulſionem materiæ ad loca glandulosa poſt aures, aut tandem ventris deiectione bilioſa id ipſum contingit, vt eſt apud Hipp. & Gal. 2. in primum Epidem. 79. 7. Aph. 5. & 3. de Criſibus. Hic finis eſt ſignis omnibus, ad curationem deueniamus.

∴

De

De Scopis in curanda Phrenitide, & de auxilijs à Diætetico fonte hauſtis; Obiter de communi errore in fructu Perſeo, & Perſico, & de ordine in cibis ſeruando. Lect. X I I.

AD curandi Scopos iam accedo. Phrenitis duo dicit, nempe malam intemperiem calidam, & ſiccam, & tumorem bilioſum cerebri, & membranarum eius. Quare hinc duæ nobis inſurgunt curandi indicationes; quarum vna eſt, intemperiem corrigendi, refrigerantium, & humectantiũ vſu, altera verò tollendi tumorem, vel auctam magnitudinem vacuantibus. Malum etenim ex repletione eſt; quoniam verò etiam Phrenitis aliquid factum, & aliquid fiens habere videtur, id quod fit; debet prohiberi ne fiat, & iam factum tolli, atque curari. Vnde operatio miſta ex curatione, & præſeruatione; incipiendum tamen eſt ab ipſa vacuatione, qua facta, adhibenda erunt quæ refrigerant, atque repellunt, & vbi nihil amplius influit, ad factum morbum, ſeu ad materiam, ſubſtantiam partis, & inania eius ſpatia replentem vacuandam deſcendendum erit. Primùm ſeſe offert victus ratio, qua prædictis ſcopis ſatisfaciendum eſt. Aer in primis videretur eſſe debere contrarius morbo, dico frigidus, & humidus, qualis parari ſolet à Medicis, vbi ſit opus; nihilo tamen laudatur magis, qui temperatus eſt, neque inſigniter frigidus, qui naturalem euaporationem prohibeat, neq; inſigniter calidus, qui adhuc magis inflammet, varietq; pro ratione temporis, æſtate quidẽ frigidior ſit, hyeme verò calidior. Niſi quiſpiam veſtrûm malit à morbi principio, quando repercutientia imperantur, & omninò conueniunt quæ refrigerando, & adſtringendo, fluentes ad cerebrum humores retropellunt, aerem frigidum eſſe oportere, ſed in alijs temporibus, vt in ſtatu, ac morbi declinatione, minus frigidum prout neceſſe erit. Quæritur autem hoc in loco, vtrum aer, ſiue locus, in quo Phrenitici degunt, eſſe debeat lucidus, an obſcurus. Aliqui è veteribus tales ægrotos in tenebris continebant, quoniam in ſplendore ſpiritus animales agitati exaſperare ſolent, & tenebras quoque ad ſomnum conciliandum conducere

puta-

putarunt. Verùm Aſclepiades, qui,vt dicebat Galenus, habitum contradictionis habebat, & cui pariter Trallianus aſſentitur,Phreniticos in lumine habendos eſſe dixit, quia tenebræ terrẽt,& quia lucido loco ſenſus occupatur,& interim mens ipſa quietem habet. In tenebris verò quietis ſenſibus,mens altis cogitationibus, & viſis ſeſe exagitat; Et hinc dicebat idem Aſclepiades nulla re magis Phreniticos reuocari, quàm muſica, vel harmonia, vt conſtat ex Athenæo. Iacobus Fontanus lib.1.Med.pract. cap.13. Sunt, inquit,qui muſica harmonia placantur, quod experti fuimus in nobiliſsimo & generoſiſsimo D. de la Verdiere,qui cum ſæuiſsima, & lethali Phrenitide diſcruciaretur, ſuauiſsimo concentu ita afficiebatur, vt Phrenitide priuatus videretur; ea verò harmonia deficiente, rurſus in priſtinum furorem agebatur. Sed ne à propoſita controuerſia diuertamus,dicendum eſt meo iudicio, ex doctrina Celſi lib.3. c.19. cum quo Aetius, & alij concordant, neutrum illorum eſſe perpetuum,obſeruandumq; diligenter eſſe,an Phreniticus magis alteretur à lucido,an verò ab obſcuro aere, & qui luce offenditur,ſpirituum ſcilicet diſsipatione, & bilioſi humoris orgaſmo, habeatur in tenebris,aut mediocri luce collocetur,quem verò lædunt tenebræ in lucido loco collocabitis, qui vtroq; pariter offenditur, mediocri luci exponatur; Vbi vires validę ſunt, lucido magis, vbi infirmæ, magis tenebroſo iuuantur. Ad hoc etiam facit quod tradit Auicenna,oportere ſcilicet locum, in quo detinetur Phreniticus,carere omninò picturis,& imaginibus,quoniam mens,& ſpiritus plus iuſto agitantur,& inde maior inſaniendi occaſio præbetur. Quod verò ad cibum attinet, ſi in quanto illum conſideremus,cum morbus acutiſsimus exiſtat,tenuiſsimum debere eſſe nemo negabit, vel ex ſola ptiſana hordeacea, aut pane ex aqua tantum præparato, ſed in hoc obſeruandum omnino erit, quod prudenter admodum præcepit Celſus, ne ſcilicet Phrenitici aut nimium ſaturentur, aut nimium ieiunent; nam vt in illis caput vaporum multitudine magis repletur, ita in his, qui nimium ieiunant,bilis faciliter excandeſcit. In quali,refrigerans,& modicè adſtringens cibus idoneus erit,quo ſucci denſati ægrius in caput confluunt. Exhibent paſsim Medici vel ptiſanam dictam, vel cremorem ipſius, aut etiam auenæ, emulſionem ſeminum melonum, &

ali-

aliquando emulſione ſeminum papauerum,& deniq; panis medullam ex iure pulli gallinacei elixam. Inſuper aliquot ex holeribus tanquam vtilia commendantur,lactuca,acetoſa,endiuia, malua, atque borrago,veluti & ſucci mali punici, aurantij, limonis, cytonij,oxalidis,& omphacij. Alexander Trallianus laudat in Phreniticis de pomaceis fructibus inter alios duracina Perſica lib. 1.c.13. cuius loci occaſione liceat mihi nunc duo circa huiuſmodi fructum, veluti per tranſennam, &, vt Græci loquuntur, κατὰ πάρεργον breuiter annotare, atque expendere. Creditur paſsim & Romæ, & in alijs Italiæ Vrbibus Perſica dicta venenatam habere qualitatem, vt eſus illorum edentibus ſit valdè pernicioſus, & vulgò dictitant olim huiuſmodi fructum apud Perſas ſummè noxium in Aegyptum translatum,cæli mutatione,& ſoli,factum eſſe eſculentum.Hoc tàm firmiter creditur, & pro certo habetur,vt qui contrarium aſſerit, paradoxon proponere,ac tueri videatur.Quamob rem errorem hunc è medio tollere,& penitus auerruncare in præſenti,ſumpta occaſione à Tralliani loco,decreui, poſtmodum rem inſtitutam perſequar.Galenus itaque lib.2.de Alim.facul.cap.19. quod quidem caput de Perſicis inſcribitur, nullam de hac ipſa re facit mentionem,vt vnicuiq; illud legenti facilè occurret. Illud ſanè verum eſt,quod idem Gal. cap. 36. eiuſdem libri ita habet;De Perſeo.Vbi hæc pariter leguntur.Hanc etiam plantam vidi in Alexandria,ex magniſq; & ipſa eſt arboribus.Narrant autem fructum eius apud Perſas adeò eſſe noxium,vt qui ipſum comederit interimat,qui tamen ſi in Aegyptum transferatur,fit eſculentus,manditurq; non aliter,quàm pyra,& mala,quibus etiam in magnitudine conuenit. Hinc, puto ego, manauit primùm error credentium de Perſicis communiter vocatis,quod de alio fructu,quem Perſeum appellant, ſcriptum reliquit Galenus. In qua quidem opinione eò magis confirmor,quò iam pridem ante me iſtud ipſum literis mandauit Galeottus Martius de Doctrina promiſcua cap. 11. cuius propterea verba hùc afferre non grauabor, quibus res hæc omnis dilucidatur. Alabcha Punicè,Latinè Perſea,eſt de genere prunorum,vt aitPlinius 15.Nat.Hiſt.& hęc arbor venenoſos fructus pro ducens in Aegyptum translata naturam mutauit, fructus producendo ſalubres: Nec hæc vt multi putarunt, eſt Perſicus arbor,

K quo-

quoniam nuſquam noxia, ſed Perſea venenoſi pruni productrix in Perſia, Auic. ſeptima quarti: ſicut narrauit Galenus quod arbor nomine Alabcha in Perſia venenoſi fructus in Aegypto plantata fructus gignit eſui aptos. Columella verò de cultu hortorum optimè declarat:

Armenijs, & cereolis, prunisq; Damaſci
Stipantur calathi, & pomis quæ Barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt patrijs armata venenis.
At nunc expoſiti paruo diſcrimine læti
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi
Quin etiam eiuſdem gentis cum nomine dicta
Exiguo properant miteſcere Perſica ſucco.

Sunt igitur diuerſæ Perſea, & Perſicus, nam Perſea noxia, venenoſa, Perſicus verò Perſica ſalubria ex eadem regione produxerunt. Sed cum pruna ſunt in patria Perſide venenum habent, & illud in Aegypto deponunt. Perſicus autem, vnde Perſica, vbiq; bona eſt. Qui quidem ſcriptor eodem in loco ſubiungit Auicennam, cum loquitur de febribus Perſica in quartana non prohibere; concludens nominis ſimilitudine nos decipi, quia ſæpè multa talia occurrunt. Conſtat igitur Perſicum fructum nullo pacto eũ eſſe, de quo dicitur, ex Perſia, cum ibi valdè noxius eſſet, & venenoſus, in Aegyptum translatum, & eos vehementer labi, qui inde Perſicum venenatum arguunt, ideoque à menſis, & cibis arcendum eſſe, cum hoc omninò intelligendum ſit de alio fructu conſimili Perſeo vocato, vt iam intellexiſtis. Idem legitur apud Pierium Valerianum in Hieroglyph. vt mirum ſit Marcellum Virgilium Florentinum interpretem Dioſcoridis, & alios cum vulgo erraſſe, quibus ſaltem illud ſatis eſſe debebat, quod tùm Dioſcorides, tùm Galenus de vtraque arbore Perſea, & Perſico, ſub diuerſis particulis locuti fuerint. Quin imò ipſe Dioſcorides ſcribit Perſica poma ſtomacho grata eſſe, ſi matura ſint, & bonam aluum facere. Pomum Perſicum innocuũ ægris expeti, ait Plinius, neq; alium eo pomo innocentiorem eſſe cibum. Profectò inter æſtiuos fructus Perſicum auſim ego affirmare vbi probè maturus ſit, & odoratus, primum locum tenere. Quod fructus genus Gal. de Cib. boni, & mali ſucci, cap. vltimo febricitantibus non inuitus concedebat; Et magnus ille Auenzoar glo-

gloriatur ſe melancholicos quartanarios ſolo Perſicorum vſu perſanaſſe,vt mirum non ſit, ſi & Alexander Trallianus in cura Phreniticorum Perſica ipſa exhibebat.Idem Pierius loco citato;Et nos, inquit, Romæ aliquando lethali correpti morbo, quo ſtomachus nihil cibi prorſus admittebat, & immiſſum euomebat è veſtigiò, poſt diuturnam inædiam non alio cibo adiuti per tres continuas hebdomadas, quàm ſingulis pomis huiuſmodi in ſingulos dies ex vino acceptis, reuiuiſcere potiùs, quàm conualeſcere viſi ſumus. Neſcio an quid tale apud Iouiũ legerim eueniſſe Iulio II.Pŏt.Max. Addit Pierius. Quin & Medici pomum id cordi tradunt mirificè conferre,naturamq; aiunt & cordis figuram impreſsiſſé, vt cui eſſet genitum parti, vel ex ipſa ſpecie patefaceret.De qua re pro tempore hæc ſatis erunt. Alterum verò quod in eodem fructu quærimus eſt,an ante alios cibos,& prima, vt inquiunt,menſa, an verò poſt, & vltimo loco aſſumi debeat; quandoquidem omnium ferè communis vſus iampridem inualuit, vt poſt alia cibaria,poſt alios fructus omnes comedatur. Ex altera tamen parte Gal.1. de Aliment.facult.c.1. & lib.2. c.19.conſuetudinem hanc ſumendi Perſica poſt alios cibos vehementer improbat: corrumpuntur enim in ſuperficie natantia, quæ ſi prius ſumantur,citius ſubducuntur, & alijs cibis viam muniunt, quod ſi poſtrema fuerint, vnà ſecum alia quoque corrumpunt. Domini hac in re quidnam determinari poſsit,mihi certè adhuc non conſtat,quoniam ex hac ipſa diuerſitate inſurgit & alia dubitatio magni momenti, an humida ſiccis, lubricantia adſtringẽtibus prẹmittenda ſint.Quandoquidem ſunt, qui ad coctionis munus ritè peragendum, contendunt duriora alimenta,quæq; difficilioris ſunt coctionis,primis menſis aſſumenda eſſe,iuxta quorum doctrinam vſus fortaſſe increbuit concedendi Perſica, & lacticinia in poſtrema menſa,quod nunc paſsim obſeruatur.Ex aduerſo tamen Galenus 2.de Alim.facul.cap 10.Prępoſterè,inquit,ſumunt alimenta, qui non præmittunt humida ſiccis,lubricantia adſtringẽtibus,quæ facilè deſcendunt his,quæ tardè permeant;cui & Aetius,& alij quoque ſubſcribunt.Sed ſi liquida pręaſſumenda ſunt,ergo à potu incipiendum erit. Quò forſitan reſpexit Salernitana Schola cum dixit:

A potu incipe cœnam.

Quod tamen Villanouanus de potulentis, vt iuſculis, interpretatur. Ea conſuetudo inualuerat, inquit Plinius, vt potus cibos præiret, quam poſteriores Medici multis de cauſis repudiarunt. Quinimò ſi vera eſt Gal. doctrina 1. de Vſu part. 7. vbi tradit, pylori munus eſſe, vt tandiù ventriculum claudat, quouſque cibus ſit con coctus, neq; permittat prius exire, quàm ſit in formam chyli redactus, haud aliter atque vterus, qui tandiù fętum clauſum retinet, quandiù completus eſt, profectò nihil referre videtur in corpore ſano, an hic, vel ille cibus ante ſumatur, quoniam cibi omnes in ventriculo à calore commiſcentur, fitque vna ex omnibus chyli forma. Niſi velint, qui hunc ordinem ſeruandum eſſe præcipiunt, vt vna, vel altera hora intercedat inter cibos liquidiores, & duriores, eo prorſus modo, quo ſcripſit idem Gal. loco citato cap. de Prunis, ea videlicet ad aluum molliendam cæteris cibis eſſe præmittenda, nec ab ipſis ſtatim prandendum, ſed paulo poſt, ita vt poſsint fructus diſſolui, & diſſoluti exire. Ita enim ordo præmittendi tenuia, & liquida craſsis, & durioribus cum vtilitate ſeruaretur. Lyricus Latinus mora, quæ etiam facilius ſecedunt, quàm Perſica in poſtrema menſa exhibet, dùm canit:

Ille ſalubres
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore Solem.

ſed fortaſſe ientaculum, non verè prandium, vt nobis in vſu eſt, Poeta intelligit, & ita à Galeni ſenſu non diſcrepat. Anteceſſor noſter Marſilius Cagnatus, de re omni literaria; ſed medica potiſsimùm optimè meritus Diſputationem edidit de ordine in cibis ſeruando, in qua quidem ordinem præmittendi liquida, ac tenuia his, quæ craſsioris ſunt ſubſtantiæ, nulla etiam inter vnum, & alterum cibum mora interpoſita, ad mentem Galeni magnopere laudat, mordicuſq; tuetur, probans ſimiliter quæ facilius, & citius con coquuntur, citius etiam per ianitoris oſculum exire, aliorum alimentorum, quæ ſerius, & difficilius elaborantur, non expectata chylificatione; quæ opinio mihi pariter ſummoperè placet: Et quantum ad Perſica poma, hoc forſitan definiendũ ex eorum vario diſcrimine: quæ etenim ſunt durioris, ac ſolidioris ſubſtantiæ in fine, vt pyra, & conſimilia aſſumi debent, quæ verò tenuioris, & liquidioris

dioris in principio. De qua tamen re longius forſitan, quàm debebam, & ideò in proxima ad Phrenitidem redibo.

De potu in Phreniticis, deq; alijs quibuſdam ad Diætam pertinentibus: In quibus quæ dubia ſunt, & controuerſa apud Medicos dilucidantur. Lect. XIII.

QVOMODO in his, quæ ad aerem, & cibum attinent, tractandi, ſeu regendi ſint Phrenitide correpti, in heſterna Lectione demonſtratum eſt, nunc autem cætera magis neceſſaria tantum modò expendamus. In potu itaque Phreniticorum nō admodum concordes Medici ſunt, quoniam Alexander Trallianus, & ante eum alij è veteribus, vti Aſclepiades, & Themiſon apud Aurelianum 1. Acut. cap. 15. & 16. auſi ſunt vinum concedere, quos tamen Celſus damnat, & ante eum dixerat Hippocr. in lib. de Inter. affect. in nulla mentis perturbatione vinum conuenire, & deniq; Galenus ad Glauc. in illis febribus quę delirium, aut aliam capitis affectionem adiunctam habēt vinum ipſum improbat. Accedit ad auctoritates ratio à natura rei deprompta, quia Phrenitis cerebri, membranarumq; eſt inflammatio, quæ ſiue in capite ortum habeat, ſiue ſit ex diaphragmatis inflammati conſenſu, ſemper eſt cum inſigni thoracis æſtu. Frequētiſsime etiam illi ſymptoma coniungitur vigiliarum, & aliquando pariter, vt notat Aretæus 1. De curan. acut. 1. oris ventriculi ardor & ſitis, & anxietas, & frigidæ cupiditas, vt his nominibus malum hoc præſidia quæque refrigerantia, & humectantia, & aquæ potū omninò requirat. Scitote ergo vinum in Phrenitide nunquam eſſe concedendum, nihil enim minus conuenit illi, quàm vinum, & acetum, vt ſcribit Hippocr. 1. & 3. de Morb. & proinde dare vinum Phreniticis, perinde eſt, ac dare venenum. Trallianus autem, quò & alij etiam fortaſſe reſpexerunt, dùm vinum concedit, coactè id cait, ad vires admodum deiectas, ventriculum frigidum, & imbecillum, & febrem omninò remiſſam reſpiciens: ità enim loquitur. Quin & vinum, quod ſitim reſtinguat (tale autem omninò erit oligophoron, quod ab aquæ natura parum diſtat) dare Phreniticis

audendum eſt, in quibus multæ vrgent vigiliæ, & vires ſunt imbecillæ, febres autem nondum vehementiam, nõdũ ardorem habent, ſed quædam concoctio vrinarum quoq; in eis apparet. Frequentiſſimus autem, atq; tutiſsimus Phreniticorum potus eſt aqua pura cocta leuiter, vel etiam crebra agitatione, ac transfuſione tenuior reddita. Ita namq; facilè permeat, nec retinetur in ventre, nec bileſcit, vt ſimpliciter cruda; vel aqua hordei, vel aqua ſtillatitia lactucæ, aut acetoſæ, aut endiuiæ cum granatorum vino. Sunt è Practicis, qui in Phrenitide pro potu laudant decoctum ſeminum coriandrorum, de quorum numero eſt Alimarus; ſed huiuſmodi potus meritò ſuſpectus habetur, quia coriandrorum ſemina ex ſe apta ſunt turbare mentem, deliriumq; inducere, vt notat Dioſcorides lib. 3. cap. 66. Auicennæ ſiquidem opinio de temperie propria coriandri frigida, ſeu viride ſit, ſeu ſiccum, iam abundè exploſa eſt tanquam rationi, & experientiæ omninò contraria. Qui quidem laudabilius Galenum hac in re ſecutus eſſet, quàm Dioſcoridem. Quæritur etiam in aquę potu, an frigida conueniat. Alexander ipſe Trallianus aquam tepidam propinabat, frigidam omninò damnans, quod tuta non ſit. Nam ſi inflammatio circa ſeptũ tranſuerſum, aut aliam quampiam particulam inuenta fuerit, non exiguum periculum ſequitur. Addatis pro Tralliano, quòd à frigidæ potu Phrenitici in conuulſionem facilius incurrunt, propter maximum neruorum conſenſum, vel ſi primarius capitis ſit affectus, ob neruorum ab ipſo originem, vel ſi ex diaphragmate, quia id neruoſum eſt. Ex hoc etiã potu facilè fieri poteſt, vt humores frigidi magis, & craſsi redditi Lethargum poſtea progignant. Phrenitis autem non benè in Lethargum tranſit, vt voluit Galenus in fine Comm. lib. 6. Epidem. explicans illa verba Hippocratis: Pro quibus quinã morbi. Cõtrà nihilominus ipſius morbi natura eſſe videtur, vt vnicuiq; patet; ſed in hoc ſequẽda eſt ægrotãtis cõſuetudo, cõſiderãda febris vehementia, & corporis deniq; habitudo. Ego quidẽ frigidã potius exhiberem, quàm tepidam, ſed omninò paucam, nempe, vt idem ait Trallianus, quia licet frigida mitigare affectum videatur, maiores tamen poſtea, & malignas febres excitat, vnde alienatio mentis augetur. Excitat autem denſatis vijs, craſſefactiſq; humoribus; & adaucta in viſceribus obſtructione. Sed ſi pauca offeratur, &

mo-

modicè frigida, abſq; dubio hæc euitabuntur mala; quod etiam facilè,& citra ægrotantium pugnam fieri poterit, quia Phrenitici, etiam ſi linguam habent aridam, tamen ob mentis auerſionem, ſitis moleſtiam minimè ſentiunt,& parum bibunt;& hinc eſt quod Hippocrates 1.Prænot.& 6.Epid.2.tex.6 ἄποτας nominat. Somnus in Phrenitide omni arte, & ſtudio procurandus, nam vigilijs ferè continuis infeſtantur Phrenitici, à quibus bilioſi ſucci magis excandeſcunt,& affectus adaugetur. Somnus autem humectando delirium ſedare ſolet. Vnde omnibus ſic affectis ſomnus vt difficilis,ſic præcipuè neceſſarius eſt. Sub hoc enim,Celſus inquit lib.3. cap.18 plerique ſaneſcunt. Verùm hac in re aliquid etiam eſt, de quo veſtrûm aliquis dubitet, eò quod ſomnum prouocare hoc in affectu non ſemper vtile videtur. Cum enim per ſomnum humorũ ad interiores partes fiat reuocatio,tantum abeſt,vt toto inflammationis vſq; ad declinationem tempore, vtilis ille ſit; vt contrà, qui longior eſt,inflammationem magis intendat. De moderato nihilominus ſomno,de quo nos intelligi volumus, aliter cenſendum eſt,quippe qui mentis, ſenſuumq; omnium perturbationem ſedat, quæ corporis agitationem immoderatam ſuſcitat cum virium iactura.Propterea,vti dicebam,magnoperè ſtudendum eſt,vt huiuſmodi ſomnus concilietur,vigiliæ verò arceantur.Capitis itaque lauacrum peruigilij, & delirij remedium eſt apud Hippocratem, qui in Metone 1.Epid.3.ægroto ſeptimo ſic loquitur.Caput lauit, dormiuit,mente conſtitit; In cuius loci Comm hæc habentur Galeni verba.Deinde vigilauit,& præter rationem locutus eſt; Maximum autem rei huius te docuit remedium capitis lauationem. Ideò mirè ſomnum prouocare videbitis embrocatione hunc in modum facta:Recipe folior. lactucæ,violarum, nenupharis, flor. carthami,radic mandragoræ,corticum papaueris albi, hordei mundi ana m.1.bulliãt in aqua q.ſ.pro fotu cum petia: Et ſpuma ſimiliter quæ ſupernatat ſero lactis ebulliente,capiti raſo illita. Lotio quoq; pedum ex decoctione lactucæ, fol. ſalicis,& capitum papauerum mirabilis eſt. Alij aquam lactucæ ſtillatitiam cum ſyrupo de papauere propinant à cœna,vel hanc aliam potionem. Recipe ſyr.viol. nenuphar.papauer.an.vnc.ſ.aquæ decoctionis papaueris albi vnc. iij.miſce. Ad opiata aliquando deſcendere nõ modò vtile,ſed om-

ninò neceſſarium eſt.Sic Gal.lib.de Theriaca ad Piſonem cap.15. aliquos vſu theriacæ recentis,propter opium ſcilicet, cuiusuis adhuc ab alijs refracta non eſt,ſeruatos fuiſſe refert. Diacodion non ſolùm vigilijs, ſed etiam febri medetur. Vbi intenſæ admodum ſunt vigiliæ, quæ propterea curationem ad ſeſe alliciunt, alioqui enim vires omnes collaberentur,per os Philonium Romanum,vel Perſicum,vel Requiem Nicolai propinabitis,exterius verò etiam tempora,nares,& brachiorum pulſus ità inungetis. Recipe vnguenti popul. vnc.ſ.viol.vnc.1.ſem.alterci albi,cortic.mādragoræ an.drach.j.op.gr.v.croci ſcr.ſ.aceti modicum,fiat linimentum.Galen.13. Meth.21.ad ea etiam,quæ cerebrum inſigniter refrigerant,ac ſtupefaciunt, deuenit; Vnde aliqui ad pilulam de cynogloſſa libenter deſcendunt, doſi præſcripta gran.xv. plus,minusvè,prout res poſtulare videtur, ſed ad hæc non niſi magna cum præmeditatione accedendum erit,ne ſcilicet quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſsimus. Confert tandem aliquid ad ſomnum,inquit Celſus,aqua iuxta cadens,vel geſtatio poſt cibum, maximeq; ſuſpenſi lecti motus. In otio,& quiete ægri ipſi detineantur,& ſi diuites fuerint, famulorum aſſidentium adminiculo, ſin papaueres vinculis. Nam inordinatus motus vires omnes proſternit. Longè etiam à Phreniticis animi arceantur perturbationes,proinde nihil quod mæſtitiam inferat,aut bilis feruorem adaugeat, permittendum illis eſt. Quinimò audiuiſtis ſupra muſicam harmoniam magnoperè conuenire in cura Phreniticorum. Ad quam rem videtur reſpexiſſe Celſus lib.3.cap.18.dicens:quorundam diſcutiendæ triſtes cogitationes,ad quod ſymphoniæ,& cymbala,ſtrepituſq; proficiunt.Quare iniuria Soranus mordens Aſclepiadem, qui Phreniticos curare cantu profitebatur, dixit eos mentis vanitate iactari, qui modulis, & cantilena paſſionis robur excludi poſſe crediderunt;Vnde iuremerito ſcriptum eſt ab Alex.1.Probl.78. onera ferentes,lugentes,morbo laborantes,mærenteſq; cantu,ac tibiarum ſono leuari,quia ſic videlicet auocatur animus,& permulcetur modulis. Deniq; aluus quotidie obediens ſit oportet, quoniam aluus ducta ſuperiores partes liberat,dùm exinanita à captie trahit,atq; eò magis,quò Phrenitici propter tùm febris vehementiam, tùm bilis raptum ad caput, plerumq; ventris ſtypticitate laborant, &

ideo

ideò ſi non ſingulo quoque die, ſaltem alternis diebus clyſteribus & ſuppoſitorijs, vbi renitatur, leniri debebit. Aliqui ſequens dilutum per clyſterem infundere ſolent. Recipe hordei p. ij. fol. nymphææ, maluæ an. m. j. fiat decoctio; cuius rec. lib. j. ſ. olei violacei vnc. iiij. ſacch. rubri vnc. iij. ſalis drac. j. m. f. clyſter. Quæ ſatis erunt de fonte Diætetico.

De Chirurgia in Phrenitide; in qua controuerſiæ Medicorum de ſanguinis miſsione, & alijs eiuſdem fontis ſedantur. Lect. XIIII.

POST victus rationem inſtitutam illicò Medici ad ſanguinis miſsionem deueniunt, nulla etiam ventris lenitione præmiſſa, niſi per clyſmata, ſi opus ſit, adeò præceps eſt affectus, adeoque celeri auxilio per ſanguinis euacuationem indiget. In quo tamen genere præſidij quatuor inquiruntur: An conueniat, quo tempore, qua quantitate, & ex quo loco, quæ ſingula breuiſsimè examinabo. Aſclepiades apud Celſum negat in Phrenitide conuenire ſanguinis miſsionem, ſed meræ nugæ ſunt, & ab omnibus hæc eius inepta opinio reprobatur. Quod enim, vt ipſe putabat, dolore sẽper careant Phrenitici, veriſimile non eſt, cum ſæpe conquerantur, & obuios quoſque furibundi mordeant; quod ſi in ſyncopen facilè labãtur, id etiã minime impedire poteſt hoc auxilium, quoniam ſi congruo, ac tempeſtiuo tempore, prudenterq; celebretur venæ ſectio, nullo modo virium lapſum parit, vt nec inde ità refrigerantur Phreniticorum corpora, vt periculum ſit, ſuccos eorum magis, magiſq; craſſeſcere. Poſtremò vanum eſt quoque quod ſcribitur ex eodem Aſclepiade Phreniticis non conuenire ſanguinis miſsionem, quia hoc in malo nulla eſt remiſsio, ſanguis autem in ipſa morbi remiſsione mitti debet. Quandoquidem licet Phreneſis, eiuſq; febris non ità euidentẽ, ac manifeſtam habeant remiſsionem, attamen aliquod eſt tempus, in quo remedium illud tutò à nobis adminiſtratur, quemadmodum & in febribus cõtinuis curandis quotidie experimur. Sanguis itaq; in Phrenitide mittendus, quidquid voluerit Aſclepiades. Nam

Hipp.

Hipp.4. acut.17. ſcribit in omni morbo acuto,in quo ſæua adſint ſymptomata,neceſſariò ſanguinem eſſe detrahendum. Talem verò eſſe Phrenitidem,nemo profectò eſt, qui ignoret.Quinimò Galenus 13.Meth.vbi tractat de inflammatione cerebri, etiam in apoſtematibus,quæ à frigido ſucco oriuntur, ſanguinis detractionem fieri vult;quantò ergo magis conueniet in hijs, quæ ab humore fiũt calido?Rurſus dicet aliquis hoc tantum eſſe obſeruandum in Phrenitide ſanguinea, non item in bilioſa, cui purgatio magis conuenire videtur. Quæ diſtinctio habetur apud Aretæum, Meſuem, & Rhaſim. Scitote in omni vera Phrenitide efficaciſsimum auxilium eſſe phlebotomiam,qua ſola opportunè facta Phreniticos ab interitu liberari dicebat Auenzoar. In qualibet enim Phrenitide vitiũ vehemens eſt in ſanguine,nec credatis à ſincera bile inflammationem hanc fieri,quia ſola, & nuda bilis non tumorem facit,ſed exulcerationem.Inſuper interdum ſanguis peccat ſi non in capite, ſaltem in partibus infra caput,vt impedimento ſit, quominus capiti occurrere poſsimus.Vnde iure merito ſanguinem in omni Phrenitide mittendum eſſe præcipit Gal.lib.Meth.citato cap.11.Habere ſiquidem videtur ex iam dictis rationem cauſæ principalis, adiuuantis,& ſine qua non.Neque obſtat quod Gal. lib. 2. ad Glauc. cap.2.in eryſipelate venam minime tundit. Nam ſermo ipſi eſt de externo,& omninò ab exquiſita bile genito,Phrenitis autem internum eryſipelas eſt,& à ſanguine bilioſo promanans. Nec ſimiliter audiendi ſunt, mea ſententia, qui in morbis bilioſis ſanguinem neutiquam eſſe detrahendum exiſtimant, quia ſit frænum bilis, quoniam cum ſanguinis euacuatione vnà etiam bilis copioſè educitur,vtpote leuis, tenuiſq; humor, & ſecta vena eadem remanet ſanguinis proportio ad bilem,quæ prius inerat, imò etiam maior, vt nullum inde maioris efferueſcentiæ bilis periculum impendeat. Mittendus ergò ſanguis eſt, dummodo virtus adeò languida, & proſtrata non ſit,quæ talem non ferat euacuationem, quod ſolet potiſsimùm contingere in ea Phrenitide, quæ non à principio ſtatim apparet, ſed poſt tertium, vel quartum diem,in qua ab anteacto morbo iam vires eneruatæ ſunt.De tempore mirum profectò eſt quod legitur,Dioclem voluiſſe,vt ſanguis quinta, vel ſexta die auferatur;namPhrenitis acutus morbus eſt,& ſæpè exactè acutus,

vt

vt vel ante quintum diem Phrenitici intereant, & ideò huiuſmod conſilium Diocli relinquendum. Rectius valdè conſulit Auicenna qui ne tempus protrahatur, ſanguinem prius educit, & clyſmo deinde vtitur. Quod ſimiliter facit Hippocrates in pleuritide, vt patet ex lib. de Rat. vict. in acut. Sic etiam Rhaſis ſtatim venam aperit, quemadmodum & Galenus, antequam ſymptomata Phreniticis complicentur, & copioſa materia confluat in caput, & cerebrū. In quantitate verò non temerè amplectenda eſt illorum ſententia, qui vſque ad animi deſiquium id faciendum ſuadent, de quorum numero, & cenſu fuit Haliabbas inter Arabes præſtantiſsimus. Nam in Phreniticis dicto citius vires proſternuntur, propter morbi ipſius ſæuitiam, & continuas corporis agitationes, à quibus facilè in animi deliquium incurrunt, & propterea ratione habita virium non ſolùm præſentium, ſed etiam futurarum, ſanguis non ità largè, non ità copiosè extrahendus eſt, & in ſumma omninò infra debitum. Ex altera tamen parte irridendi ſunt Medici quidam noſtri temporis, qui vt gratiam ineant cum mulieribus, etiam in ijs, in quibus de incipiente inflammatione in internis partibus ferè certa habetur ſcientia; conſtantibus viribus, & plethora apparēte, vbi tres, vel quatuor ſanguinis vncias inſpexerunt, mox venā claudi imperant, ac ſi chirurgus in maiori quàm conueniret copia deliquerit, immemores, aut potius ignari doctrinæ Hippocratis, & Galeni, qui in huiuſmodi caſibus, inchoantibus maximè, ſanguinem largiter efflui iubebant, itaut quandoque expectarent quandam animi exolutionem, quoddam animi incipiens deliquium. Vos in Phreniticis ab initio, reliquis conſentientibus, ſanguinem largè potius mittatis, quàm diminutè, quia ſic facilius inflammationis incrementum prohibebitis, non adeò tamen capiosè, ne vires, quando morbus creſcat, in medio itinere propter ſæua ſymptomata concidant. Quoad locum, à quo ſanguis extrahi debet, de eo etiā aliquid dicendum. Cælius Aurelianus damnat Dioclem, quod ex brachio, & lingua ſanguinem detraheret, eò quia huiuſmodi ſectio caput magis replet, & ea minimè fluxio cohibetur. Actuarius à pede ſanguinem mittebat, ea fortaſſe ratione, quam nos cùm alibi, tùm 13. Meth. docuit Galenus; quàm longiſſimè ſcilicet à tentata fluxione parte eſſe reuellendum. Propterea alij è baſilica, alij

è ce-

è cephalica, alij ab hęmorrhoidibus, & alij tandem è vena frontis ſanguinem hauriunt. Quomodo ergo hac in re procedendum erit? Sola ſectio venarum inferiorum multis non probatur, cum morbus maximè vrget, nullas præbet inducias, indigetque remedio, quod celeriter poſſit non ſolùm reuellere, ſed etiam totum corpus, & caput euacuare. Ita videtis Galenum ea potiſsimum de cauſa improbare venæ ſectionem oppoſiti lateris in pleuritide, quod non ità promptè auxilium patienti afferat, vt ea, quæ fit in brachio eiuſdem lateris. Tantummodò ſectio venarum pedum opportuna cenſetur in mulieribus, ſi nimirum eo tempore menſes exeant, ſed parcè admodum, quod quidem & in Phrenitide, & in quouis alio morbo omninò eſſe faciendum, Medicorum qui ambigat, erit nemo. Auicenna cephalicam tundere videtur, quæ vena rectitudinem ſeruans cum parte affecta, ex ea celerem, & multam facit euacuationem. Sed hac in re hanc ego conſiderationem præ oculis habendam iudico, vt diligenter obſeruetur, an euidentes notæ ſint ſanguinis in toto corpore redundantis: tunc enim, vt nõ capitis ſolùm, ſed & vniuerſi corporis habeatur ratio, ab eo namq; ſanguis iugiter ad cerebrum confluit, primò mittendus erit ſanguis è vena cubiti, quam baſilicam vocant, quæ celeriter vniuerſam plethoram deplet; ſi verò non adſit ſanguinis multitudo, & de capite tantum cura habenda ſit, mittatur illicò è cephalica, ob allatam rationem. Perdurante morbo auferatur etiam ſanguis è venis hæmorrhoidalibus, à quibus exeuntem ſanguinem maximopere Phreniticis conferre docuit 6. Aphor. Hippocrates. Contrà tamen eſſe videtur quod Galenus in Comm. citati loci Hippocr. ſcribit, ſi propter bilis, aut alterius humoris copiam ęger inſaniat, illi neq; varices, neq; hæmorrhoides vllã opẽ eſſe allaturas. Accedit quod Gal. ipſe 13. Meth. 31. in Phrenitide vt reuellat, non ex venis hæmorrhoidibus, ſed ex alijs venis ſanguinẽ mitti voluit, veluti & per cucurbitulas in Introductorio cap. 13. Attamen Meſue inter cæteros tradit in omni Phrenitide hæmorrhoidum prouocationem conuenire, cui quidem bona Medicorum pars aſſentitur. Inſuper maxima cum vtilitate ſecantur venæ ſuperiores dico frontis, narium, & linguæ, & præcipuè quæ nares perreptant, cùm natura, cuius æmulus debet eſſe Medicus, per hanc partem ſoleat frequen-

ter

ter ſanguinem profundere, & ita Phreneſim ſanare. Non rarò tamen in praxi facienda continget vobis videre Phreniticos brachium nequaquam porrigere velle, tunc ambigitur, vnde ſanguis mittendus. Altimarus ex Tralliani, & Pauli ſententia monet ſecandam eſſe venam frontis. Ego tamen melius agi crediderim, ſi tum aperiantur hæmorrhoides, poſt quarum apertionem, ſectio venæ frontis iure poterit adminiſtrari, aut loco huius venæ narium aperiantur per applicatas hirudines. Sic enim ex methodo res magis procedet, quoniam euacuationes particulares ab affecto loco vniuerſalibus præmittendæ minimè ſunt. Cucurbitulæ quoq; applicari ſolent, & Auicenna laudat in collo ſcarificatas. Veruntamē Domini faciendum hoc nullo modo eſt, niſi prius diligenter, & exactè vniuerſo corpore præpurgato. Quandoquidem ex Gal. doctrina 13. Meth. c. 19. cucurbitulæ in affectibus capitis aliter non conueniunt, quia plus attrahunt ad locum affectum, quàm euacuent. Idem Gal. ibidem cap. 21. ſic ait; In Phrenitide cucurbitula capiti admota, & ſcarificata quandoq; reuocauit Phreniticum à morte. Capiuaccius, & alij teſtantur ſe huiuſmodi remedium vſurpaſſe in pertinaci Phrenitide; applicata nimirum ſuturæ coronali magna, eaq; ampla cucurbitula. Poſt ſanguinis miſsionem, commendantur ab omnibus frictiones, & vincula dolorifica extremarum partium, veluti pedum ex aqua moderatè calida lotiones. Ad hæc mirabiliter conferunt ſuo tempore Phęnigmi, ſeu veſicantia cruribus, & brachijs admota. Valenter enim cùm humores, tùm vapores ſurſum in cerebrum ab infernis viſceribus conſcendentes auertunt, & irrideatis eos, qui hoc remedij genus in Phreniticis minimè probant, quod calidum valdè remedium ſit, & ideò non omninò tutum in affectu adeò calido, qualis eſt Phrenitis. Nos enim contrà magnoperè illud ipſum commendamus, vt retrahantur calidi humores à cerebro ad brachia, vel crura, vtque impediat ne Phreniticus euadat Lethargicus, & virtus in cerebro obruatur, quod beneficium abſque dubio maius cenſendum eſt, quàm detrimentum, quod exterius admotum medicamentum partibus ignobilioribus, longeq; ſemotis à loco potiſsimùm laborante inuehere queat. Denique hoc in fonte quæritur, vtrùm radendi ſint, ſeu tondendi Phrenitici; nam Aſclepiades radi nolebat,

vel

vel tondi,quoniā ſcilicet raſo capillò, vel detonſo,copioſior materia in caput attollitur,vnde capilli fructicant magis,ſicut ſeges detonſa vberius prouenit. Quare cum oporteat materiam è capite reuelli, non in caput attrahi, neutiquam tondendi erunt; Verùm communis opinio Practicantium eſt, vt Phrenitici non modò tondantur,ſed radantur etiam,dummodò frigus non prohibeat; Ita namque topica commodius adhibentur, & intimius penetrant, & caput onere leuatur, fumique facilius digeruntur. Et hæc de Chirurgia.

De Pharmaciæ vſu in Phreniticis; vbi de recto vſu, forma, & tempore purgantium medicamentorum in hoc morbo potiſsimum agitur. Lect. X V.

EXPEDITI ab inſtrumentis, ſeu fontibus cùm Diætetico, tùm Chirurgico, ad Pharmaceuticũ iam accedamus, in quo quidem primum, quod euentilatione indiget, eſt, vtrùm in Phreniticis purgatio per medicamentum conueniat, deinde quo tempore illud exhibēdum ſit,in quibus duobus aliqua lis eſt,& controuerſia. Ad primum quod ſpectat,Galenus,& cęteri Græci purgationis per medicamenta ipſis conſueta,& familiaria non videntur meminiſſe, fortaſſe quia febrem,quæ in Phreniticis vehemens eſt,nimium adaugent, & cerebrum maximoperè conturbant. Inſuper clariſsimum eſt omnibus Hippocratis & Galeni decretum 4. Acut.21. quo purgantia medicamenta minimè poſſe adminiſtrari vidētur. Quicunq; ea,quæ inflammantur, inquit Hippocr.ſtatim inter initia morborum medicamento ſoluere conantur,ij non ſolùm ab inflammata parte nihil adimunt,cum non cedat quæ adhuc cruda eſt affectio, & quæ ſequuntur. Rhaſis tamen,& cum eo reliqui Arabes medicamentis vtuntur. Quorum igitur amplectenda ſententia? Arabum,meo iudicio, atque eò magis,quia & Græci etiam fortaſſe ab ea non recedunt. Quandoquidem Arabes leuia propinant medicamenta, ſed fortia, de quibus intelligi volebant Græci,neq; ipſi probaſſe videntur. Cur ergo dicet veſtrûm aliquis Auicenna ſcammonium proponit? Hoc ſiqui-

dem

dem eſt validum laudare medicamentum. Scitote Auicennam non vti ſcammonio ſincero, vel miſto cum alijs ſoluentibus medicamentis, ſed tantummodò cum medicamentis lubricãtibus, & blandioribus, vt nimirum eorum debili facultati calcar aliquod adderetur. Quamobrem dicatis Phreniticis purgationem per cholagoga neceſſariam eſſe, nedum vtilem, tùm quia huiuſmodi purgatio calidos, & bilioſos humores educendo, corpus refrigerat, quod in Phrenitide quantæ ſit vtilitatis nemo eſt, qui ignoret, tùm quia purgationes omnes à capite mirum in modum reuellunt, de qua re nulli debet eſſe dubium, quia ſi, vt tradit Galenus 2. Catat. clyſteres acriores inteſtina exinanientes à capite reuellunt, quantò magis id fiet per medicamenta aluum ſubducentia, & humores peccantes expurgantia? Quæ tamen blanda, & hypelata ſint oportet, cuiuſmodi ſunt, quæ apud Auicennam leguntur, ſanguinis feruorẽ extinguentia, pruna, dico, thamarindi, caſsia, manna, & ſerum lactis, in quo prædicta etiam diſſoluenda erunt; eiuſdem cenſus eſt ſyrupus noſtris temporibus vſitatiſsimus ex nouem infuſionibus, & ſicut Auicenna aliquando ſcammonium admiſcet, ita & nos electuarium de ſucco roſarum, diaprunum ſolutiuum, & multò libentius rhabarbarum addere poſſumus. Quòd ſi Phrenitis atrabilaria ſit, ad ſenam quoque, polipodium, epithymum, imò & helleborum nigrum optimè præparatum deueniendum eſt. Aliquibus in vſu eſſe ſolet medicamentum quod ſequitur: Recipe myrob. cheb. ſcrup. iiij. ſebeſt. nu. xij. paſſul. vnc. ſ. flor. cord. p. j. fiat decoctio ſ. a. cuius quidem accipiatis vnc. iiij. rhabarb. el. ſcrup. iiij. ſpicæ gr. iij. Infundantur ſ. a. & facta expreſsione addatis ſyrupi roſ. ſolutiui vnc. iiij. m. & f. p. Quoniam verò Phrenitici ferè ſemper delirant, vt non ſolùm medicamenta, ſed & ipſa alimenta reſpuant, iccircò neceſſe eſt ægros fallere. Vnde Celſus lib. 3. cap. 18. poſtquam nigrum, & album veratrum pro vomitu excitãdo in Phrenitico propoſuit, ingenioſè ſubiungit; idq; ſi in potione non accipit, pani adijciendum eſt, quò facilius fallat. Ità & Galenus in Methodo medendi in curatione illius nobilis mulieris, quæ ſæpiſsimè in cruribus ab herpete vexabatur, eò quod medicamenta omnia purgantia ſummè recuſabat, diacrydium ſero lactis ad purgandos bilioſos humores vtiliter immiſcebat, quod in Phreniticis curandis

mihi

mihi magnoperè arridet,& aliquādo ego etiam id ipſum volui experiri, vt contigit olim Venetijs in Patritio Genuenſe Lucio Monelia vehementi febre cum Phrenitide atrabilaria detento, qui cum omnes à ſe calcitrando,& mordendo longe reijceret,& ſorbitiones quaſdam tantummodò admitteret,vt non ſolùm nutrimenti,ſed etiam medicamenti, & medicamenti purgantis vim haberent,puluerem interdum diacrydij,interdum foliorum ſenæ illis im miſcebam: Vnde non ità poſt biles varias, ſed omninò aridas, & exſuccas,ſeu meras, vt vocat Hippocrates, emittebat,à quarum excretione mirè ſubleuabatur,tandemq; ſanitati citra ſpem omniū fuit reſtitutus. Sunt qui parant pilulam ex trochiſc. alhandal ſcr. ſ.diacrydij gr.ij.pul.caryophyl.gr. iij.& ſucco roſarum, qui modus vt ingenuè dicam quod cenſeo,mihi non probatur.Omittens enim quod pilula hæc, licet paruæ ſit molis, maximę tamen actiuitatis eſt,illam deglutire recuſabunt Phrenitici continua vexati dementia. Addatis quod medicamenta in forma pilularum improbantur in Phreniticis duplici ex cauſa, vna quidem quia cum morbus ſit bilioſus,& calidus valdè,ac ſiccus, de vlteriori exſiccatione timendum,quæ exſiccatio à medicamento liquido, & humido non ità cauſari ſolet: quam rem ſi expenderent Medici quidam almæ Vrbis non adeò prompti forent in proponendis pilulis in febribus etiam vehementioribus, ac æſtiuis temporibus: altera quia pilulæ cùm diutius in ventriculo morentur, ad illum trahunt acres, & bilioſos ſuccos,qui in caput euaporantes Phrenitidem augent, quæ noxa ab humido medicamento citò ad inteſtina dilabente nullo pacto eſt metuenda. Quantum ad ſecundam dubitationem,maior Medicorum pars tenet,& antè, & poſt coctionem ſoluentia medicamenta Phreniticis poſſe propinari,ſi materia turgeat, ac furioſa ſit, ita ut bilis admodum vehementer, & inſigni impetu in caput moueatur. Quo in caſu ſtatim,& nulla interpoſita mora exhibere oportet medicamentum,quod luxuriantem, ac veluti furentem humorem prius educat, quàm in cerebri partes infigatur, & inflammationem progignat. Nec deſunt inter Practicæ Medicinæ ſcriptores,qui tum etiam ſcammoneata,& omninò valida medicamenta laudant, quorum opinio fortaſſe contemnenda non eſt, quia imminet,& iam præ foribus eſt morbus vehemens,&,vt plurimum

exitio

exitialis, qui à valentiori medicamento tenues illos, ac turgentes humores euacuante præcaueri poteſt. Tutius tamen erit blandioribus vti,& imitari Hippoc.& Gal.qui lib.4.de Rat.vict. in acut.in ardente febre, quæ ad inſtar Phrenitidis maximus eſt, & acutiſſimus morbus,ſi oris amaror vnà fuerit,potu lactis aſinini copioſi vel ſeri eius vtuntur ad redundantem bilem in ventriculo purgandam. Vnde nobis in Phrenitide ſolent in vſu eſſe quotidiano ſyrupi dicti violaceus,& roſaceus ſolutiui,quippe quia etiã ipſi refrigerãt, ac leniunt, præſertim violaceus;ſed roſaceus in capitis morbis magis conuenire videtur.Nam Aetius,Alexanderq; commendant in potu rhodomel dilutum ex aqua,quia roſa addit ad robur capitis, præterquàm quòd leui ſua adſtringẽdi facultate fluxũ humorũ,impetumq; reprimere aliquantisper valet.Conueniens etiam medicamentum erit,quod accipit Elect.lenit.vnc.ſ.rhab.el.pul.drac.ij.ſeri caprini vnc.v.miſ.Vel accipiatis Pulpę tamarindorum vnc.ſ.rhabar.drac.ij.cum aqua hordei ſ.p.Itẽ accipere poteſtis Mannæ optimæ vnc.ij pulpæ tamar.vnc.ſ.elect.de ſucco roſ.drach.j.& hæc omnia diſſoluantur in decocto prunorum. Demùm non eſt omittendũ quod proponitur à Nicolao hunc in modũ Recipe flor. nymphææ, violarum, borraginis, bugloſſi, fumiterræ, ana p.vnum, pruna nu.x. ſeminis endiuiæ, ſem. maiorum frigid. ana vnc.ſ. coquantur omnia ſimul in aqua,& colentur, & in colatura q.ſ. diſſoluatur tamarind. mannæ electæ ana vnc.ſ.elect.de ſucco roſar.drac.ij.miſ.Quoniam verò non ſolùm impoſsibile eſt aliquando medicamenta hæc per os Phreniticis offerre,ſed etiam quia licet à principio medicamentum ebiberint, poſtea tamen ſicca illis remanet aluus,ideò ad illa auxilia deueniendum à vobis eſt, quæ per ſedem inijcienda ſunt, quorum vſus valdè vtilis eſt in omni capitis affectu,quia dùm purgant ventrem inferiorem, ſubtrahunt omninò aliquod fomentum capiti,& trahendo deorſum ſucceſsione quadam reuellunt humores ad caput aſcendentes, & propterea videtis Galenum 2.Catat. ſummoperè laudare Archigenem, qui clyſteres plurimum commendabat. Sint verò clyſteres nec omninò acres,nec omninò leues,non illi,quia creduntur infirmare iecur,& corpus totum nimis conturbare, non hi, quia vel nihil, vel certè parum conferũt. Accipiatis itaque maluarum, mercurialis, florum violarum,

nymphææ,lactucæ,ana man.j.hordei vnc.j.coquantur omnia in aqua fontis, & colaturæ accipiatis lib. j. olei violati vnc.iij. ſacch.rub.vnc.ij.caſsiæ nuper extr. vnc. ſ. ſalis drach. ij. m. Aut accipiatis ſeri lactis,in quo bullierint lactuca,violaria, & portulaca; lib.j.mell. & ſacch.violati ana vnc.ij.olei viol.& nenuphar.an.vncias ij.m.Sunt qui accipiunt ſucci bliti lib.j.olei vnc.iij. ſalis drac. ij. & ita indunt.Sequens mihi valdè placet.Recipe fol.bliti,maluæ mercurialis, violarum,lactucæ,ſcariolæ an.m.j.coquantur in aqua hordei, & colentur, cuius decocti accipiatis lib. j. ſacch. violati, olei violati ana vnc.ij.elect.de ſuc.roſar.drach.iij.m.Suppoſitoria aliquando in Phreniticis facilius intromittuntur,fiuntq; ex ſpeciebus hieræ ſ. Gal.melle, & ſale, interdum,quando valde ſopita apparet virtus, ex ſpeciebus hieræ logodionis, ex puluere centaureæ cum melle, & ſale, & non raro immiſcentur trochiſci alhandal. Poſt medicamenti exhibitionem, ſuccedunt alterantia, inter quæ ſerum optimè depuratum, aut etiam lambicatum non infimum tenet locum. Paſsim præſcribuntur aquæ ſtillatitiæ acetoſæ,lactucæ,endiuiæ,nymphææ,& borraginis, aut aquarum loco exhibetur iuſculum pulli gallinacei alteratum nymphæa,borragine,lactuca, & acetoſa,vnà cum ſyrupo de limonibus,de granatis,de acido citri,de omphacio; Quæ quidem alterantia,ac humorem præparantia quolibet tempore præbeantur, cum res agatur cum non minus mente, quàm corpore ægrotantibus. Sed quì obſecro fit bilioſorum humorum præparatio? eorum demulcendo feruorem, & impetum cohibendo. Quemadmodum etenim videmus nos ſuccinum vento agitatam paleam non trahere, & magnetem ferrum non niſi quietum, ſic per ſe, ſuapteq: natura mobilem, & inquietam bilem cholagogon minimè trahit, niſi prius à ſuo contrario alteratam. Tandem propinetur medicamentum, quod ita præſcribatur, & valet non ſolùm ad Phreniticos, ſed ad omnes alios capitis affectus calidiores, & ad febres tertianas, & ardentes: Recipe radicum graminis,& acetoſæ ana drach.ij.fol.cichorij, endiuiæ, cuſcutæ ana man.ſem.quatuor ſem. frigid. maiorum ana drach.j.flor.violar. nenupharis ana p.j. fiat decoctio. In colaturæ vnc.iiij,infundantur rhab. el.drach.ij. & in leui expreſsione diſſoluatis ſyr.roſati ſolutiui vnc.iij.& fiat potus.Et hęc de medicamen-

tis

tis ratione totius, licet aliquibus non probetur in Phrenitide purgatio, quæ per medicamentum purgatorium fit, in fine ſcilicet, ac declinatione morbi, quia tùm materia in cerebro contenta per proprios cerebri meatus educenda eſt. Quantum pertinet ad caput, vel loquimur de vacuantibus caput per ſenſibiles meatus, dico per os, per nares, tunc maximè probantur quæ ſine maſticatione vacuare poſſunt, quia Phreniticus non obtemperat, vt eſt apud Galenus 13.Meth.cap.21. Vnde Galenus ipſe vngebat palatum: & vos, vbi opus erit, adhibeatis hoc linimentum. Recipe ſucci betæ, maluæ, lapathi, ana vnc. ſ. oxymel. ſ. vnc. vnam miſ. Validiora non deſunt, quæ ad libitum parare vnuſquiſque poteſt. Licet etiam vacuare per nares ſternutatorijs, quæ tamen vt facilius operentur, ac efficacius per illam partem capitis materiam educant, poſtponi debent ſuffimigio ex thymo, pulegio, origano coctis in aceto. Ita namq; materia in capite præparata promptè cedit ſternutatorijs. Vel loquimur de vacuantibus inſenſibiliter & per latentes poros, atque meatus, iuxta quam intentionem conueniunt & repercutientia, & digerentia, ſeu reſoluentia; prout nimirum materia nondum influxit, aut iam omnino fluxa, & impacta eſt. In quibus quidem adminiſtrandis accuratè attendere oportet varia Phrenitidis tempora, veluti cuiuſcunque inflammationis. Quandoquidem à principio morbi apocrouſtica, ideſt repellentia, quæ frigida ſunt, & adſtringentia probantur, ſicuti & in incremento, ſed non æqua lance, vt audietis, in ſtatu, & declinatione calida moderatè, & diſcutientia. Ab initio purè reprimentia, & validiora, quàm in augmento, in quo aliquid digerentium cum reprimentibus miſcendum, in declinatione digerentia tantum, & reſoluentia, eaq; valentiora, quàm in vigore. In principio enim morbifica materia adhuc in motu eſt, ideò ſola repercutientia capiti applicanda, in augmento eadem materia iam fluxa, ſed non impacta, vnde cedit moderatè reprimentibus, & aliquantiſper digerentibus. In ſtatu iam imbibita eſt, iccircò aut ſolis digerentibus vtendum, aut digerendũ magis, quàm reprimẽdum. In declinatione iam validè impacta eſt materia, & quæ in inflammata parte relicta eſt, poſt calidæ, tenuioriſq; reſolutionem, ſolis digerentibus, hiſq; valentioribus diſſipanda erit. Conuenit

L 2 enim

enim hoc tempore Phrenitis cum Lethargo , amboq; hi affectus ſimilia requirunt auxilia . Quæ ſingula cuiuſmodi eſſe debeant, & qui modus in eorum vſu ſeruandus,dicetur in ſequenti.

De recta adminiſtratione repellentium, ac digerentium in Phrenitide, deq; huius morbi per conſenſum à diaphragmate curatione. Lect. *XVI.*

IN fine pręhabiti ſermonis ad topica in Phreniticis deueni, quibus hoc modo vtendum eſſe dicebatur; Ab initio quidem,cũ materia moueri primùm incipit,& notæ apparẽt impendentis potius, quàm præſentis Phrenitidis , reprimendum.In augmento , cum materiæ pars aliqua fluxit, non ſolùm repellendum, ſed modicè etiam diſcutiendum. Sunt tamen qui hanc laudant intentionem in quacunque alia inflammatione, aſſerentes in reliquis inflammationibus licere in augmento cum repellentibus admiſcere digerentia,ſed in Phrenitide refrigerantia tantum, & virtutem principem ſopientia conuenire:quibus videtur fauere Gal.2.ad Glauc.1.Vt verò morbus procedit , minuenda quæ reprimunt,adaugenda quę digerunt . Vnde in fine validis reſoluentibus vtimur, quemadmodum in Lethargicis. Non tamen excidat vobis è memoria illud Gal.13.Meth.21. ſcilicet in inflammatione partium nobilium nunquam deferenda eſſe medicamenta repercutientia , quia ſemper oportet illas partes tueri,& robur ipſarum,ab humoribus, & vaporibus ingruentibus. Nunc ergò ſolùm remanet vobis oſtendere cuiuſmodi hæc omnia eſſe debeant , & quomodo applicanda ſint, præſertim repellentia, de quibus controuertitur. Debent autem reprimentia , quæ Græcis apocrouſtica dicuntur , frigidæ eſſe , & craſſæ ſubſtantiæ ; contraria enim ſunt attrahentibus calidis , & tenuis ſubſtantiæ. Debent præterea repellentia eſſe adſtringẽtia,ratio eſt,vt partem, cui applicantur , poſsint denſare,ne propter laxitatem facilè ſuſcipiat. Quoniam tamen quæ huiuſmodi ſunt, dico frigida , & craſſa vias ſibi præcludunt, nec ad intimiores partes deuehi, ac

pene-

penetrare poſſunt, ideò eorum imbecillitati occurrendum per ea, quæ reprimentia ipſa vehunt, nec tamen eorum vim frangũt, qualia ſunt tenuia, & frigida, vti acidum citri, ſuccus granatorum acidorum, & præcipuè acetum, quod Galenus omnibus alijs antepo-nit lib. 1. Catat. 8. Sed ex alia parte improbari poſſe videtur aceti vſus in curatione Phrenitidis, quòd acetum neruoſis, ac membra-noſis partibus, imò cunctis inflammationibus aduerſatur, ne dicam quòd acetum inimicum eſt ijs, qui immoderatè vigilant, vt euenit plerunq; Phreniticis. Dicatis acetum in horum repellentium medicamentorum compoſitione non habere vim medicamenti principalis, ſed pro vehiculo tantum, ac faciliori penetratione inſeruire, qua ratione omninò conuenit, nec vlla inde pertimeſcenda noxa. Vnde videmus etiam Galenum lib. 2. Simpl. 19. affirmare acetũ dolorem progignere, quia acrimonia ſua morſum facit, & nihilominus praxim exercentes illud in cephalalgia, & in omnibus oxyrhodinis ad inflammationes uſurpant. Si tamen vigiliæ nimis intendantur, vice aceti poni iubebitis ſuccum vel limonum, vel aurantiorum, vel citri. Si quis autem veſtrûm noſſe cupiat, qua nam menſura præſcribi acetum debeat, idipſum docet Trallianus, qui hac de re loquens, notat in Phrenitide quintã partẽ aceti alijs rebus adijciendã eſſe. Inſuper in his oxyrhodinis inſtituẽdis ab oleis, quantum fieri poterit, abſtinebitis, quoniam in inflammato cerebro facile eſt, vt oleoſa magis flagrent, & ipſius cerebri incendium adaugeant. Exemplum autem oxyrhodini in Phrenitide ita ſit. Recipe olei roſati omphacini vnc. j. & ſ. aquæ roſ. vnc. ij. decoctionis nymphææ, lactucæ, & plantaginis vnc. iiij. ſ. aceti vnc. ij. m. Et cum pannis lineis, aut ſpongia ſynciput ad ſuturam coronalem irrigetur. Alij contenti ſunt oleo roſ. aqua roſ. & aceto, ſimul omnibus commiſtis, & agitatis. Quidam parant decoctum roſar. violarum, lactucæ, nymphęę, portulacę, & capitum papauerum, & huic addunt roſaceum, & modicum aceti, & ſic caput irrigant; quibus quidem non ſolùm repercutiunt, ſed facilè quoq; ſomnum conciliant; Rhaſis præcipit ſæpius inde vngere caput ex oleo violato, & lacte mulieris. In hoc remedij genere quęritur, vtrum adhibendum capiti ſit actu frigidum, an verò potius tepidum; qua in re determinanda parum concordes inter ſe video eſſe Medicos. Alij ſiqui-

dem actu frigidum,alij contra tepidum applicandum eſſe contendunt. Rhaſis dicit ſolùm oxyrhodinum admouendum, qua nam verò qualitate non explicat. Hoc diſſidium cenſeo diſſoluendũ ex natura rei. In vera,& exquiſita Phrenitide, qualis potiſsimum in bilioſis naturis, ac tempore æſtatis gigni ſolet, ſtatim à principio morbi,quod principiũ, ſi morbus mediocriter moueatur,duos vel tres dies occupabit, puto oxyrhodinum actu frigidum conuenire,nec temerè quoſdam cum Auicenna illud vel niue refrigeratum commendare. Affectus enim eryſipelas eſt, vt audiuiſtis, cumq; propria ratione multum refrigerari poſcat,cur amabo optima actu frigida non erunt? Galenus 9. Meth. verum eryſipelas non aliter curare docet, & 14. Meth. maiori egere ait refrigeratione,quàm phlegmon, quòd plurimum ardore moleſtet. Accedit quod hac actuali refrigeratione bilis acrimonia retunditur, vnde minus infeſtat. Sic videmus Galenum in ſe ſe vſum frigido, vt ſentiret apertiſsimè penetraſſe lib. 13. Meth. In cephalalgijs ab acriori fuligine, & calidioribus vaporibus, & in pſeudodelirijs febrium ardentium frontalia actu frigida præſcripta millies ſum expertus iuuamen euidentiſſimum afferre,nec vllum vnquam inde ægrotanti detrimentum acceſſiſſe obſeruaui. Ideò cum Galeno dicatis, dùm hoc remedium capiti applicatur, habendam eſſe rationem temporis anni, naturæ patientis,& cauſæ morbificæ. In æſtate ſiquidem,quo tempore Phrenitides maximè vigent, frigidum conuenit, quod quidẽ æſtas indicat duplici nomine,& per ſe,& ex accidenti:Per ſe quoniam cauſę morbificæ rationem habet,per accidens,quia affectus bilioſiores nobis demõſtrat. In hyeme verò contrario modo agendum eſt,medio in medijs temporibus. Corpora mollia,& humida, qualia puerorum ſunt, & albarum mulierum non adeò valide refrigerantia poſtulant, quoniam nec ità vera,& exquiſita Phrenitide capiuntur,vti iuuenes propria natura calidi, ſiccique. Idem patet de natura humoris. In legitima ſiquidem Phrenitide quis non videt alia conuenire,quàm vbi multũ aut ſanguinis, aut pituitoſi humoris admiſtum ſit? Quicunq; verò oxyrhodinum ſemper actu tepidum admouendum cenſent, poſthabitis quæ mox dicebamus, ducem habent Aetium, qui excrementorum diſſlationem ex frigido prohiberi affirmat; Alij addunt non

ferre

ferre inflammatas cerebri meninges frigidi occurſum. Primum nihil eſt, quia tunc quærimus aliam vacuationem per reprimentia, vt ſimul inhibeamus augmentum, non autem digeſtionem per halitum, quæ ſolùm in fine congruit. Secundum vix intelligo; An membranæ frigidi occurſum minimè ferunt, quia inde dolent? An quia natura frigidæ, ex eo aliqua afficiuntur læſione? Nemo non videt meninges, licet natura frigidæ ſint, cum iam calidiorem intemperiem, inſignemq; ardorem conceperint, ſi quidem in ſui naturam redire debent, multa refrigeratione opus habere, quia ſcilicet per immodicum caloris exceſſum à propria natura longè diſtant, quas propterea ſola refrigeratione ſanare poſſumus. Ne dicam quod cerebrum in viuente, & ſuis partibus conueſtitum, nõ eſt adeò frigidum, quin frigiditatem roſacei perferre poſsit. Nam Gal. 8. de Vſu part. 2. aſſerit omni tempore aere calidius inueniri; præterquàm quòd in tranſitu oxyrhodini vim, & facultatem remitti neceſſe eſt; Vnde ſi Gal. 11. Meth. 18. in inflammatione intra craniũ probat caſtorium, quamuis ſit calidius, quàm cõueniat materiæ phlegmonẽ producenti, nulla alia de cauſa, niſi quia vis medicamenti in itinere, ac tranſitu frangitur, quantò magis hoc dicendum in oxyrhodino actu frigido applicando? Ab initio igitur vſquequò morbus augeatur, huiuſmodi oxyrhodinis vtendum erit in Phrenitide, quàm dixi. In non vera Phrenitide, aut etiam in vera, ſed progrediente morbo, temperandum à frigiditate, & præter repellentia addenda ſunt diſcutientia. Tunc laudandum Aetij conſilium, quia rarefaciendum ſimul, ac digerendum; alioqui negligatur, quia tepidum minimè repellet, neque id præſtabit quod fluxio humorum, & inflammatio exigere videntur. Procedente affectu ad diſcuſſoria deueniendum, & quæ digerentia vocant, incipiendo ab imbecillioribus, & ad valentiora gradatim aſcendendo. Vnde in incremento morbi, vſque ad medium ſtatus, ſeu poſt quatuor, aut etiam quinque dies peractos, rarefacientia ſimul cum repellentibus admiſcenda erunt, & vos poteritis ſupra allatæ irrigationi addere flores chamæmeli, anethi, & meliloti, poſtmodum verò etiam ſerpyllum, pulegium, calamenthum, quæ pariter in aceto coquuntur pro ſuffimigio. Valentiora ponuntur in Lethargo, quæ locum quoque habent in Phrenitide

iam euidenter inclinante. Duo remanent enucleanda in ipſiſmet digerentibus, de animalibus quibuſdam,& partibus eorum, quæ ad maiorem rarefactionem, atque diſcuſsionem capiti applicantur. Quod remedij genus non ità pridem fuit inuentum. An ex rei natura ſit excogitatum, & adinuentum tale auxilium, & an alio in tẽpore, quàm declinationis locum habeat, quando ſunt, qui ante hoc tempus eo vtuntur, ad ſomnum quoque conciliandum. Sunt è Medicis recentioribus, qui ideò putant hoc ipſum remedium abſolutè non conuenire, quia antiquiores Medici etiam Arabes, qui in praxi docenda Græcis videntur fuiſſe locupletiores, nullam de illo mentionem faciunt. Ad hæc materias ad caput trahere magis poſſunt animalia illa, tùm proprio actuali calore, tùm virtuali, quia calidi ſunt temperamenti, vt gallus, & columbus; Scitote Auditores, quod experimento ſæpè obſeruatum fuit, hoc præſidij genus ſalutare eſſe,& antiquiores Medicos non omnia, & ſingula nobis ad vnguem tradere potuiſſe. Veriſsimum etenim eſt quod Seneca ſcribit: Artes naſcentes rudes ſunt, ſed harum in proceſſu ſubtilitas creuit. Medicina à principio paucarum fuit ſcientia herbarum, poſtea verò in immenſum excreuit. Quare non ablegandum à Medicinæ vſu propoſitum auxilium, quòd illo veteres Medici vſi non ſint. Conuenit enim quàm maximè, quia licet animalia illa calida ſint, calida nihilominus ſunt calore natiuo, qui blandiſsimus eſt, & viſceribus noſtris per quàm amicus. Quare calor ille natiuus non ſolùm blanditur cerebro, ſed etiam placidiſsimè diſcutit. Propterea accipiunt alij pulmonem veruecis, vel pecudis, vbi primùm ab animali extractus eſt, & capiti ita calidum adhibent; vbi refriguit, ponunt in decoctione calida chamæmeli, & roſarum. Alij probant magis catulum per medium ſciſſum, alij gallum, alij columbum,& alij pullum gallinaceum; In tempore ita procedendum. Ab initio dùm ſolis indigemus reprimentibus omninò abſtinendum, in augmento,& ſtatu vos vti poteritis, ſed alijs additis. Noui ego Medicos celeberrimos, qui his temporibus vtebantur cum puluiſculo ſuperſperſo roſarum, nymphææ, ſantalorum rubeorum, & conſimilium refrigerantium. Quidam alij decoquunt in aceto, alij tandem infundere ſolent in decocto facto capitum papaueris, roſarum, violarum,

larum, nymphææ, hordei, & chamæmeli. In fine ſtatus, & in declinatione tutò illis ferè ſolis vti licet, aut imbibitis, & infuſis in decoctis diſcutientibus, & reſoluentibus, qua de re ſatis. In Phrenitide illa per conſenſum diaphragmatis orta conuenit ſtatim venæ ſectio internæ brachij, vt in pleuritide. Inſuper ſanguis mittendus ex hæmorrhoidibus, & per cucurbitulas in dorſo ſcarificatas, & ad nates, & coxas. Purgatio facienda magis per clyſteres, ne pars offendatur. Præcordia fouenda, & perfundenda oleis violaceo, & roſaceo. Quinimò ſi magnus ſit æſtus, non deſunt, qui vtuntur ſucco ſemperuiui actu frigido, & folijs cucurbitæ impoſitis. Cautè nihilominus in his procedendum, ne lædatur anhelitus. Morbo progrediente relaxantia, & reſoluentia adhibenda, oleum amygdalinum dulce, anethinum, chamæmelinum, addito etiam roſaceo. Sunt qui parant cataplaſma ex lini ſemine, & hordeo cum hydrelæo. Aliqua alia videatis apud Hippocratem 2. de Morb. & de Affect. Hic enim per me finis eſt Phrenitidi, & ad Lethargum me confero :-

Libri Secundi de Phrenitide Finis.

DE LETHARGO LIBER TERTIVS.

Medicinæ Practicæ vocatæ encomium, & aliqua de ordine ſeruando in explicandis ſoporoſis, alijſq; cerebri morbis. *Lectio I.*

IAM quartus agitur annus, Præclariſsimi Viri, ex quo in hoc ſplendidiſsimo literarum Emporio eam Medicinæ partem, quam vulgò, & paſsim Practicam appellant, palàm docere, & publicè profiteri aggreſſus ſum. Quæ meritò, & ſumma cum ratione cæteris Medicinæ partibus tanquam anteſignana præponitur. Hæc etenim illa eſt, quæ circa laborantia, & ægrotantia corpora potiſsimum verſatur; vera, & inculpata ſanitate fruentia minimè deſerens; in illis corruptam emendando, in his integram ſuſtentando igian, qua quidem præſente nihil homini vtilius, nihil iucundius, abſente verò nihil deterius, nihil triſtius euenire vnquam poteſt. Hęc Domini ſingulorum tùm morborum, tùm ſymptomatum cauſas, differentias, & ſigna quæque dignoſtica, & prognoſtica accuratè rimatur, hæc indicationes curatiuas demonſtrat, hæc tandem è triplici materia, in qua omnis inueniendorum remediorum ratio continetur, nempe Diæta, Pharmacia, & Chirurgia præſentanea auxilia, optatamque medelam, admiranda cum vtilitate nos elicere docet. Vnde à Græcis in Pathologiam, quæ de affectuum omnium præternaturam cauſis, & ſignis loquitur, ac diſſerit, nec non in Therapeuticen, quæ illorum remedia docet, aptè admodum diuiditur. Pars enim altera, quam Phyſiologiam vocant, in qua cuncta, quæ nobis ſecundum naturam inſunt, explicantur, alijs doctiſsimis viris demandata eſt, Theoricorum nomine inſignitis. De hac Medicinæ parte, quam profitemur, intelligebat ſapientiſsimus [redacted]

Eccle-

Eccleſiaſt. cap. 38. Altiſsimus creauit Medicinam de terra,& vir prudens non abhorrebit illam, & paulo infra; Da locum Medico: etenim illum Dominus creauit,& nō diſcedat à te,quia opera eius ſunt neceſſaria. Antea verò dixerat; Medicus à Rege accipiet donationem,& diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur. Quæ res vt aliquibus exemplis illuſtribus comprobetur,habemus apud Herodotum in Thalia magnā fuiſſe apud Darium Democedis Medici auctoritatem,excellentiā, lucrum. Nam duobus aurearum compedū paribus ab ipſo Dario, quem ſanitati reſtituerat, donatus eſt, & ab vxoribus eius aureis phialis prætioſiſsimis:Auguſtus Antonium Muſam ob reſtitutam ſibi ſalutem annulo aureo donauit, ideſt dignitate equeſtri, & non eum ſolùm, ſed etiam alios omnes eandem artem profitentes, auctore Nicæo.Eidem Medico,cuius opera ex ancipiti morbo Auguſtus conualuerat, Senatores Romani ſtatuam ære collato, iuxta ſignum Aeſculapij ſtatuerunt,affirmante Suetonio.Taceo Taddęū Florentinum ab Honorio Papa eius nominis Quarto vocatum, qui præter centū aureos ſibi in ſingulos dies ſtatutos, ſanitate reſtituta, decem quoque millibus aureorum ditatus fuit, de quo legatis Volaterranum in Anthropologia; taceo & Iacobum Canterium Gallum menſtrua mercede decem aureorum millia habentem à Ludouico Vndecimo Francorum Rege: Apud quem permagna illi fides erat, vt in ſua Chronica Argentonius teſtatum reliquit. De Medicis hanc Medicinæ partem exercentibus, dubio procul accipiendum eſt illud Homeri 2. Iliad.

Vir Medicus multis alijs æquandus honore eſt:

De ijſdem ſermo erat Platoni dum 6. de Rep. & 1. de Legib. Medicos Reipublicæ neceſſarios eſſe multis probat, & Ariſtoteles quando 10. Ethic. ſcripſit, Medicos è libris minimè fieri, an non clarè voluit ſignificare, practicam Medicinæ partem eam potiſsimum eſſe, quæ Medicos facit?In hac ſiquidem Medicina practica habetur particularis quædam exercitatio, quæ dici vix poteſt quantum conferat ad morborum curationem addiſcēdam, de qua verba faciens Galenus 2. de Locis aff. 9. & 9. Meth. 6. affirmabat Medico ad ſuum finem conſequendum, duo maximè eſſe neceſſaria, nempe aliquam dogmatum vniuerſalium intelligentiā,

& aſ-

& aſsiduam in particularibus exercitationem. In hac igitur morbi omnes cunctarum noſtri corporis partium expenduntur, & cum partes dico, nõ quaslibet partes intelligo, quę in humani corporis compoſitionem veniunt, vt accipit Gal. 1. Meth. 2. & 1. de Elem. 6. ſed pro illis tantum partibus accipio, quæ certam habent circumſcriptionem, & perfectam edere operationem poſſunt, vt eſt apud Gal. 1. de Vſu par. 3. Ordo autem Almi huius Gymnaſij, veluti & aliorum omnium eſt, vt à capite exordium ſumatur, deinde ad medium, & infimum ventrem deueniatur, poſtremò de febribus agatur. Quæ cuncta præterito triennio pro virium mearum exilitate abſolui. Ad caput iterum redeundum, & de morbis eius rurſus hoc anno vobiſcum agere oportet. Innumera tamen cum ſint morborum genera caput exercere, ac infeſtare ſolita, tàm extrinſecus, quàm intrinſecus, à quibusnam ſermo noſter inchoabitur? Hoc enim ad libitum eſt: Externos capitis affectus, vti areas, ſub quibus alopecia, ophiaſis, itẽ defluuium capillorum, & caluitium comprehenduntur, omittendos cenſui, tãquam turpitudines potius, quàm morbos, & ad exornatoriam ſeu coſmeticam Medicinam ſpectantes. Sic enim eam vocat Gal. lib. 1. Catat. cap. 2. & aliquando exercuit propter fœminas regias, quibus, vt idem ait, obedire oportet. Eiuſdem cenſus æſtimantur fortaſſe non temerè achores, ſeu tineę, porrigo, & phtiriaſis, quos propterea in aliud tempus reijcio; Quare de internis propriè, & ſimpliciter morbis tantummodò loquar, qui quotidie in medendo nobis occurrunt, magno cum vitæ ęgrotantium diſcrimine. Aliàs à capitis dolore incepimus Rhaſis ordinem ſecuti: nam & ille librum ſuum nonum ad Almanſorem à capitis dolore auſpicatur. Quod etiam Galenum feciſſe non ignoramus in lib. Catat. vbi poſt cutis affectus, ſtatim ſeſe contulit ad dolorem tractandum, quem pariter imitatus eſt Alexander Trallianus, & Auicenna pr. tertij, vt vnuſquiſque veſtrûm optimè nouit. Verùm hic ordo perpetuò ſeruandus? Huic normæ ſemper inhærendum? Dicimus nos Medicinæ leges non eſſe ad Polycleti immutabilem regulam referendas; ſed ad Lesbiam normam adaptandas, quam quidem pro factorum, perſonarum, ac temporum circumſtantijs magiſtratus æquitas commutare ſolet. Non multis ab hinc menſibus cum de febribus diſſererem, poſt ephemeras

ſtatim

ſtatim ad putridas deueni,de hecticis deinceps tractaturus, quem ordinem habet Auicenna,cum nihilominns Galenus poſt ephemeras,mox hecticas expendere incipiat,& vltimo loco putridas; ambobus autem ſui conſilij,& propriæ ſententiæ ratio non deeſt. Propoſuerat ſibi Galenus, vt clarè patet ex primo ad Glauc.2.ſe velle prius de his febribus ſermonem facere, quæ ſimpliciſsimæ ſunt,iuxta vulgarem,& communem ordinem,qui eſt,vt à rebus prioribus & ſimplicioribus noſtrum exordiamur ſermonem, deinde ad eas, quæ ſunt magis compoſitæ,accedamus. Putridæ enim febres non adeò ſimplices ſunt, vt ephemeræ, & hecticæ, ſed magis compoſitæ,tàm ſi illarum cauſas,quàm ſymptomata,quæ illas concomitãtur,reſpicimus. Auicenna verò aliam fortaſſe habuit conſiderationem,quia nimirum calor præter naturam omnium facillimè accenditur in ſpiritibus, poſtmodum in humoribus,poſtremò in ſolidis. Quibus omnibus addatur Galeni teſtimonium. Nam dùm quidam Hippocratis interpretes hoc illi crimen obijcerent, quod de luxationibus primùm immutato ordine agat,deinde verò de fracturis, cum fracturas luxationibus anteponere debuiſſet, Galenus ipſe eos ſummoperè irridet in initio Comm. primi de fracturis, apertè nobis demonſtrans nullam extare legem, quæ homines cogat eundem perpetuò ordinem ſeruare,imò pro vario arbitratu varios etiam ordines diuerſa ratione inſtitui poſſe. Hæc licet longè petita ea de cauſa protuli, ne quis veſtrûm fortaſſe me alicuius notæ inſimulet, ſi non à dolore capitis, vt moris eſt,ſed ab alijs affectibus initium faciam. Cuius etiam propoſiti ratio multiplex afferri poteſt, ſed in primis quia impoſsibile eſt huius nobiliſsimi membri morbos omnes,qui plurimi ſunt,tàm breui tempore ad vnguem expendere, & ſigillatim percurrere. Vnde neceſſe eſt magis frequentes tantum, & curatu difficiliores proſequi. Præterea quia noui multos affuturos, qui ad me audiendum cõuenere ab eo vſq; tempore, quo capitis morbos exponebam, quibus fortaſſe eadem inchoare,& acta reaſſumere cum ipſorum moleſtia videbor. Quam obrem dummodò à capite exordium noſtra deſumat oratio, quid ad vos an ab hoc, vel illo capitis morbo fiat? Decreui enim,& iam in animum induxi meum à Lethargo incipere, & ſub eo ſoporoſos morbos omnes pro viribus expendere; quod cum faciam,aliquem

etiam

etiam ordinem ſeruabo, ſi rectè memoria tenetis, morbum poſtremo loco aliàs, dùm circa caput verſaremur, explicatum, Phrenitidem fuiſſe, cui in ordine apud omnes Practicæ ſcriptores Lethargus ſuccedit. Hic morbus non ſolùm grauiſsimus, vt ſuo loco intelligetis, ſed etiam frequentiſsimus eſt, cùm alijs in vrbibus, in quibus diù medicinam exercui, tùm Romæ præſertim, humidioris, & craſſioris tàm cibi, quàm cæli ratione. In ſequentibus ergò ad Lethargum expugnandum me accingam, cuius primùm eſſentiam in quid nominis, & in quid rei, vt iſti loquuntur, deinceps differentias, mox cauſas, poſtea ſigna omnia cùm dignoſtica, tùm prognoſtica, demùm curandi rationem per indicationes elicitam Vobis ante oculos ponere ſtudebo. A principio tamen mei ſermonis breuem quandam capitis, & cerebri anatomem delineabo, quam profectò & in dignoſcẽdis, & in curandis illarũ partiũ ægritudinibus valdè neceſſariam, nedùm vtilem eſſe, quiuis etiam ruditer in arte verſatus facillimè cognoſcit, præterquàm quòd Celſus lib. 4. c. 1. ſic traditum reliquit: Omnium interiorum morbi, curationeſq; in notitiam venient, ſi prius eorum ſedes breuiter oſtendero. Interim Vos, præſertim qui nunc primùm Medicinę ſtudijs, ac diuinæ artis myſterijs initiamini, mentes veſtras accingite, ingenijq; acumen ad tàm præſtantem, & proficuam diſciplinam capeſſendam dirigite, omni poſthabito & animi, & corporis labore. Artem enim longam in tàm breui vita citra aſsiduum ſtudium, abſque perenni exercitatione, ad mediocritatem, nedum integrè aſſequi impoſsibile eſt. Dixi.

Breuis quædam, & dilucida Capitis, & partium eius delineatio, ex melioribus Anatomicis. Lect. II.

DE Lethargo non ita poſt verba facturus, veluti de cæteris capitis, & cerebri morbis grauioribus à me aliàs non examinatis, breuem quandam huius membri anatomem Vobis Medicinæ ſtudioſis ante oculos ponere conſtitui, prout meliores Anatomici è recentioribus nos docuerunt; quorum omnium laudatiſsimus vixit, viuetq; in poſterum Andreas Laurentius. Hoc ipſum autem ego non ſolùm vtile, ſed valdè ne-

ceſſarium etiam eſſe exiſtimo Medicis omnibus capitis morbos cognoſcere,& curare cupientibus; vt ſileam quod ad prognoſticũ ex arte, ac methodo pronunciandum, nihil aptius excogitari anatome poteſt. Magnam etenim partem ad hæc tria confert. Ad diagnoſim, quia & affectus, & affectæ particulæ ſigna maximè principalia non ſolùm ab actionis læſione, & excretis hauriuntur, ſed etiam à ſitu loci, & ipſiuſmet partis. Ad prognoſim, quoniam inter capita prognoſeos apud Hippocratem connumeratur & actio læſa. At actiones partium ſunt. Quinimò ex Gal. 1. de Loc. aff. ſcimus non lædi actionem, niſi pars, quæ ipſam facit, vnà etiam lædatur. Curationi deniq; quantum inſeruiat partium cognitio, expreſſit eleganter Galenus in libello de oſsibus à principio, quando inquit. Omnia quæ ſunt in medendo ſcopum habent id quod naturaliter eſt conſtitutum. Ad hæc ſcripſit etiam Ariſtoteles 1. de Anima; Rectum eſt index ſui, & obliqui. Quanam ſiquidem ratione, & quonam modo luxata oſſa reſtituet Medicus, ſi naturalem eorum ſitum, & ſtructuram ignoret? An non liberè fatetur Hippocrates à capitis ſuturis ſe fuiſſe deceptum? Præterea in medicina facienda, cum Medici cerebrum alterare, & ad contrariam craſin immutare ſtudent, inunctiones, pulueres, & emplaſtra ſuper commiſſuras ſemper imponunt, quæ ſi ignorentur, quomodo patientis ægritudini conſuletur? Cum itaque tanta ſit partium cognitionis vtilitas, ac neceſſitas, nos antequam de capitis morbis agere incipiamus, breuibus eiuſdem capitis anatomem exponamus. Caput igitur membrum eſt corporis diuiniſſimum, reliquorumq; membrorum princeps, cui totum corpus Deus ſubeſſe, ac parere voluit, vt Plato de Natura teſtatur. Quod tamen ſic intelligendum eſt, vt in cerebri gratiam à Platone prolatum illud ſit, cuius tantum nomine conſtructum caput fuit: illius enim & domicilium, & propugnaculum dicitur Hippocrati. Neq; credatis Auerroi, dùm Galeno imponit voluiſſe conditum fuiſſe caput propter oculos. Nam hoc nũquam aſſeruit Galenus, ſed propter oculos ſupremum locum caput occupaſſe. Plato autem ſeipſum explicans eodem in loco ſubdit ſitum fuiſſe caput editiſsimo loco, quia intelligentem animæ facultatem, tanquam reginam, & principem in ſublime attolli oportuerat, vt iraſcibilis, & concupiſcibilis veluti famulæ illi ſubſeruirent,

eiuſq; gubernaculo regerentur. Capitis forma rotunda quidem eſt, eò quòd membro nobiliſsimo figura debebatur omnium nobiliſsima, omiſsis alijs cauſis, quæ ab Anatomicis referuntur, non tamen, vt patet, exquiſitè, & ad vnguem globoſa, ſed ad latera quadantenus depreſſa, vt quandam ſpheræ imaginem præſeferat. Dicebat de capite Ariſtoteles 2. de Anima tex. 38. vt caput animalium, ſic radices plantarum eſſe, innuens in animalibus talem eſſe capitis naturam, qualis in plantis eſt natura radicis. Nam per caput animalia cibum aſſumunt, per radices plantæ nutriuntur, & animal, ac planta depereunt, ſi illi caput, huic radix abſcindatur. Numerus verò partium caput conſtituentium denarius eſt. In primis ſeſe offerunt capilli, ſecundo cutis, tertio caro, quarto membrana, quinto cranium, ſexto dura, & pia mater, ſeptimo ſubſtantia medullaris cerebri, octauo duæ membranæ cerebro ſubiacentes, nono rete mirabile, decimo os baſilare, quod eſt baſis, & fulcimen totius capitis. Piloſi capitis humani rationem quærens Ariſtoteles 2. de Part. anim. 14. ita loquitur. Homo animalium maximè omnium piloſo capite eſt, tùm ad neceſsitatem, tùm ad præſidij rationem: neceſſarium enim propter cerebri humiditatem, & commiſſuras caluæ. Nam vbi plurimum humoris, caloriſq; eſt, ibidem ortum pilorum copioſum eſſe neceſſe eſt: adiumenti autem ratio, vt frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore, & calore. Cutis capitis craſſa, vt noſtis, eſt, ad hoc vt pili altius figere poſsint radices, & vt melius oſſa cerebri exanguia obducat, & foueat. Caro reperitur ſolùm in fronte, ac temporibus, nō item alijs capitis partibus, & illa quidem muſculoſa ad motum præbendum. Membrana eſt denſa, & ſolida, quæ quoniam cranij os extrinſecus tegit, peculiari nomine pericranion vocatur. Poteſt tamen etiam communiori voce perioſtion dici, neq; fidem habeatis ijs, qui duas membranas diuerſas ſtatuunt pericranion, & perioſtion. Eos enim fortaſſe decepit pericranij craſsities, quæ neceſſaria fuit ad oſſis nobiliſſimi tutelam; Oritur autem pericranium à craſſa meninge medijs quibuſdam villis nerueis, quibus cranij ſuturis, ac foraminibus adhæreſcit, indeq; foras elapſa ita extenditur, vt exteriorem hanc membranam conficiat. Hinc pericranij interuentu dura meninx cranio ſuſpenſa tenetur, ne cerebrum comprimendo lædat

ſubia-

Subiacet huic membranę cranion ita appellatum, quod ſit veluti cranos ſeu galea, cerebrum vndequaq; tegens, & obuallans. Quod os mira naturæ prouidentia craſſum, & rarum fabrefactum fuit, craſſum quia futurum erat cerebri propugnaculum, rarum, &, vt ita dicam, fungoſum, & pumici ſimile triplici ratione; Prima ne ponderе ſuo grauaret; ſecunda, vt ſuccum pro alimento contineret; tertia ad vaporum perſpirationem. Pars hæc tota capillitio veſtita calua, & caluaria vulgò nuncupatur, & ex varijs componitur oſsibus, ne ſcilicet vna parte læſa, altera pariter in conſenſum trahatur. In anteriori parte reperitur os frõtis, deinde os ſyncipitis Græcè bregmatis, quod ſub eo cerebrum humidiſsimum, & capaciſsimum ſit, quod tamen duplex ponitur à Veſalio, Laurentio, & alijs, in parte poſtica os occipitis, inion Græcis, omnium craſsiſsimum, & duriſsimum, ad ambo capitis latera oſſa προτάφων, nobis oſſa temporum dicta, quia canitie ætatis annos prodant. Vnde Homerus à temporum canitie πολιοκροτάφους homines vocat, aliud baſilare, quod in baſi capitis ſitum ſit, à Græcis os ſphænoides dictum, ſeu cunei forme, non quia cunei formam habeat, ſed quia inter oſſa capitis & ſuperioris mandibulæ veluti cuneus quidam inſeritur, ab Arabibus os colatorij appellatur, quod huic glans pituitaria adiaceat, quæ cerebri excrementa carne ſua bibula, & poroſa ad modum ſpongiæ excipit, quæ poſtmodum per oſsis huius foramina in palatum ſenſim deponit. Omitto tamen oſsicula reperta à neotericis in organo auditorio. Nam Veſalius duo enumerat, alterum malleoli, alterum incudis vicem gerens. Columbus tertiũ addit ſtapedi ſimile. Superiora oſſa ſuturis, vel commiſſuris diſtinguuntur, quoniam ex illiſmet oſsibus tres conflantur commiſſuræ, coronalis in parte anteriori, vbi bregma dictum reperitur, in poſteriori altera, quæ à ſimilitudine Græcè literæ Λ lambdioides vocatur, & quę in capitis longitudinem porrigitur cranium diuidens ſagittalis dicta. Hæ ſunt verę, & legitimæ ſuturæ, quæ inuicem more dentatæ ſerræ connectuntur. Sunt & aliæ duæ a ſagittali ferè æque diſtantes, ſuper aures, quæ mendoſæ, ac nothæ dicuntur, eò quod non vt veræ pectinatim, & ad inſtar ſerræ, ſed veluti duarum inuicem incumbentium ſquammarum imaginem pręſeferant, inde ſquammoſæ etiam nominantur. Videor mihi hoc in loco audire

aliquem veſtrûm quærentem cur primæ illæ ſuturæ ſerratiles ſint, dico inſtar dentium ſerræ inter ſe compactæ, non autem nodales, & qui ſit earum vſus. Ad primum quæſitum reſpondeo, ideò ſerratiles factas eſſe à natura, vt eſſent firmiores; minimè nodales, quia motu non indigent, quæ doctrina habetur apud Galenum 8. & 9. de Vſu part. Ad ſecundum dico multiplicem eſſe ſuturarum vſum, ſed, vt elicitur ex eodem Galeni loco, duplex potiſsimum ſtatui poteſt, alter quidem interior, alter verò exterior. Interior vſus eſt, vt fumi, & vapores ad caput aſcendentes commodius euaporare, & reſolui queant; Vnde fit, vt quibus calua ἄρραφος eſt, hi cephalæa miſerrimè torqueantur. Exterior vſus eſt, vt medicamentorum externorũ, quę quotidie ad cerebri intẽperaturas corrigendas vſurpantur, vis, & facultas altius penetret. Hinc iubet idem Gal. lib. 13. Meth. topica ſuturarum regioni admouenda eſſe. Ablato cranio, ſeu adaperto caluariæ oſſe viſui primùm offertur meninx craſſa, quæ alligatur cranio villorum interiectu, qui per ſuturas egredientes expanſi pericranion creãt, à cranio tamen ipſo tantum diſtat, quantum cerebro dilatando, & conſtringendo ſatis erat. Eſt membrana hęc foraminibus multis peruia, quibus cerebri neruos, arterias, venas, infundibulum, & dorſalem medullam tranſmittat. Poſt hanc membranam conſpicua mox fit pia mater ſubſtantia tenuis, ac mollis, quæ vniuerſum cerebri corpus arctè amplectitur, non exteriorem modò eius ſuperficiem tegens, ſed in penitiores eius receſſus peruadens, multis venulis inſignita, nutritionis gratia. Qua etiam de cauſa à Gal. aſsimilatur χωρίῳ, hoc eſt ſecundo inuolucro embryj; venas enim continet, quibus nutritur cerebrum. Hæ duæ membranæ cerebrum diuidunt ſecundum longitudinem in duas medietates, vt ita loquar, falcis meſſoriæ imaginem referentes, non tamen ad baſim vſque pertinet hæc diuiſio, vt perperã aliqui exiſtimarunt, de quorum cenſu fuit non ſolùm Matthæus Curtius in Mundinum, verùm quoque ante eum Auicenna pr. 3. ſecundo, ſed ad dimidium cerebri tantum, vt ſenſus ipſe demonſtrat, ſecundum latitudinem cerebrum anterius à poſteriori, & cerebrum à cerebello magna ſui parte dirimunt. Poſtmodum cerebri apparet ſubſtantia mollis, alba, & medullaris ex puriſsima ſeminis, & ſpirituum portione fabricata, & quamuis medullarem

voca-

vocauerim,non credatis tamen eſſe ſimilem medullæ, quæ in oſsiũ cauernis continetur, quia nec igne liquatur, nec per inedias,aut febriles ardores minuitur,de qua re adeatis tùm Galenũ 1. de Motu muſcul. tùm Ariſt. 2. De part.animal.7. Hinc videmus Hippocr. in lib. de Gland. ſcriptum reliquiſſe, ſimile eſſe cerebrum glandulæ, quia album, & friabile. Mollem autem oportuit eſſe cerebri ipſius ſubſtantiam, cùm vt facilior idolorum fiat impreſsio, tùm vt flexiles magis ſint nerui, tùm deniqne ne põdere, & duritie nimiũ grauet. Albam verò eſſe conſtat, & ratione materiæ, quia ſpermatica, & ratione finis, vt ſpiritus animales limpidiſſimi forent, non tenebricoſi, quales in melancholicis eſſe dicuntur. Ex hac mollitie, & colore albo colligatis inſitum cerebri temperamẽtum in omnibus frigidum, & humidum eſſe, quod apertè docuit Hippocr. dùm in libello de Glandulis nuper citato, vocat cerebrum ſedem, ac metropolim frigidi, & glutinoſi. Verùm dubitabit hoc in loco ingenioſus aliquis, nùm cerebrum ſapienter, & cum ratione à natura donatum ſit tali temperamento, cùm fateantur omnes cerebrum maximè conditum eſſe ad internorum ſenſuum, & principum facultatum functiones edendas, & ad ſpiritus animalis generationem. Quandoquidem ſciunt Domini mei frigiditatem, & humiditatem magnoperè obeſſe animæ potentijs, quæ à qualitatibus illis manifeſtè torpeſcunt, ac ſegniores euadunt, vnde magis roborari videtur Ariſt. opinio, quòd cerebrum tantummodò factum ſit à natura ad cordis refrigerationem; 2. De part.animal.7. Ad quam dubitationem dicatis oportuiſſe cerebrum frigido, & humido temperamento excedere, ne membrum perpetuæ dicatum cogitationi accenderetur, ne ve animales ſpiritus, qui ſunt cæterorum ſpirituũ puriſsimi, ac tenuiſsimi, adeò prompte euaneſcerent; quod ſi cerebrum in caliditate excederet, omnes eius motus furibundi, ac temerarij euaderent, & quæuis ſenſationes deliræ eſſent, quales acutè febrientium, & Phreniticorum in primis exiſtunt. Aduerſus Ariſtotelem clarè ſtat Galenus noſter 8. de Vſu part. 2. Nam ſi cerebrum hunc ſolum vſum haberet, nequaquam illud tàm longe à corde natura locaſſet, ſed vel ipſimet cordi adiunxiſſet, vti pulmonem, aut ſaltem in thorace omnino poſuiſſet. Præterea ſi glaciei inſtar ad ſolam cordis refrigerationem formatum cerebrum fuit, quid

M 2 tanto

tanto artificio ſinuum, plexuum, neruorum, & camerati corporis opus erat? Superſunt adhuc pauca quædam de cerebri partium cognitione, quæ penitus abſoluam in ſequenti.

De eadem materia, & an cerebri facultates principes ſedibus inter ſe diſtinctæ ſint. Lect. I I I.

AD calcem, ſeu ad extremũ pręhabitæ Lectionis, in qua omnium fermè capitis partium quandam veluti effigiem delineaui, ad cerebri ſubſtantiam deueni, quam etiam dixi eſſe ſimilem glandulæ potius, quàm medullæ, quæ in oſsium cauernis continetur, idq; Hippocratis, Galeni, & Ariſtotelis teſtimonijs abundè probatum fuit; vbi ſimiliter cauſas attuli, cur mollis, & alba facta ſit à natura, ac tandem cur oportiuit cerebrum frigido, & humido eſſe temperamento, reiecta Principis philoſophorum ſententia, quod huiuſmodi membrum tantummodò fabrefactum ſit ad cõtemperandam cordis caliditatem. Nunc autem ad rem inſtitutam, & iam inchoatam perficiendam redeo, vt ei fine impoſito, morbos ipſos quàm primum aggredi poſsim. Sunt igitur qui cerebri figuram tenuiorũ inteſtinorum gyris æquiparant ea de cauſa, quia ſcilicet cerebrum infinitos habet anfractus, & circumuolutiones plurimas, quę licet in exteriore cerebro conſpiciantur, attamen & multæ quoque in cerebri ſubſtantiam intimius penetrant, in quarum quidem vſu hallucinatus eſt vehementer Eraſiſtratus, dùm ad intelligendum fuiſſe conſtructas autumauit. Si hoc enim verum eſſet, vtique boues, & aſini ſaperent, ac intelligerent, quod ſapiunt, ac intelligunt homines, & nihilo tamen Galenus ipſe, quo lcco docet anatomen in cerebro bouis: cerebrum, inquit, bouis ſimile eſt cerebro hominis, præterquam quod intellectu, & cogitatione caret; Et 8. de Vſu part. 6. non admodum differre ait cerebrum bruti animantis ab hominis cerebro tametſi complexione differant. Ideò cum eodem Galeno dicatis cerebrum tot mæandris, totque gyris conſtare, vt cum ſpiritui aditus ad omnem eius partem patefectus eſſet, tùm verò etiam, vt pia, ac tenuis membrana cerebro nutriendo deſtinata in penitio-

res cerebri ſinus ſeſe inſinuare poſſet. Vaſtiſsima ſiquidem cum ſit cerebri moles, ſi venæ & arteriæ per externam tantum ſuperficiem excurrerent, dubio procul ipſi nutriendo, & natiuo calori cõſeruãdo nullo pacto ſufficerent. Sunt qui alios comminiſcuntur vſus, & fines, ſed nihil ad nos in præſenti. Subter hãc cerebri partem exteriorẽ diſtantia craſsitiei duorum, vel trium digitorum, iacet altera pars cerebri durior, & candidior, abſq; venulis, & arteriolis, quæ ſaltem ſenſu cognoſci queant, & abſq; tenui membrana; Quæ pars ob duritiem calloſum corpus dicitur, quod geminis ventriculis dextro, & ſiniſtro excauatum cernitur, & hi ſunt priores cerebri ventriculi, quos Gal. anteriores nuncupat, ſed rectius per Laurentium, vel priores, vel ſuperiores; ratioq; ab eo adducitur, quia in medio cerebro morantur, à fronte tanto interuallo, quanto ab occipite diſtantes, tantumq; ferè à baſi, quantum à vertice; Figura horum ventriculorũ Lunæ falcatæ cõparatur, alij humanæ auriculæ magis libenter aſsimilant. Magnitudine capaciſsimi ſunt omnium, & maximi; fortaſſe quia ſpiritum non adeò purum, & elaboratum, ſed craſſiorem continent. Cur gemini? Quoniã alterutro læſo, animalis functio adeò neceſſaria nõ penitus intercipitur, vnde etiam leuius cõtingit periculum. Quam rem Gal. 8. de Vſu par. c. 10. hiſtoria illius adoleſcentis confirmat, cui ventriculus tantum dexter vulneratus fuerat, & ſanus euaſit. Quod ſi vterq; ſinus ſauciatus fuiſſet, neutiquam incolumis euaſiſſet; Neq; ſibi cõtradicit Gal. dum 6. Aph. 8. ſcribit vulnera in cerebro, ſi ad ventriculos vſq; penetrent, lethalia, ſi verò non penetrent ſanabilia euadere, quia de mente eiuſdẽ Galeni loco à me nuper adducto, organorum, quę gemina inſtituta ſunt à natura, hæc ſolet eſſe maximè communis vtilitas, vt ſi alterum ipſorum patiatur, alterum famuletur, ideò addit Galen. quod Smyrnæus ille adoleſcens nõ vixiſſet, ſi ambo illi ventriculi ſimul vulnerati fuiſſent. Vſus horum ventriculorum nõ vnus eſſe fertur, princeps tamen, & primarius eſt pro animalium ſpirituum elaboratione, ac vlteriori præparatione, in illis etenim adhuc ſunt craſſiores, & ideò ibi plexus choroides ſiti fuerũt; præterea inſeruiunt dicti ventriculi pro inſpiratione, & expiratione cerebri, necnon pro ſuſcipiẽdis odoribus, & hinc eſt quod ab illis ad narium oſſa cribri inſtar perforata, proceſſus mammillares appellati ferũtur, per quos

cerebrum inſpirat,& odorum ſpecies accipit, & propterea odoratus organa vocantur. Tertius ventriculus ſtatim apparet ablato corpore illo camerato, nempe cameræ modo extructo, & tribus quaſi columnis ſuffulto,quod cerebri ampliſsimam molem ſuſtentat,ne hunc ſinum comprimat;Hic nil aliud eſt,niſi cõmunis quædam cauitas,in quam ambo ſuperiores ventres humiliori ſui ſede dehiſcunt.Hunc ventrem Gal. vocat medium,à quo duo ſcaturiũt ductus,alter ad cerebri baſim deſcendit, & peluim,ac infundibulũ nuncupant,eò quòd per ipſum veluti per manicam vocatam Hippocratis cerebri tranſcolantur humiditates,& ideò huic pelui ſubſternitur glans pituitaria,quæ,vt diximus,carne ſua poroſa ſpõgiæ inſtar cerebri pituitoſa excrementa excipit, & per cunei foramina ſenſim in palatum inſtillat; alter verò ductus priore maior ad quartum ventriculum dirigitur,& eſt via quædam à tertio ad quartum ſinum.In eo itinere obuiam fiunt conarium,nates,teſtes,de quibus videant ipſimet Anatomici.Noſtra enim intentio nõ eſt ſigillatim quasuis cerebri particulas expendere. Hucuſque ergo de partibus cerebri; nunc breuiter diſquirendum, num principes animæ functiones,quæ celebrantur in cerebro, loco, & ſede differant inter ſe,an promiſcuè in tota cerebri ſubſtantia contineantur; quæſtio hinc inde varijs,& rationibus, & auctoritatibus iam pridem agitata inter Galenicos, & Arabes, quæ licet ad curationem parum conferat,ſi Galeni doctrinam inſequi volumus, attamen quia Arabes in ipſa praxi admodum accurati contrariam habent ſententiam,& pro varia læſione in principibus facultatibus, ità varijs,ac diuerſis capitis partibus topica admoueri debere contendunt,idcircò breuibus oſtendam,vtra,me iudice, amplectenda ſit opinio. Fuere ergo qui ſingulis facultatibus ſingulas ſedes aſsignandas eſſe voluere, phantaſiam in anterioribus ventriculis, rationem in medio,memoriam in poſteriore locantes. Ità cenſent Auicen.Fen.1.tract.6.cap.5.Auerr.in principio Canticę,in Com. de Memoria & reminiſcentia cap.2.& 2.Coll.10.Cum quibus conſentiunt Iacobus de partibus in ſuis Comm. ad Auicen. & Nicolaus Florentinus in tract. de Animi potentijs. Rationes multæ afferuntur ab illis, deſumpta à rei,quam vocant,natura,quas videre poteritis apud eos,qui data opera hanc cõtrouerſiam pertractant,

inter

inter quas quidem rationes, illa non minima eſſe videtur, quia cre dibile eſt in anteriori parte, vbi vigent ſenſus, ob mollitiem fieri imaginationē, in poſteriori parte ob duritiē, memorandi potētiam reſidere, in media diſcurſum ſeu rationem, quia eget & ſenſibus, & memoria. Quinimò afferunt in medium quendam Galeni locum ex 1. Pror. 27. vbi hæc legitur Hippocr. ſententia. Permutationes in Phrenitide conuulſiones indicant. Quam explicans Galenus dicit permutationes fieri in Phrenitide, quando modò imaginatio, modò diſcurſus, modò memoria læditur, & exponens vlterius quanam ratione modò vna ipſarum facultatum lędatur, modò altera, inquit hoc fieri, quia humores modò in vnam, modò in alteram cerebri partem mouentur. Quamobrem ſi morbificæ materiæ motus in diuerſas partes cerebri, modò imaginationem, modò diſcurſum, modò memoriam labefactat, neceſſariò cum Gal. concludendum, huiuſmodi operationes nō promiſcuè in vniuerſa cerebri ſubſtātia, ſed diſiunctim, & varijs in locis celebrari; Nihilo tamen mihi multò magis probatur alterius ſectæ opinio, ita vt prædictæ facultates nullo modo ſedibus diſtinctæ ſint, ac ſeparatæ, ſed omnes in toto cerebro fiant. Sic enim etiam cum Gal. cenſent quamplures è neotericis primæ notæ Fuchſius, Fernelius, Altomarius, Laurentius, & alij, qui ſimiliter rationibus, & argumentis, veluti auctoritatibus ex Gal. & cæteris depromptis facilè reſpondent, in quibus ego non diutius immorabor, quia ſingula apud illoſmet quiuis veſtrûm videre poteſt; Interim ſcitis omnes animum primarum qualitatum miniſterio varie operari, & ideo fieri poſſe, vt vna qualitas à ſuo contrario offendatur, alia illæſa, propterea haud mirum eſſe, ſi vnam amittat functionem, cæteris manentibus. Ad hæc anima vbique, & in qualibet parte tota, omnes etiam principes functiones in qualibet cerebri parte exercere poteſt, & ſine diſcrimine imaginari, diſcurrere, & recordari. Sed tamen quia euidentius in anteriori parte imaginatur, in media diſcurrit, & in poſtrema meminit, ideò cuiuſque facultatis ſedes ità diſtingui ſolet. Exemplo ad id valdè accōmodato aliqui vtuntur, de Deo nimirum, qui licet vbiq; ſit, in Sole nihilominus reſidere dicitur, quia illic manifeſtius operatur; Eſſentia enim per actionem dignoſcitur. Vtcunq; ſit, iam dixi vobis in praxi hoc parum referre. Nam etiam ſi topica ſynci-

piti tantum admoueantur, vt voluit Gal. quauis læſa facultate, eorum tamen vis per ſuturas illas ad interiorem omnem cerebri partem defertur, licet Arabes, & Practici nonnulli malint imaginatione læſa ſyncipiti, memoria deprauata occipiti, diſcurſu malè affecto vertici applicari.

Definitio Lethargi, & an Lethargus ſit inflammatio. *Lect. IIII.*

AVDIVISTIS iam integram ferè cunctarum capitis, & cerebri partium anatomem, depromptam à me cùm ex alijs inſignioribus Anatomicis, tùm præſertim ex Andrea Laurentio, qui hanc materiam inter recentiores omnium exactiſsimè enarrauit, nec non quæſtionem illã à ſeculis inter Medicos diſputatam, nimirum de ſede principum facultatum in cerebro; quando Arabes apertè affirmant ſedibus, & locis ad inuicem diſtingui, contrà Galenus, & ex eo aliqui id mordicus, & cõſtanter negant; omnes in tota cerebri ſubſtantia promiſcuè celebrari aſſerentes, quorum ſententiam ego quoque libentius inſequor. Pro curatione tñ morborũ capitis parui fiat à vobis huiuſcemodi cõtrouerſia, quoniam, ſiue hæc, ſiue illa admittatur opinio, abſque dubio anteriori parti capitis, vbi coronalis reperitur ſutura, vtilius applicantur localia, quippe quæ per viam illam ad quaſuis cerebri particulas intimius penetrant. Vnde tàm in Lethargo, in quo, vt audietis, præcipua læſio eſt in poſteriori cerebri parte, vbi viget memoria, quàm in Phrenitide, ſub qua media pars cerebri, vbi diſcurſus eſt, & ratiociniũ, potiſsimũ laborat, localia medicamenta bregmati ad cõmiſſurã dictam adhibentur à Medicis Gal. doctrinã ſequentibus. Sed agè aggrediamur tandẽ hunc ipſum affectũ, in cuius eſſentia tradenda nõ minores ſunt ambiguitates, & cõtrouerſiæ, quàm in alijs. Quid ergò eſt Lethargus? ſi de nominis ethymologia quæritis, ſcitote nomen hoc deductũ ἀπὸ τῦ λήθης, ab obliuione, καὶ ἄργης, & captura, aut ἄργεος, vel, vt vult Aurelianus, ἀγρίας, otio, quia nimirum hoc in affectu ægri ſtupidi iacent cum ſopore, obliuione, & inertia, ob deficientem, & infirmum facultatis imaginatricis motũ. Latinè veternus, licet Plinius Lethargum à veterno ſeparet lib.

28.

28.c.17.Rhaſis cõmuni nomine ſubeth vocat,quod ſoporem ſigni ficat. Ab Auicenna Sirſen frigidum appellatur,eſtq; affectus è diametro,vt aiunt,Phrenitidi oppoſitus, ſpecie,& ſymptomatis, de Gal.ſententia 13. Meth.c.21. quia ſcilicet in Phrenitide homines dormire,in Lethargo autem expergiſci non poſſunt. Vnde Celſus lib.3.c.20. In illo, inquit de Phrenitide loquens,difficilis ſomnus, prompta ad omnem audaciam mens eſt:at in hoc marcor,& inexpugnabilis penè dormiendi neceſsitas,Lethargõ Græcè nominãt. At ſi Lethargi eſſentiã magis aſſequi velimus,petenda hæc omnino eſt ab eius definitione,quę multiplex afferri poſſet ex veterum, ac recentiorum ſcriptorum cõmentarijs,ſed ego breuitati ſtudens, afferam tantummodo, quæ mihi huius affectus naturã clarius exprimere videtur. Lethargus itaq;,ſiue etiã Lethargia,ſopor eſt prę ter naturã, cõtinuus,cum febre lenta,& obliuione,à pituita putreſcente,quæ locum,in quo princeps animæ pars reſidet, humectat, ac diluit. Quæ quidem definitio vindicanda eſt à multis,quę aduerſus eam excogitari poſſunt,obiectionibus. In primis enim ſunt qui Lethargum ex pituita non putri irrigante cerebrũ fieri cõtendunt, ita vt pituita,quę Lethargum facit,nullã patiatur alterationem ad cõtrarias qualitates,ſed multitudine duntaxat exuberet: probãtq; hãc ſuã opinionem Gal.auctoritate Pror.ſect.1. Com.2.vbi ſcribit Lethargum tunc contingere,cum pituita diluerit, & humectauerit cerebrum. Alij verò Arabum ſcholam ſectantes tãtum abeſt,vt velint ab imputri pituita generari Lethargum, vt ab ea quantumuis putrida minimè fieri poſſe exiſtiment, niſi vnà oriatur inflãmatio. Quare altera inſurgit difficultas vtrùm Lethargus inflammatio ſit genita ab humore pituitoſo cerebrum diſtendente,ac in tumorem eleuante. Sanè Auicenna,& reliqui Arabes,quos pariter multi recentiores inſequuntur,volunt Lethargum frigidum eſſe apoſtema, vt patet 1.3.tract.3.cap.7.& apud Auer.lib.3.coll.c.40.vbi & ipſe vocat Lethargum complexionem materialem apoſtematoſam. Et hanc opinionem corroborare nituntur Gal. ipſius teſtimonio 13.Meth.quo in loco dicit Lethargum ſecundum ſpeciem contrarium quodammodo eſſe Phrenitidi. Neceſſariò enim addunt genere conuenire, quod ſi genere conuenit,cum Phrenitis ſub inflammatione tanquam ſub genere cõtineatur,Lethargus quoq; ſub eodem

dem genere comprehendatur, & inflammatio ſit oportet. Referunt ſimiliter Gal. affirmare Lethargicos febre cõtinua, & lẽta detineri, ſed hoc, iſti inquiunt, fieri nõ poſſe videtur, abſq; inflãmatione, vnde in mania, quę eſt morbus billioſus, nulla febris, quia ibi nulla adeſt inflammatio. Sic tandẽ afferunt etiã in dolore capitis à pituita excerni quandoq; putridã pituitam, cum tamẽ nulla adſit febris, quia nulla ſcilicet inflammatio. In hac itaq; tanti momenti cõtrouerſia quidnã decernendũ? In primis ſciendũ à vobis eſt pituitoſam materiã, quæ Lethargũ facit, aliquam ſubire alterationẽ, quoniam per putredinẽ incaleſcit, quæ tamẽ putrefactio leuis admodũ eſt, ita vt magis obeſſe materia videatur refrigerando, & humectãdo, quàm calefaciendo, queadmodũ ex actionũ læſione, & ſymptomatis facile vnuſquiſq; colligere põt; Propterea nulli mirũ eſſe debet, ſi apud Galenũ, & alios Græcos minimè legitur quod Lethargus inflãmatio ſit, aut ad inflãmationũ genus aliquo modo reduci poſsit. Quin imò 3. de Loc. affect. 7. ipſe Gal. apertè docet ex ſola intẽperie frigidiori cerebri Lethargũ excitari, cõtra quàm eueniat in apoplexia, in qua humor frigidus, & craſſus ventres potius replet, quàm quod totius ſubſtantiæ intemperiẽ immutet. Accedit quod 2. Aph. 3. ſcribit Lethargũ fieri à forti refrigeratione cũ humiditate coniuncta: Quamobrẽ in hac dirimenda lite multi multa reſpondent. Quidam .n. volunt tã Lethargum, quàm Phrenitidẽ vitiũ eſſe inflãmatoriũ, ſed Phrenitidẽ inflammationẽ eſſe vehementer calidã, Lethargum verò inflãmationẽ remiſſe calidã, ob diuerſitatẽ nimirum materię, quę in Phrenitide eſt valdè calida, in Lethargo exiguæ caliditatis. Ad Galeni locũ, vbi dicit Lethargũ generari ab humore frigido, reſpondent ibi Gal. loqui reſpectu ad Phrenitidẽ, queadmodũ facit Auic. quando vocat Lethargum apoſtema frigidũ; cumq; idẽ Gal. alibi tradidit oriri Lethargũ à forti refrigeratione coniuncta cum humiditate, putant ipſum reſpicere non ad exquiſitũ, ac verũ Lethargũ, ſed ad nothũ, ac illegitimũ; Nonnulli alij dicunt in Lethargo colligi quidẽ pituitã in cerebro, ſed minimè tumorẽ facere: Imò afferunt in medium Serapionẽ, qui aduerſus Auic. probauit neque cerebrum, neq; etiã oſſa pati apoſtema, vel tumorẽ. Qui tamen, vt Auic. tueãtur, ſubdunt apud ipſum ſæpè apoſtema vocari quãlibet repletionẽ alicuius partis factã vel ab humore, vel à vapore. Franciſcus

ciſcus Valleſius in ſuis Controuerſ.lib.5. c.12. doctè, & ingenioſè demonſtrat,non ſolũ auctoritate, ac teſtimonio Galeni,loco à me iã adducto 1.Pror.Com.1.verũ etiam ratione à natura rei deprõpta,ſatis eſſe tàm adPhrenitidis,quàm adLethargi generationẽ,di lui cerebrũ bile,aut pituita,abſq;quo fiat illo in mẽbro inflãmatio. Cuius ſummi & Medici,& Philoſophi verba omittẽda nullo modo ſunt.Quò ſit,inquit,Phrenitis ſatis eſt eſſe perpetuũ deliriũ cum febre perpetua,& quò Lethargus ſit,eſſe ſomnũ profundum,cũ perpetua febre. Sunt.n.horum morborũ hæc ſigna propria,tamẽ poſſunt hæc adeſſe ſine inflãmatione. Nã finge imbutum eſſe cerebrũ pituita,atq; illam putreſcere.Quid.n.prohibet hæc ita fieri?an non põt putreſcere niſi in inflãmatione ? qua ergo ratione putreſcit in vaſis per febrẽ?poteſt itaq;putreſcere;quod tamen non fiet in tam præcipuo mẽbro,quin febris excitetur.Ex ea ergo putredine Phrenitis cõtinget,aut Lethargus, atq;adeo ſine inflãmatione.Hanc rationem tanti facit Valleſius, vt exiſtimet in his morbis ſæpè ſolam humorum redundantiã putreſcentium in cerebro,à primo die adeſſe,non autẽ inflammationes,ideoq;ambos perſępe cohiberi auxilijs medicis,antequã in tumores euadant,cũ ſcilicet incipiunt adhuc, quod niſi fiat,procedẽte fluxione putat excitari inflãmationẽ neceſſariò.Vnde videtur nobis ſignificare à principio morbi nõ eſſe inflãmationẽ, ſed fieri poſtea,vbi firmatus eſt. Quod ſi aliqñ videatur Gal.hos affectus intemperies cerebri dicere,nihil ait repugnare,quia cum inflammatione quacunq; intemperies adeſt cũ redundante ſucco.Dixerim ego in Galeni,& Græcorũ doctrina,quãtũ hucuſq;mihi obſeruare cõtigit,ex ſola pituita putreſcente,ac cerebri ſubſtantiã irrorante abſq;tumore, abſq; apoſtemate,ac inflãmatione Lethargũ fieri.Ita namq;colligo etiã ex alijsGal.locis,pręſertim verò 13.Meth.2.4.de Loc.aff.2.& 3. eiuſd.operis 4.nihilq; obſtat quin ex eadem modicè putreſcente pituita ſine vlla inflãmatione Lethargici perpetuo ſomno,& continua, ac lenta febre corripiantur,quæ ſunt propria,& peculiaria huius morbi ſymptomata. An ergo Arabũ ſententia cõtẽnenda? Cẽſeo ego ab illis apoſtema propriè ſumptũ eſſe,nõ aũt pro ſimplici tantum repletione, vt voluit Mercurialis, & aliquãdo poſſe Lethargũ ſequi tumorẽ cerebri phlegmonoſum ex ſanguine pituitoſo oriũdum,ſed quod perpetuò

ab huiuſcemodi cauſa gignatur,non auſim certè cum illis aſſerere, ita vt veriſimilior cenſenda ſit Gal.& aliorum Græcorum opinio, quàm Arabũ, ſed vt clarior appareat, reſpondendũ à nobis eſt ad ea,quæ in contrariũ adducebantur.Quãdo itaq;Gal.dicit Lethargum contrariũ Phrenitidi ſecundum ſpeciẽ eſſe,non ſimpliciter, & abſolutè hoc dicit,ſed quodammodo, ratione ſcilicet contrariarũ cauſarũ,quia Lethargus ex humore frigido originẽ habet,& propter contraria ſymptomata, quoniã in Lethargo ignauia quædam cum obliuione,& inexpugnabili dormiendi neceſsitate adeſt, in Phrenitide verò audacia quędã cum vigilijs.Ideò quoq;tradit ibidem Gal.tàm Phrenitidis,quàm Lethargi curationẽ ab initio vnã, & eandẽ eſſe,poſteà verò,dicò in progreſſu,contrariam;Nã à principio,vt audietis in curatione,ex vſu eſſe ſolẽt reprimentia, quemadmodũ in Phrenitide,licet in Lethargo omnino mitiora,quia facilè inhibetur quod eſt tardi motus,vt pituita.In progreſſu autem alia vtimur methodo, quoniam ad prohibendas vigilias in Phrenitide adhibemus non tantũ frigida,ſed non rarò narcotica, & facultates principes ſtupefacientia. In Lethargo è cõtra vti cogimur calidis medicamẽtis;& quę eaſdẽ facultates nimio,& profundo ſopore obrutas ſuſcitare poſſunt.Addebant qui contra ſentiunt,ſi ſolùm eſſent fluxiones,ac non potius inflammationes, non haberent Lethargus, & Phrenitis adiunctã perpetuã febrem;nam neq; grauedo,neq;fluxiones aliæ,quibus cerebrũ laborat,illam habent,quę ratio minimè admittatur à vobis.Quotieſcunque enim pituita multa in cerebro colligitur,ibiq; inculcata putreſcit,abſq; dubio febrẽ accendere poteſt, cũ manifeſtũ ſit apud omnes pituitã ipſam,ſicut reliquos humores,in venis putreſcere,& abſq;vlla prorſus inflãmatione febrẽ efficere.Quicunq;à pituita imputri,& cerebrũ tãtũmodo madefaciente id maligenus poſſe fieri autumant, niſi de ſpurio intelligãt Lethargo,ex eo facilè reffelluntur,quod verè Lethargici abſq; febre non ſunt;quæ febris ſine putredine pituitæ gigni nullo modo poſſet,cũ pituita humor frigidus ſit.Gal. locus ita accipiendus eſt,vt velit pituitã madefacere cerebrũ:ſed ità tamẽ etiã, vt ſimul putreſcat, veluti conſtat clariſsimè ex eodem Gal. 13. Meth. 21. Maniaci, dùm vritur humor, febricitant,poſtquàm verò vſtus eſt, & incineratus, non amplius febriunt;Tandem pro Arabibus,

ad eos, qui dicunt cerebrum minimè pati poſſe tumores, dicatur de aliquibus tumoribus, veluti ſcyrrho verum eſſe poſſe, vt patet ex Gal.4. de Præſag. ex pulſibus cap.4. vbi ait: Cerebrum & pulmo fortaſsis ne admittunt quidem ſcyrrhum. At alios tumores poſſe excitari in cerebri ſubſtantia in confeſſo eſt apud omnes, & nos alibi vberius demonſtrauimus, quia ſcilicet eadem cerebri ſubſtantia quibus vijs nutrimentum recipit, iiſdem poteſt recipere excrementum, quo generetur tumor prærer naturam. Et hac de re ſatis.

Explicatur magis Lethargi eſſentia, & quæritur in primis vtrum Lethargici delirent. Lect. V.

QVID ſit Lethargus, & num ex inflammatione ſubſtantiæ cerebri gignatur cum Arabibus, an verò potius cum Græcis, ex ſola illius membri intemperie frigida cum redundante humore ad aliquam putredinem redacto, abundè heri, ni fallor, intellexiſtis, vnà cum ſolutione quorundã rationum, & auctoritatum, quę in oppoſitum adducebantur. Superſunt tamen adhuc aliæ difficultates magni momenti, à me nunc proponendæ, & diſcutiendæ ſimul, vt eſſentia, & natura Lethargi vobis omnibus facillimè innoteſcat. Sed obſecro in primis definitionis partes breuiter percurramus. Libuit itaque per ſoporem definire Lethargum; quoniam proprius character huius vitij eſt profundus, & inexcitabilis ſomnus; dictumque fuit cum febre lenta, ad differentiam cari, comatis, & catalepſis, qui omnes affectus vel ſunt ſine febre, vel ſequuntur ipſam febrem, eique ſuperueniũt, at Lethargus habet ſibi febrẽ comitem; cum obliuione pariter diximus, quia hoc in affectu principaliter memoria læditur, tametſi offendantur ſimul ratio, & imaginatio, vt ſcriptum eſt à Galeno 3. de Loc. aff. cap. 5. & de differ. ſympt. c. 3. ita vt in Lethargo memoria, & ratio ſint veluti abolitæ, ſed imaginatio imminuta, deficienſque. Quod ſi veſtrũm aliquis noſſe cupiat, quomodo, & qua nam ratione contingat iſtud ipſum fieri in Lethargo, ſciendum eſt cum Gal. in Art. Med. cerebrum eſſe aptum ad obeũdas huiuſmodi

di principes functiones, dùm ſubſtantiam obtinet tenuem, ac ſtabilem, quæ formas facilè ſuſcipit, quæ duo in Lethargicis deſiderantur, eò quod ipſorum cerebrum ad inſtar ſpongiæ ſit aqua refertæ, quæ in tumorem eleuatur. Quapropter veluti ſpongia ſic repleta humiditates non ſuſcipit, ita cerebrum valdè madefactum aut nullo modo, aut cum difficultate ſuſcipit, ita vt imaginatio quaſi deficiat. Ad hæc vt ſpongia multo humore madida non ſinit humiditatem per ſuos poros penetrare, ita ſpecies nequeunt per cerebrum permeare, craſſefactis ſpiritibus, & meatibus præcluſis; vnde animæ potentiæ læduntur, quarum omnium maximè laborat memoria in Lethargicis, vt iam dixi, quia licet Galenus 1. de Loc. aff. vltimo generaliter in Lethargo affici dicat principes animi functiones, idem nihilominus 3. eiuſdem operis cap. 5. ſpeciatim memoriam cum ratione aboleri exarauit. Vnde prima emergit difficultas de delirio Lethargicorum, dubitaturque ante omnia, vtrùm delirium patiantur, & quomodo. Ex vna ſiquidem parte videtur rationi conſonum Lethargicos minimè delirium incurrere, quoniam ſcilicet dicebat Galenus loco citato De diff. ſympt. imaginationem aboleri in caro, & catalepſi, imminui in comate, & Lethargo, deprauari verò in delirio, quod eſt melancholiæ genus, & in vertigine. Scimus præterea ex Auicenna 1. Tertij tract. 1. cap. 5. & 6. actiones aboleri, & imminui à frigido, & humido, deprauari autem à calido. Quæ doctrina eſt non Galeni, & Auicennę ſolùm, ſed etiam aliorum cùm Medicorum, tùm Philoſophorum omnium. Ex altera parte Hippocrates lib. 2. de Morbis ſtatuit Lethargicos licet leuiter, realiter tamen delirare; idem cenſet Ludouicus Mercatus, & cum eo alij non minoris famæ. Quicunq; verò è recentioribus delirium abeſſe putant ab hoc affectu, de quorum cenſu fuit Alexander Maſſaria de re medica optimè meritus, veriti fortaſſe ſunt Arabum ſententiam, cui minime adhęrent, quod videlicet Lethargus ſit inflammatio, magis corroborare, aut quia intelligere neſciuerunt quonam pacto Lethargus, cùm morbus frigidus ponatur, vnà cum fatuitate, & marcore quodam annexum habere poſsit delirium. Ex cuius quidem difficultatis ſolutione pendet reſponſio ad aliam dubitationem, quæ promouetur de ſomno, ſi nimirum à putreſcente pituita, & conſequenter calida naſcitur Lethargus,

quo-

quomodo in eo tam propenſa ad ſomnum inclinatio? Quæ dubitatio multo magis adaugetur, ſi cum Arabibus ab inflammatione Lethargum generari concedimus. Propterea dato quod aliquando vera ſit opinio ipſorummet Arabum exiſtimantium Lethargũ eſſe œdematodem inflammationem, facilè patet delirij cauſa, quę eſt caloris, & ſpirituum in cerebro excandeſcentia, remiſſior tamẽ, quàm in Phrenitide; nec ſimiliter latet ratio, ob quam Lethargici adeò propenſi ſint ad ſomnum, quoniam ſcilicet ſomnus fieri poteſt etiam à ſola humiditate; vnde Galen. 4. de Præſag. ex pulſ. c. 8. tradit coma fieri propter humidas diſcraſias, & nihilominus in Lethargo ſomnus non eſt adeò profundus, vt in comate, quia non rarò Lethargici interrogati reſpondent, quamuis ſubitò ad ſomnum redeant. In doctrina verò Græcorum meo iudicio reſpondendum, prout ex ipſo Galeno elicitur 3. in 3. Epid. comatoſos videlicet euadere propter tùm multitudinem, tùm frigiditatem crudorum humorum, deſipientes verò, quòd putreſcentes acrimoniam, & caliditatem generant. Quam rem vt melius aſſequamur, ſtatuendum à nobis eſt pro fundamento quod iam audiuiſtis, Lethargum minime generari à pituita frigida, & humida tantummodò irrigãte cerebrum, ſed à pituitá aliquomodo putreſcente, & ex conſequenti calida. Vnde licet calor in humore illo putrido accenſus exiguus ſit, non tamen adeò puſillus iudicandus, quin poſsit mentem quoquopacto deprauare, dùm cor membrum longè diſtans accendere valet. Obiectio de ſomno facilè tollitur, ſi dicamus humorem qui confluit, totum non putreſcere, ſed aliquam eius partem, ideoque magna etiam ex parte ſuam ſeruare naturam. Pars quæ putret vapores ad cor mittit exiguos quidem, & parum calidos, ſed ita tamen, vt inde febris, quamuis lenta, proueniat. Reliqua pars, quæ putredinem non contrahit, ſomnum inducit refrigerando, & humectando cerebri ſubſtantiam. Ad id autem quod ex Galeno dicebatur, imaginationem imminui, ac veluti deficere in Lethargo, deprauari verò in melancholia, ſicut & in vertigine, credendum eſt Galenum hoc dixiſſe, quia re vera maior eſt læſio hoc in affectu ab humore prout frigido, & humido, quàm prout putrido, & calido. Ideò Lethargo correpti obliuioſi magis fiunt, quàm deliri, ac deſipientes. Spiritus enim à calore agitati & com-

moti

moti cuncta, quæ in cerebro ſunt, commouent, nec illud quieſcere permittunt; tãdiu verò per Hippocratem homo ſapit, quãdiu cerebrum quieuerit; contrà vbi frigiditas ſola præualet, aut cum humiditate adiuncta eſt, ſpiritus denſantur, & quaſi immoti manent, ac torpidi. Hoc in verè Lethargicis, illud in verè Phreniticis quotidie experimur. Propterea, Domini, rectè iudicant quicunque aſſerunt Lethargum mediæ cuiuſdam eſſe naturæ inter coma vigil, & carum; nam in Lethargo laborantes profundius dormiunt, quàm in comate vigili; leuius verò, quàm in caro; quia loquuntur & delirant, tantùm ſcilicet, quantum materia calidior eſt materia ari; minus autem quàm in comate, quia materia acrior eſt in eo; Quæ omnia, ſi rectè iudico, verum, & legitimum Lethargum conſtituunt, aliqua ſi deficiant, illegitimus potius, & ſpurius erit. Remanet noua Mercati opinio ingenioſa quidem, ac tanto Philoſopho digna, quam Vobis proponam in ſubſequenti.

Noua Mercati opinio de cauſa delirij in Lethargo; Vtrùm Lethargus morbus ſit, an ſymptoma, & variæ eiuſdem affectus differentiæ.

Lect. V I.

DICTVM eſt in præcedenti, & probatum ſimiliter leue delirium in Lethargicis poſſe fieri ab ea pituitæ portione, quæ incaleſcit, ac putredinẽ concepit. Quam rem tamen aliqui è recentioribus etiam primæ notæ concedere noluerunt, alij prorſus negantes delirium, quod animæ potentiæ in Lethargo non deprauantur, ſed partim abolentur, partim imminuuntur, ac veluti deficiunt, cum tamen in delirio deprauentur oporteat, alij concedentes quidem delirium, ſed cauſam, quam audiuiſtis, nullo pacto approbantes, quibus veriſimile non videtur exiguum calorem copioſo humore frigido ſepultum, & nullius propterea efficaciæ, mentem poſſe percellere, & alterare. Inter primos eſt Alexander Maſſaria, inter ſecundos Ludouicus Mercatus, quinimò ipſe ſolus adhuc mihi occurit, qui illam habeat opinionem, quam mox proponam. Hic ergò non ſolùm lib. ſuæ Prax.

ſed

ſed etiam in ſuis Conſult. Conſult. 9. cauſam inquirens delirij in Lethargicis, non eam refert in calorem, vt dicebamus, prouenientem à putreſcente pituita, quia huiuſmodi calor tanquam debilis, & multa humiditate contemperatus nequit ad ſpiritum immediatum inſtrumentum harum actionum peruenire, vnde mens cōmoueri nulla ratione poteſt; ſed potius in memoriæ iacturam, quæ neceſſariò apparet hoc in malo; quoniam qui memoria caret, & obliuioſi ſunt, erronea loquuntur, & inepta, ideoq; putat Mercatus Lethargicos euadere delirantes, nō quidē quòd primariò, & ex vi caloris interiores potentiæ ſint oblæſæ, ſed conſenſu memoriæ, quæ nequit, vt par eſt, ſpecies referre cæteris potentijs. Poſtea verò ponens differētiam inter Lethargum, & Phrenitidem, quia ſcilicet in vtroq; affectu adeſt obliuio, & delirium, ſcribit Phreniticos obliuioſos eſſe, cōſenſu diſtractionis, & læſionis aliarum potentiarum, ità vt poſtulata matula, meiere obliuiſcantur; Lethargicos autem delirare, non quidem quòd primariò, & ex vi caloris interiores potentiæ ſint ob læſæ, ſed conſenſu memoriæ, quæ, vt mox dicebam, nequit, vt par eſt, ſpecies referre reliquis potentijs. Quæ Mercati opinio negligenda minimè eſt, vt pote ingenioſa, ac iatrophiloſopho per quàm digna, ſed ea non eſt, meo quidem iudicio, quā nos omnes amplecti debeamus, priore relicta. Si enim calor putreſcentis in cerebro pituitæ tantus eſt, qui cordis membri longiſsimè diſtantis calorem ſuperacendere, ac ad igneam naturam commutare valet, cur, obſecro, non poteſt ſimul animales ſpiritus multum tenuiores, ac per ipſummet cerebrum vagantes, excalfacere, & cōſequenter mentem ipſam commouere? Dabo equidē libenter propter leuem putredinem materię pręſertim frigidioris, & humidioris, delirium Lethargicorum neque adeò magnum, neq; ità continuum eſſe, vt in Phreniticis, ſed quòd prorſus careant delirio, aut ab ea tantùm pendeat cauſa, quam excogitauit Mercatus, nunquā adduci potero, vt credam. Qua de re ſatis. Quærunt præterea nùm Lethargus ſymptoma ſit, an morbus, & licet hac in re tempus parum vtiliter conteratur; vtro enim modo dicatur, ęgrotanti nihil conducit, breuiter tamen & hoc diffiniendum eſt. Re vera igitur videtur eſſe ſymptoma pertinens ad actionē læſam facultatis memoratricis potiſsimum, necnon ratiocinatricis, imaginatriciſque

N Qui-

Quidam è Practicis volunt eſſe morbum,quando eſt cum œdematode cerebri inflammatione; ſymptoma verò quando ſequitur febrem,aut alias ægritudines. Rondeletius in ſua Methodo diuidit & ipſe Lethargum,in Lethargum morbum,& in Lethargum ſymptoma.Gal.13. Meth.interdum vocat morbum,interdum verò pathos, quo nomine vtitur vt appellet morbum omnem rem præter naturam.Verumtamen cum ad actionem læſam,vt dixi,redigatur, ſymptoma potius erit,quàm morbus. At ſi ſymptoma, quemnam morbum inſequitur? Duplicem profectò, alterum in intemperie frigida,& humida cum materia,alterum morbum in via vocatum. Sed quomodo erit morbus in via? An cerebri ventriculi occupantur? Quidni,cum hoc Auicenna etiam innuat? Crediderim ego locum affectum in Lethargo eſſe cerebrum ſecundum partes poſteriores,afficiq; non ſolùm vt ſimilare,ſed etiam vt inſtrumentale, non tamen ſecundum ventriculos vt ipſi repleantur,quia ſtatim grauiora mala inſurgerent, epilepſia, aut apoplexia, ſed ſecundum meatus,& cauernulas ſubſtantiæ eiuſdem cerebri. Quo ſenſu intelligendus Hippocrates in lib. de Struct.hominis quando ſcribit Lethargum fieri, quoties cerebrum frigidis repletur humoribus.Putat Auicenna,& cum eo alij quoq; locum affectum in cerebro Lethargicorum interdum eſſe poſſe meninges, ſed,vt frequentiſsimum hoc eſſe creditur in Phrenitide, ita longe infrequens putatur in Lethargo,quoniam præter Galeni auctoritatem lib.4. de Cauſ.pulſ.13.& 14.3. Aphor.30.& alibi, ratio pariter à natura rei deprompta id clarum ſatis efficit, quod Auicenna minimè negat, nimirum pituitoſos humores rariſsimè penetrare cerebri membranas,quæ denſæ ſunt, ac duræ, qua ratione ſimiliter pleuritidem à pituita raro damus. Craſsior ſiquidem materia, qualis eſſe ſolet pituitoſa, denſam partem cum difficultate permeare, & inania eius ſpatia replere poteſt. Differentias modò Lethargi tradamus,ſaltem præcipuas, & magis effatu dignas, quarum prima videtur eſſe de Lethargo vero, & exquiſito, nothoq; ſeu ſpurio. Verus enim,& exquiſitus ille prorſus eſt,quem definiuimus,non genuinus,ac ſpurius, qui non primariò in cerebro generatur, ſed per conſenſum ab alijs partibus,à toto,vt in febre quotidiana, & hemitritæo,à membro particulari, vt a pulmonibus in peripneumonia.

monia. Sic Auerr.lib.3. Coll. 40. tradit accidere aliquando hanc ęgritudinem cerebro,mediante ore ſtomachi.Aetius lib.6. c.3.de ſententia Archigenis docet Lethargum fieri quandoq;ob conſenſum à viſceribus, & præcordijs. Quinimò Gal.17.de Vſupar.2. in eadem fuit ſententia Lethargum fieri per conſenſum poſſe, dùm ait. Ita qui nouit facultatem animæ ratiocinatricem eſſe in cerebro,deliria,Phrenitides, Lethargos, melancholias intelliget accidere, cum cerebrum aut primaria ratione, aut per conſenſum afficitur. Quidam tamen è recentioribus negant Lethargum, qui ſit verè talis,per conſenſum cæterarum partium poſſe fieri,cum oporteat cerebrum in eo eſſentialiter pati, & qui dixerunt generari per conſenſum, intellexiſſe dicunt de prima occaſione,& origine; non autem de integra Lethargi conſtitutione.Inſuper addunt Galenũ, & alios nomine Lethargi intelligere voluiſſe omnes ſoporoſos affectus, vt,cum ſcribunt conſortij lege fieri Lethargum, locuti ſint non de vero Lethargo,ſed alia affectione; quę ſimilitudinem cum Lethargo habeat, nempe de comate, qui ſopor per conſenſum à ventriculo,& vtero perſæpè oboritur.Differentia alia Lethargi oritur à modo generationis ipſius, quoniam videlicet alius Lethargus primò,& per ſe naſcitur;alius verò poſt alios affectus, & maxime poſt Phrenitidem, & hoc euenit duplici ratione,vt in Phrenitide ex Galeno demonſtraui,vel quia diſſolutis partibus tenuioribus,& calidioribus, craſsiores, & frigidiores remanent, vel propter importunum medicamentorum ſtupefacientium vſum, vnde cerebrum ad contrarium vitium tranſmigrat. Aliæ ſi quæ ſunt Lethargi differentiæ parui fiunt, præter eam, quæ à temporum morbi varietate deſumitur, pro qua varietate, varia ſimiliter huic morbo debetur curandi ratio, quemadmodum in Phrenitide quoque antea demonſtratum fuit, cum aliquo tamen diſcrimine, quod clarius ex infra dicendis vnicuique veſtrûm conſtabit. In proxima de cauſis ante omnia agetur.

De cauſis Lethargi tàm internis, quàm externis, deq; ſignis præindicantibus, ac pathognomonicis. Vbi de pulſibus, & vrina Lethargicorum diſſeritur. **Lect. V I I.**

AD cauſas Lethargicæ paſsionis iam accedamus oportet, ac inter externas, quę plures ſunt, aer primum obtinet locum, propter allatam rationem ab Hippocrate in lib. de Sacro morbo: Aer, qui inſpiratur, in cerebro vim omnem ſuam relinquit: & ideò ſi ſit aer frigidus, & humidus, ſi craſſus, & nebuloſus, taliſque diù perſeueret, facillimè hunc, & alios ſoporoſos cerebri affectus promouet, quemadmodum auſtrina facit conſtitutio, longum otium, cibariaque humidiora. Propterea Romæ, inter alias Italiæ vrbes, id mali genus maximè viget, quia non ſolùm humidum eſt cælum, ſed etiam alimenta omnia copioſo humore madida tellus hæc producit, quibus ſi addantur crapulæ, nimiaq; venus, nullus hac de re dubitandi locus remanebit. Ita namque pituitoſus humor in corpore coaceruatur, quia in vẽtre genita pituita vnà cum alimento iecur, & venas ſubit. Anni tempora, in quibus Lethargus ſolet diuexare, ſunt hyems, ver, & autumnus. Non ſemel autem ego obſeruaui huiuſmodi affectum in æſtate homines adoriri, in hac præſertim ciuitate; quibus nempe cerebrum intemperatum eſt, & cumulando Catarrho aſſuetum. Fuſa enim pituitoſa materia tùm à febrili, tùm ab æſtiuo calore, facilè cerebri ſubſtantiam irrorat, & frigidum morbum producit, tanquam ſibi congenerem; Internæ cauſæ non adeò propinquæ, ac mediatæ ſunt ætas, ac temperamentum. Attamen in ætate aliqua reperitur controuerſia, quoniam Soranus apud Aurelianum lib. 2. de Acut. tradit ſenes expoſitos eſſe Lethargo. Contra legimus apud Hippocratem 2. Aphor. 30. in ætate conſiſtente poſitos maximè omnium tentari à Lethargo. Quæ contradictio ſolui poteſt ex allatis à Philoteo in Comm. illius Aphoriſmi, quoniam vtraq; ætas parum inter ſe diſtat, præſertim ſi de primo ſenio intelligatur. Sic etenim ſcribit Philoteus. Sciendum eſt autem conſiſtentem ætatem circumſcribi annis triginta quinque, declinantẽ autem annis triginta nouẽ.

Quam-

Quamobrem dicendum tàm in ætate conſiſtente poſitos, quàm
in primo ſenio, & paracmaſtica, ſeu declinante ætate Lethargo
obnoxios eſſe. Temperamentum illud Lethargico affectui expo-
ſitum valdè exiſtit, quod non mediocriter frigidum, & humi-
dum eſt. Interna cauſa Lethargi remota adhuc, & quæ antece-
dens vocatur, apparatus eſt pituitoſi ſanguinis in toto corpore,
qui morbum fouet, & auget; proxima, & magis immediata, eſt
idem pituitoſus ſanguis, ſeu pituita in cerebro. Nihil enim re-
fert, an pituitam, vel ſanguinem pituitoſum dixeritis. A quo
quidem humore cerebri craſis immutatur eo modo, quo iam
demonſtratum eſt. Dubitatur hoc in loco à quibuſdam de humo-
re melancholico, à quo etiam refert Auicenna apoſtema Le-
thargicum generari. 1. tert. tract. 3. cap. 7. & 8. Contra quem
tamen ſtat omninò ratio à natura rei deprompta, quia licet ab
humore melancholico afficiatur memoria, quæ à frigido quouis
oblæditur, non tamen ſomni fiunt inexpugnabiles. Melancho-
lia ſiquidem frigidus, & ſiccus humor eſt, ſomni verò prolixi, atq;
profundi ex frigiditate, & humiditate proueniunt, quod multis in
locis affirmauit Galenus: Frigidus autem, & ſiccus humor, qua-
lis melancholicus eſt, non ſolùm non excitat ſomnum, ſed facit
vigilias. Ideò legitur apud Galenum 2. Aphor. 3. difficilem
ſomnum fieri cerebro refrigerato, quæ refrigeratio ſi vehemens
fuerit, & cum humiditate miſta altos ſomnos, ſi verò cum ſiccitate
catalepſim efficit. Cauſis breuiter expoſitis, ad ſigna nunc om-
nia deſcendamus, quæ diffusè tradita habentur apud Aurelianum
2. de Acut. 1. apud Aetium, Galenum 4. de Cauſ. pulſ. & 3. de
Loc. aff. & apud Hippocratem quoque in Coac. Prænot. Ad cu-
rantem verò Medicum pertinet potius cognoſcere ſigna præin-
dicantia Lethargum imminentem, & futurum, quàm præſen-
tem, & iam factum, ratioq; eſt, quia tunc maximè opem ferre
poteſt ægrotanti, non autem cum iam Lethargus ad conſiſten-
tiam deuenit. Nam præter alia, ne remedia quidem admittit.
Inuadentem ergo Lethargum cognoſcetis ex capitis grauitate
magis, quàm dolore, ex pigritia ad motum, ſibilo, tinnituue
aurium, propenſione ad ſomnum, in quo ſimiliter non apparent
inſomnia, è facie decolorata, & ſubtumida, præſertim ad ocu-

los, copioſa ſaliuatione, iugiue ptyeliſmo, ex debilitata memoria, & ratione infirma. Quæ ſigna multò validiora, multòque certiora erunt, ſi vnà conueniant corporis temperatura ad frigidum, & humidum vergens, ætas ſenilis, cæli conſtitutio, regio frigida, & humida, anni tempus hyemale, & demum præcedens victus ratio, quæ ad gignendam pituitam ſit accommodata. Quotieſcunque hæc vel omnia, vel plurima in ægrotante aliquo obſeruantur, eidem Lethargia cum ratione præſagiri poteſt, atque eò magis, ſi iam continua febris eum comitetur, nec non lenta, & puſilla, cuius nimirum calor minimè acris, & mordax ſit, qualem videlicet pituita putreſcens præſeferre ſolet. Non enim à Medico ſentitur, niſi manu diutius admota, vt Galenus docet 2. de Criſib. Hæc ſigna impendentem Lethargum prænunciant, qui, ſi præſens eſt, ſtatim manifeſtatur ex eo, quòd illo correpti, vſque adeò alto ſomno ſepulti ſunt, vt ſola reſpiratione viuere intelligantur. Quæ reſpiratio non rarò cum oregmone perſentitur. Obliuioſi ſunt, ac ſtupidi, oculos ſemper conniuentes habent, crebrò oſcitant, ſæpeque ore hiante perſiſtunt, os claudere obliti. Vnde etiamſi mingendi gratia ipſis matula porrigatur, obliuiſcuntur vel mingere, vel eam reddere, argumentum læſę potiſsimum memoriæ. Tandem febre laborant continua, puſilla, & lenta. Verùm de pulſibus, & vrinis Lethargicorum quid ſentiendum? Alicui enim veſtrûm ſigna talia extra ordinem eſſe videri poſſunt, cum laboranti membro non attineant. Scitote nihilominus oportere & lotia, & pulſus in Lethargicis magnifacere, quia magnifiunt non ſolùm à Galeno, & alijs Medicis omnibus, ſed à Medicinæ parente ſapientiſſimo Hippocrate lib. 4. Coac. Præn. Aphor. 26. & 27. vbi tradit Lethargicos eſſe pulſu torpido, & ſegni, eorumque vrinas eſſe veluti iumentorum. Et quantum ad pulſum, nemini dubium ſit, quin de pulſu, quem carpo manu admota percipimus, Hippocratis ſermo intelligendus ſit. Sic enim etiam affirmant Hollerius, & Iacotius in Comm. Cuius pariter 4. Epidem. 2. de Morb. & alibi fit mentio. Qui ſint autem Lethargicorum pulſus, clarius patet per Galenum 4. de Cauſ. pulſ. quo in loco vocat eos imprimis inæquales, qui vt cognoſcantur, comprimi volunt,

ſed

ſed hoc præ imbecillitate vix ſuſtinent; Præterea languidos, & magnos, alibi languidos, & paruos. Quandoquidem magni videntur, quia inflati, & vndoſi, cum tamen parui ſint ab oppreſſione pulſificę facultatis. Raros inſuper appellat Galenus, & tardos, non quòd abſolutè tardi ſint, & rari, reſpectu ſanorum, ſed comparatione peripneumoniæ. Eò enim tardiores ſunt, quàm in peripneumonicis, quò cerebrum à corde remotius eſt. Deniq; intermittentes, & quadam intercapedine reſtitantes, quod proprium eſt frigidi affectus, & facultatis admodum refrigeratæ, vel oppreſſæ. Lotia diximus eſſe ſubiugalia, & quàm ſimillima lotio iumentorum, talia verò ſunt perturbata, craſſa, & quæ diù depoſita non reſident. Quarum turbidarum vrinarum cauſam traditam habemus à Galeno 1. de Criſib. 4. de Sanit. tuen. nempe crudorum humorum multitudinem in venis à calore agitatam, & veluti feruentem. At hic multitudo quidem adeſt frigidæ, crudæque materiæ, ſed calor debilis, ideoq; puto ego non ab efferueſcentia, ſed à flatuum eleuatione, qui vrinas conturbant, ſubiugalia lotia in Lethargicis obſeruari. Obijciunt aliqui in ſolo cerebro pituitam ſtabulari in Lethargo, quibus reſpondetur Lethargicos plurimo abundare humore crudo in toto, qui à febre, & bile etiam, quæ inſtar vehiculi immiſcetur, commotus, & agitatus magnam vim flatuoſi, craſsique ſpiritus commouet in venis, in quibus humores cum ſuo ſero abundantes, etiam à non valido calore, ſed copioſos flatus producente, conturbantur, quemadmodum, vbi vehemens in internis viget caliditas, ijdem humores turgent, & quaſi fermentantur, vt muſtum in dolijs. Reſpiratio quoque ipſa in hoc affectionis genere diligenter attendenda. Rara ſiquidem eſt, ac imbecillis, virtutis ratione, vt docet Galenus 3. de Loc. affectis. In omnibus enim his diſpoſitionibus frigidis læſio fit facultatis animalis, vnde læſio ſimiliter reſpirationi communicatur; neque audiatis eos, qui eiuſmodi læſionem ad inſtrumentorum affectum reducunt. Vitium eſt in facultate, non autem in organis, aut partibus ſpiritalibus. Et hinc obiter notate quod à Galeno ſcribitur 1. de Loc. aff. non lædi actionem, niſi pars, quæ ipſam facit, lædatur, non

vndequaque, & perpetuò verum eſſe; ſed potiſsimum illud pronunciari de actionibus, & partibus naturalibus. Signa differentiarum, dico veri, & exquiſiti Lethargi, vel ſpurij, ac nothi, magni, vel parui, & reliquarum differentiarum, adeò ſunt clara, & manifeſta, vt fruſtrà in illis inquirendis tempus conteri videatur. Quare vtilius erit ea indagare ſigna, quæ Lethargum ab alijs conſimilibus morbis diſtinguere nos doceant, de quibus, veluti de prognoſticis in altera Lectione verba faciam.

De ſignis diſtinctiuis, & prognoſticis; Vbi duo Hippocratis loca dilucidantur. *Lect.* *VIII.*

PLATO in Sophiſta, & poſt eum Ariſtoteles 7. Topic. ſcribunt vnum eſſe è principijs humanæ Sapientiæ rerum diſsimilium ſimilitudines, & ſimilium diſsimilitudines cognoſcere. Hoc enim poſſe periti tantum artificis eſt. Sed ante Platonem, & Ariſtotelem id nobis apertè ſignificauerat Hippocrates noſter, qui 6. Epidem. dixit. Similitudines vel doctiſsimis in arte viris ſæpiſsimè imponunt. Hinc idem Ariſtoteles lib. 1. Elench. dicebat: Si vis eſſe cautus à deceptione, caue à ſimili. Cum itaque multæ ſint ſoporoſæ affectiones, quæ ob ſimilitudinem facilè admodum cum Lethargo confunduntur, quæque multa habent inter ſe ſimilia, multaq; diſsimilia, propterea operę pretium duxi Vobis ante oculos ponere ſigna diſtinctiua nuncupata, quibus nimirum vnam ab alia dignoſcere poſſitis. Primùm verò videamus quomodo diſtinguendus veniat Lethargus à memoria deperdita, & abolita, necnon ab illo alto, & profundo ſomno, quem incurrunt, quicunque mandragoram, altercum, & conſimilia ſoporifera ſumpſerunt. Quod priore loco quæritur facilè aſſequemini, quoniam in Lethargo non ſolùm memoria offenditur, verùm quoque aliæ principes facultates; in memoriæ deperditione, ipſa tantum violatur memoria. Ad hæc memoriæ læſio euenit ab humore melancholico, & pituitoſo,

toſo, at verus Lethargus à ſola prouenit pituita, ſeu ſanguine pituitoſo, nullo autem pacto à melancholico. Tandem obliuio ſine febre, contra Lethargus ſemper cum febre. Ad id, quod poſteriore loco quærebamus, dicatis vos, quòd qui mandragoram, & altercum, & ſimilia hauſerunt, pulſus habent raros quidem, ſed plenos, Lethargici potius inanes, & inflatos; febre carent, præter alia multa cùm interna, tùm externa, quæ vtrunq; facilè aperiunt. Ardua magis res erit diſtinguere Lethargum à caro, comate, catalepſi, & huius naturæ alijs, in quibus omnibus affectionibus, ſomnus arctius, quàm pro naturæ lege patientes complectitur, quemadmodum accidit in Lethargicis. Diſtinguimus tamen nos à Lethargo carum multis notis, multiſq; modis, vt colligitur ex Galeno 4. de Loc. aff. 2. Imprimis, quia in caro ſomnus profundior, quàm in Lethargo; oculi perpetuò clauſi, omnimoda ſenſus, ac motionis priuatio, excepta reſpiratione, quæ illæſa remanet. Deinde quia caros ſequi ſolet aliquem alium morbum, ſæpius febrem pituitoſam, & ſpuriam. Inſuper quia Lethargus, & caros non in eadem cerebri particula fiunt, ſed caros in anteriore parte, Lethargus in poſtica. Tandem quia caros abſque materiæ putredine generatur. Sed hic videor audire aliquem veſtrûm obijcientem quòd caros cum febre conſiſtat ſemper, non minus quàm Lethargus, quoniam Aetius ſecundo ſer. 2. cap. 5. ità ſcribit: Cùm frigidi, & humidi ſucci cerebrum occupant, caros appellata Græcis affectio ſuccedit; hoc eſt capitis perculſio cum debili febre. Aetio videtur ſubſcribere Paulus lib. 3. cap. 9. dicens. Cæterùm caros ex eadem Lethargi materia proueniens ab eo differt, quòd carum præcedit febris, & ea quidem vehementior, Lethargum verò ſequitur. Ex his nonnulli eliciunt, carum ſemper eſſe cum febre; quoniam ſi illum vehemens præcedit febris, non videtur eſſe ſine ea. Hippocrates quoque 3. Epid. 3. febribus ardentibus dicit ſolitos aduenire ſopores in ea tempeſtate, quam deſcribit, vbi de caro loquitur, enarrante Galeno 4. de Loc. aff. 2. Nihilo tamen Domini ſcitote carum non perpetuò adiungi febri, ſed poſſe ſine ea contingere. Aliquando enim fit ex compreſsione ventriculo-

rum

rum cerebri anteriorum; aliquando ex vehementia doloris exſolluente animalem facultatem; ſæpè ex ſola intemperie frigida eorundem ventriculorum. Vnde conſtat carum à multis fieri poſſe occaſionibus, ſine febre. Quantum ad Aetium, ex propria ſententia non loquitur, ſed potius de mente Poſsidonij. Paulus non vult quòd ſemper febris carum antecedat, ſed quod interdum caros ſuperueniat febrium vigoribus, & earum vehementiæ. Poſſet etiam aliquis obiectionem facere de læſa reſpiratione in caro, quàm nos diximus incolumem remanere, vt patet ex Galeno 4. de Locis affect. Verùm de hac re in caro, nunc reliqua proſequi oportet. In catocho, ſiue catalepſi æger exiguum quid aliquando loquitur, & aliquando motus, & ſenſus omnes in eo penitus ſopiuntur, à Lethargo, & caro ſiccitate differt. Fit enim cum Galeno à vehementi refrigeratione, cum quadam ſiccitate, vt pluribus ſuo loco examinabitur. In affecta particula conuenit cum Lethargo, ſed à caro diſcrepat, quia fit in occipite. Attamen certior diſtinctio eſt, quòd ægri oculos apertos habent in catocho, in eoque permanent habitu, quo correpti ſunt. Cataphoram Galen. 13. Meth. ſumpſiſſe videtur tanquam genus omnium ſoporum, ſed ſine febre. Idem videtur eſſe affectus cum comate, vt propterea coma omnem cataphoram ſignificet. Apud Galenum ipſum, & alios etiam Medicos diuiditur paſsim in coma vigilans, & non vigilans. Differentia patet. Apoplexia tandem ab his omnibus per inſignem reſpirationis læſionem non difficulter cognoſcitur. Locus eſt Hippocratis 3. de Morb. qui dilucidatione indiget, quia de Lethargo loquens ità ſcribit: Morbi Lethargi appellati ſtatus idem eſt, qui & peripneumoniæ. Verùm difficilior. Tuſsis, & ſopor ipſum tenet, & ſaliuam liquidam, & multam educit. Quid obſecro Lethargo cum peripneumonia, qui ſunt affectus adeò à ſe inuicem diſtantes? Credo ego locum hunc Hippocratis explanari per ea, quæ ſcripta ſunt à Serapione, nimirum apoſtema Lethargicum, & peripneumonicum in tribus conuenire. Primò in temperamento partis, in qua ambo fiunt; quia vtraque mollis, & humida exiſtit, licet pulmo ex accidenti, non ex ſui natura, ex iugi humorum defluxione

fluxione à cerebro, humidus Auicennæ dicatur Fen. 1. primi. Qua tamen in re manifeſtè diſſentit à Galeno, vt patet lib. 2. de Temp. cap. 3. Secundò in cauſis, eò quod vterque morbus vt plurimum à pituita fiat. Tertiò in ſymptomatis, quoniam in ambobus ſomnus profundus, incompeſcibilisq; adeſt vnà cum obliuione. Vterq; cum febre eſt, pulſu molli, inæquali, & inordinato, nec omittatis quod in his morbis ægri ſubdelirant. Vnde etiam memini me legiſſe apud Gal. 4. de Cauſ. pulſ. 8. & 4. de Præſag. ex pulſib. in vera pleuritide, quod pariter, nemine diſſentiente, de peripneumonia intelligendum, ſemper offendi caput, ac mentem perturbari. Nam cum caput ſit in alto poſitum, fuligines, quæ à partibus inflammatis, & humoribus putreſcentibus attolluntur, recipit, at illæ ſi ſint bilioſæ, pungunt, ſtimulant, & delirium faciunt, ſi verò pituitoſæ, inſtar nebulæ cuiuſdam cerebrum obtenebrant, grauant, ſicq; ſoporem inducũt. Ideò inter ſigna propria non ſolùm peripneumoniæ, ſed etiam pleuritidis connumerantur ab Aureliano, & Aretæo coma, & delirium. Diſcrepant tamẽ, quoniam in Lethargo maior adeſt ſomnus, maiorq; obliuio, leuius delirium, minor febris, reſpiratio facilior, quàm in ipſa peripneumonia. Ad ſigna prognoſtica me transfero. Idcircò ſciendum vobis eſt Lethargum morbum eſſe valdè pernicioſum, & magno periculo coniunctum, vt patet ex Hippocrate, & Galeno 1. de Rat. victus 7. & primo Epidem. 3. Quinimo Celſus lib. 3. cap. 9. ſcribit eum citò iugulare, niſi ſtatim ſuccurratur. Gal. lib. 4. de Cauſ. pulſ. cap. 15. dicebat Lethargum eſſe grauiorem affectum peripneumonia; Quamuis autem Lethargus morbus ſit periculoſus, & de quo ingens habendus timor, non tamen eſt omninò lethalis, cum videamus quotidie non paucos verè Lethargicos euadere incolumes. Propterea Hippocrates lib. 2. de Morb. ſcribit Lethargum interficere in ſeptimo, & ſi hunc pertranſeat, hominem ſanitati poſſe reſtitui. Idem Hippocrates 3. eiuſdem operis actum putat de ſalute Lethargia laborantis, qui multum, atque id liquidum infra egerat. Similiter 7. Aphor. 21. Si Lethargo, inquit, ſuperuenerit tremor, malum, quia, vt Gal. notat in comm. ſignum illud eſt, materiam multam principium neruorum malè afficere. Inſuper

per tradit Hippocrates loco citato de Morb. 3. & 4. Coac. prænot. Aphor. 28. Quicunque ſeruantur è Lethargicis, vt plurimum ſuppurati fiunt. Hollerius, & Iacotius interpretantur de ſuppuratione in thorace materiæ decubitu, ac diffuſione in thoracem ipſum, vnde ſuppurati fiunt. Hieronymus Mercurialis aliter explicat, & per ſuppuratos exiſtimat Hippocratem eo in loco intelligere eos, quibus materia putrefacta per aures, & per nares euacuatur. Nec inſolitum ſubiungit eſſe eidem Hippocrati huiuſmodi vniuerſalibus locutionibus vti, quemadmodum quando abſceſſus appellat quaslibet permutationes materiæ à loco ad locum. Pro hac ſua roboranda opinione duo ſupponit, primum intelligi illud non poſſe de materia in cerebro exiſtente, quia putreſcit quidem hæc materia, ſed minimè in tumorem eleuatur, vt liceat dicere eiuſmodi tumorem ſuppurari. Secundum neque de illis poſſe intelligi, quibus intra thoracem pus colligitur, quoniam vix fieri poteſt, vt materia, quæ in cerebro Lethargum facit, in pectus tranſmittatur, ac ibi in pus vertatur. Aduerſus primum fortaſſe pugnant Arabes, qui de apoſtemate propriè dicto intelligunt, non autem de ſola in cerebro repletione ab humore pituitoſo genita. Secundum apertè ſatis refellitur experimento. Vnde Hollerius ad iam adductum Hippocratis locum; Vidi, inquit, vnum aut alterum, qui ea ratione conualuerit, ſuppurato videlicet thorace. Duretus vult Lethargum mutari in peripneumoniam, & hanc in ſuppurationem, quod tamen meo iudicio obſcuriorem reddit Hippocratis aphoriſmum, quia cum tres morbi admodum periculoſi ſe conſequantur, nemo fortaſſe è Lethargicis hoc pacto vnquam euaderet. Quare rectius cenſet Iacotius ipſe, qui alium euadendi modum excogitauit, nempe diffuſionem materiæ ad primum ſpatium inter coſtale, ac primas thoracis partes, quæ ſine anhelitus difficultate, aut lateris dolore per purulenta ſputa expurgari poteſt. Optimum in Lethargo eſſe ſolet fieri abſceſſum poſt aures. Malum enim tunc ſoluitur, quod ego aliquando animaduerti, veluti maximi eſſe periculi nuncium circum caput frigidum ſudorem. Melius vtique eſt Lethargo ſuperuenire Phrenitidem, quàm è contra. Sic apud Hippocratem 5. Epid. ſect. 3. Com. 2. in

con-

conſtitutione auſtrina Phrenitici, conuerſione facta in Lethargum, è vita demigrant, vt notat Galenus. Dicebat autem Cælius Aurelianus de Phrenitide, & Lethargo loquens, Lethargum non ſecus eſſe grauiorem affectum Phrenitide, atque grauior eſt cæcitas diminuto viſu. Ideò qui ex Lethargicis Phrenitici fiunt aliquando conualeſcunt, non contra. Lethargicos illos cum ſalute euaſuros eſſe pronunciabitis, quorum vires præualidæ ſunt, ac robuſtæ, ſymptomata verò imminuta habent, contra interituros, qui languidas præſeferunt virtutes, & morbi, ac ſymptomatum magnitudine premuntur. Tandem quæret hoc in loco veſtrûm aliquis, quamobrem in Lethargo, vbi ad malum euentum, & exitium inclinat, mors citò contingat, ſin autem ad bonum, ſalus tardè eueniat. Iuxta hoc enim dicebat Hippocr. 2. de Morb. Lethargum interficere in ſeptimo, &, ſi protrahatur, bonũ ſequi euẽtum. Reſpondetur Lethargũ poſſe à nobis conſiderari, vel prout pendet à materia morbifica ratione dignitatis, vel prout prodit à vehementia eſſentiæ, præſertim iuxta vitium materiæ in quali, & vbi; Si primo modo accipiatur à vobis, Lethargi motus velox eſt, & ideò citò iugulat, quia cerebrum occupatur, ſi ſecundo, quoniam materia iuxta illamet vitia accepta, eſt craſſa, viſcida, hærens, iccircò tardi motus erit. Hæc ergo de ſignis omnibus Lethargi dicta ſufficiant. In ſequenti ad curationem deueniemus.

De Scopis, & indicationibus in curando Lethargo, deq; Victus ratione in illo præſcribenda. Vbi de Vini vſu in Lethargicis controuerſiæ veterum Medicorum conciliantur. Lect. VIIII.

PRO curatione Lethargi ritè, ac ex methodo inſtituenda, Vobis ante oculos poni debent indicationes, & ſcopi vocati curatiui, ſine quibus profectò aduerſum morbos Andabatarum more, clauſisve oculis pugnamus. In curando itaq; Lethargo offerũt ſe ſe nobis illæmet indicationes, quæ conueniunt morbis omnibus, quorum origo ab humorũ

flu-

fluxione emanat. Quare inſtituenda erit curatio à generali corporis vacuatione, mox accedendum ad auxilia repellentia; ſed mitiora, quàm vel in Phrenitide, vel in capitis dolore ab humoribus calidioribus; quoniã facilè reprimitur, & inhibetur, ne influat, quod tardi motus eſt; vnde in affectibus iam dictis, vbi validi, ac vehementis motus bilis eſt, repellentia efficaciora requiruntur. Poſtmodum reuellentibus vtendum. Tandem reſoluentibus, & roborantibus. Iuxta quam methodum Lethargi curationem aggredi incipiam, exordio ſumpto à Diæta, in qua aer præ cæteris eligendus qui modicè calidus ſit, & ſiccus, qualis æſtiuus: in hyeme procuretur à vobis talis, accenſo igne luculento ex iunipero, lauro, roremarino, & ſimilibus: vel accipiatis Thuris, benioini, cinnamomi, foliorum roſarum, nucis moſcatæ, caryophyllorum ana drac. 1. ſ. moſchi, ambræ, ana gr. iiij. cum terebinthina fiant rotulæ lupinares ad ſuffimigium clauſis ianuis, & feneſtris. Mox omni ſedula opera proſpiciendum eſt, vt æger à tàm alto ſomno excitetur, ideoq; etiam locus, & cubile, in quo degit, ſplendore luceat oportet; ſic enim facilius expergiſcuntur Lethargici; & quemadmodum ambiens aer ad calidum, & ſiccum vergens auxilio eſt aduerſus morbum, ità ſi luminoſus ſit, auxilio erit aduerſus ſymptoma, cui hoc in loco admodum intenti eſſe debemus, quia cauſæ rationem habet. Somnus enim, qui facilè in tenebris obrepit, humectat, vigilia contrà, quę interdiu, ac in luce homines exercet, deſiccat, & calefacit etiam. In ſummã neceſſarium omninò eſt in Lethargo, vt aer ſit è diametro oppoſitus aeri Phreniticorum, in quibus procuratur frigidus, & humidus, ac tenebricoſus, propter iam allatas cauſas. Hominum propterea frequentia, tumultus, & ſtrepitus ex vſu eſſe ſolent, ſicuti vellicationes, ligaturæ, & frictiones dolorificæ, odoramenta acuta, aliaq; id genus excitatoria, quæ ideò fiunt, ne motrix facultas opprimatur. Cælius tamen Aurelianus maximè damnat iuges iſtas titillationes, & puncturas, quia, vt ipſe putat, cerebrum magis irritatur, offenditurq; ab his. Miror equidem Aurelianum in hoc alijs omnibus, quotquot legerim, contrarium eſſe, ne dicam, cum in Lethargo ſubſtantia cerebri, non autem membranæ afficiantur, niſi viciniæ, & conſenſus gratia,

ſaltem

ſaltem vt plurimum, ab huiuſcemodi operationibus quæ noxa, quæ exaſperatio cerebro cōtingere poteſt? Quinimò etiamſi quoquo pacto exacerbaretur cerebrum, maior tamen eſt vtilitas, quæ accedit ægrotanti ob excitationem à ſomno, quàm ſit detrimentum ab inclamationibus, & vellicationibus illatum. Celſus enim à ſomno excitandum cenſet Lethargicum, vt & excernat aliquid, & ſumat. Vnde prouocatio quoque ad iram, ac excandeſcentiam hoc in affectu frigido commendatur ab omnibus. Ad excitationem à ſomno valet mirum in modũ ſuffimigium naribus admotũ è ſulphure, abrotono, caſtoreo, & galbano. Acerrimo quoq; aceto, in quo ruta, & ſerpyllum decocta ſint, nares irritare conſuetum eſt in eundem finem. Per eandem partem pulueres acriuſculos intromittere ſolemus, quibus & ſternutamenta, & vigilias procuramus, . Vti ſoleo ego puluere cyclaminis, & hellebori albi vnà cum fermento. Bregmati ſimiliter adhibetur à quibuſdam vnguentum ex oleo rutæ, & caſtorei, ſucco ſcyllæ cum cera paratum. Sed hoc, & alia eiuſdem generis non niſi poſt tranſacta principia admoueri debent, ne maior ad affectam partem attractio fiat. Quidam alij volunt excitandos eſſe Lethargicos eo ſtudio, cui ſeſe addixerint, clangore tubarum, ſi milites, tinnitu auri, & argenti, ſi auari. Iuxta quam rationem auarum quendam apud Horatium lib. 2. Sat. 3. Medicus fidelis è profundo ſomno reuocauit, qui

Quondam Lethargo grandi eſt oppreſſus, vt hæres
Iam circum loculos, & claues lætus, ouanſq;
Curreret. Hunc Medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto; menſam poni iubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem ſic erigit, addit & illud
Ni tua cuſtodis, auidus iam hoc auferet hæres
Mene viuo? Vt viuas igitur vigila.

Non diſsimili techna Lethargicus alter vinoſus excitatus fuit, cum audiuiſſet vaſa ſua vinaria vehemẽtius commoueri, atque inde vinum bibi. Alui inſuper excrementa frequenter educantur, omniq; arte venter lubricus ſeruetur, quo nil melius, nil vtilius in morbis omnibus capitis, cum ſciamus per Hippocratem aluum

exina-

exinanitam à toto trahere, & potiſsimum à capite. Quoniam verò totius corporis, nedum ventris facultas pigra eſt, ac veluti ſopita iacet, balanis, & clyſteribus vi acerrima pollentibus vti oportet. Vtriuſque medicamenti formula, & exemplum hoc modo præſcribatur. Recipe ſalis gemmæ drach. v. nitri gr. iij. trochiſc. alhand. ſcr. ſ. mellis q. ſ. f. ſuppoſitorium, vel Rec. vtriuſq; centaurij an. man. ſ. fol. rutæ, maluæ an. m. j. Fiat decoctio ſ. a. Cuius accipiatis lib. j. cum dimidia, hieræ Logodionis vnc. ſ. olei rutacei vnc. iiij. ſalis drach. ij. m. pro clyſteri. Alimenta Lethargicorum debent eſſe tenuia, & attenuantia ſimul, ex his nimirum, quæ incidere, & extenuare, & calfacere frigidam, & craſſam pituitam poſsint. Inter carnes conueniunt omnium auicularum præſertim montanarum, turdorum, perdicum, phaſianorum, pullorum, caponũ, verueciſq; quæ cõdiri debent cinnamomo, & caryophyllis, ſed quia Lethargici mandere nequeunt, & vix etiam ſorbere, ideò huiuſmodi carnes ad cõtuſum redigendæ erũt. Iuſcula quoq; ex ijſdem carnibus tabefactis & conſumptis parari poſſunt; ebullitis vnà ſerpyllo, ac petroſelino, &, iuxta Auicennam, ciceribus quoq;. Alexander Trallianus, & Meſue laudant allia, & porri folia, ſeu comas, dũmodo tamen exigua febris ſit. Sunt qui eas cum hordeo decoquunt, & frequenter exhibent. Laudat ſimiliter Trallianus amygdalas, aut potius ſuccum ipſarum cum melle miſtum. Sanè conuenit cremor hordei, aut ptiſana ipſa, in qua parum vel piperis, vel cinnamomi incoctum ſit, aut coma pulegij, aut radix apij. Coquitur hordeum cum porro, & ſale, mox etiam pipere adiecto, & ex eiuſmodi hordeo ſuccus extrahitur, qui cremor appellatur. Cibaria omnia craſſa, frigida, & humida vitanda ſunt, vitandum lac, fructus oleaginei denegandi, oliuæ, nuces, amygdalæ, quæ tamen Tralliano non improbantur, auellanæ, & pineæ. Item arcenda ſunt ab horum menſa quæ multum, ac facilè euaporant, eruca, naſturcium, & cepæ crudæ in primis, quarũ vſus dicitur maximè Lethargum progignere. Nam cepæ duas habent partes, craſſam, à qua generatur pituita, & acutam, ſeu halituoſam, quæ ſurſum facilè euaporare facit, & calore ad putredinem confert. In potu magna videtur eſſe lis de vino. Sunt enim qui admittunt, ſunt qui reſpuunt. Quinimò Hippocrates partim concedit, partim dene-

denegat. Nam 2. de Morb. dicit vinum album vinoſum eſſe bibendum, ſed 3. eiuſdem operis præcipit à vino penitus abſtinendum eſſe; Celſus lib. 3. cap. 20. Vinum quoque, ait, cum tempeſtiuo cibo datum non mediocriter adiuuat. Aſclepiades, cuius doctrinam ſequitur Celſus, vinum & ipſe libenter concedebat Lethargicis. Contrà alij damnant vinum hoc in affectu propter febrem, & quia per illud humores, & vapores ad cerebrum deuehuntur, ſicque adaugetur affectus ipſe. In hac controuerſia, quæ non eſt contemnenda, & de qua ſæpè in medicina facienda occurret vobis cum collegis diſſerere, dicerem ego iuxta varia tempora Lethargi poſſe vinum & concedi, & denegari, necnon ſi Lethargus coniunctus ſit cum alijs morbis calidioribus, vel per ſe ſolus, ſic in eo modò cum vtilitate, modò cum detrimento vinum offerri. A principio Lethargi, quo tempore à toto ad cerebrum confluit humorum affluxus, & in eo etiam membro non negligenda caliditas, ſi non inflammatio viget, nemo puto inficias ibit, vinum minimè conuenire, idque multò magis, vbi aut peripneumonia cum illo coniuncta eſt, aut illius periculum impendet, qualis videtur eſſe caſus ab Hippocrate deſcriptus 3. de Morbis. Verùm vbi concoqui morbus inceperit, & longe à principio, paulum vini tenuis, & albi, ac prope finem, etiam non adeò pauciferi, tutò concedi poſſe crediderim, quo tempore iuuare quoque poteſt, vt affirmat Celſus, quem miror in hoc à Mercuriali notatum. Vnde Hippocrates quando 3. de Morb. vinum commendat, abſque dubio de alio tempore, quàm de principio loquitur, vt clarè patet ex illius verbis, quia vinum fuit conceſſum poſtquam primò aquam, demacerata in ipſa farina craſſa, biberit, mox ptiſanæ ſuccum mali punici ſucco miſtum, videlicet iam morbo declinante. Alexander Trallianus lib. 1. cap. 14. eandem habet ſententiam. Non negauerim tamen Aſclepiadis rationem parum firmam fuiſſe, dùm propterea ſe vinum in Lethargo concedere affirmabat, quia in eo cerebrum eſt vſque adeò læſum, & offenſum, vt nullum ſit periculum, quod amplius offendatur. Ita namque parui referret, quæ ſalutaria ſunt, Lethargicis præſcribere,

O omniaq;

omniaque in illis eſſent negligenda, tanquam ſi cerebrum priſtinam valetudinem aſſequi minimè poſſet, & dùm Lethargo laborat, nullum grauius malum pati queat, cum tamen ex vino intempeſtiuè exhibito periculum immineat, ne ſpaſmus superueniat, & febris adaugeatur. Dùm autem Lethargici vino interdicuntur, potent hydromel, ſiue mulſam factam cum cinnamomo, aut ſaluia; vel decoctum maioranæ cum iulepo. Sunt qui hydromeliti iam dicto, dùm fit, vuam paſſam addunt, quia affectum iuuat, & ventrem, cauſamque præparat. Qua potione vſque ad ſtatum vti conſueuerunt. Animi accidentia, præſertim ira, aut aliqua alia perturbatio, commoueantur, & excitentur oportet. Sic namque totum corpus calefieri, humores diſcuti, & ſomnus abigi poteſt. Atqui in ira, ad cor, & caput trahuntur ſanguis, & ſpiritus, vt docet Hippocrates 6.Epidem.Comm. 5. his verbis. Excandeſcentia attrahit etiam cor, & pulmonem in ſe ipſa; & in caput calidum, & humidum. Addatis quod Galenus in Comm. aſſerit calori vitali debilitato iram remedio eſſe. Et Hippocrates rurſus 2. Epidem. Danda, inquit, eſt opera, vt ira excitetur, & caloris, & ſucci recuperandi gratia. Non me tamen latet quod de ira tradit Galenus ipſe 12. Meth. 5. eo ſcilicet modo lædere, quo multæ vigiliæ, vires reſoluendo, ſed à me laudatur neſcio quæ moderata excandeſcentia citra vllum metum, cum quo ſæpius permiſta eſſe ſolet, vt calfaciat, & exſiccet, in morbo ſuapte natura frigido, & humido, & à ſomno illo profundo Lethargicos ſuſcitet, cerebrum calfaciendo, & ſpiritus, qui torpidi, & inertes exiſtunt. Idem præſtant loco, & vice exercitij, ac motus, frequentes frictiones crurum, & brachiorum. Et hæc de Diæta.

De

De auxilijs Chirurgicis in Lethargo, & paucis quibuſdam è Pharmacia. *Lect.* X.

PRAESCRIPTA Diæta prout nudius tertius audiuiſtis, conuertere animum oportet ad cætera inſtrumenta, exordio ſumpto à Chirurgia, in qua primum quod ſeſe offert nobis, eſt ſanguinis miſsio, quod remedij genus omnibus alijs antepoſuiſſe videtur Galen. 13. Meth. cap. 21. Galeno aſſentiuntur Paulus, Alexander, & reliqui Græci, imò & Auicenna ipſe. Solus Meſue non meminit venæ ſectionis in Lethargo. Vnde è recentioribus magni nominis quidam rem hanc limitare voluerunt, de quorum numero fuere Trincauellius, & Mercurialis. Profectò ſanguinis miſsio nonnullis rationibus haud conuenire videtur. Prima, quia humor, qui eſt cauſa morbi, crudus eſt; Nulla ergo indiget vacuatione, ſed coctione. Secunda in frigido affectu, ſi ſanguis mittatur, eò magis refrigerabitur, & recrudeſcet. Vnde regula eſt Galeno 4. de Sanit. tuen. 4. & de Cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 6. & 10. vbi abundant humores frigidi, neutiquam conuenire ſanguinis detractionem. Quod pariter confirmatum habetis apud Aetium lib. 6. cap. 3. Tertia ratio eſt quia, non ſicut in bile contingit, facilè poterit pituita vnà cum ſanguine vacuari. Eſt enim craſſa plerunque, & viſcida. Pro hac tollenda difficultate dicatis omninò conuenire ſanguinis miſsionem ad vacuationem totius, & auerſionem materiæ, ne ad partem iam laborantem, & læſam fluat, morbiq; naturam hoc præſidium exigere, quoniam febris adeſt, quòd pituita, quæ Lethargũ facit, putris eſt, à putredine incendium, & quia cum Arabibus, quod & nos ſupra interdũ verum eſſe affirmauimus, Lethargus œdema eſt cerebri phlegmonodes à ſanguine pituitoſo. Cõuenit itaq; venæ ſectio in Lethargo ſtatim à morbi principio. Eſt enim magnus, & acutus morbus, dummodò tamen vires robuſtæ ſint. Vnde iuremerito abſtinendum ab eiuſmodi operatione dicunt in Lethargo, qui priori morbo acceſſerit, vti falſæ Phrenitidi propter vires attritas. Rationes

in contrarium allatæ facili negotio explodũtur, in quarum prima dicebatur humorem crudũ nõ egere vacuatione, ſed ſola coctione. At hoc intelligi debet, ſi ſolùm ſanitas ſeruanda ſit, non itẽ ſi prohibendus, aut tollendus magnus morbus. Ad ſecũdã, quæ erat magis refrigerari affectum, dicatis, ſi multa eſſet, aut immoderata sãguinis vacuatio, ac nõ de materia tolleretur, quæ calorẽ innatũ ſua copia præfocet. Nec verum eſt, quod in tertia obijciebatur. Etenim fuſa eſt, & liquida in venis pituita, & experimento quotidiano patet omnibus multum viſcidi humoris ſecta vena vacuari. Ad Galenũ, & Aetium dicatis loqui de humoribus frigidis, & crudis exiſtentibus in vniuerſo corporis ambitu, cum quibus nequeunt ſtare vires, quas ſupponimus validas eſſe; Vnde oportet inopiam ſanguinis minimè adeſse, & magnum humorum vitium. Ideò Trallianus lib. 1. cap. 20. Si nec vires ægrotantis, nec ætas, nec regio, aut tempus contradixerit, ſanguinem detrahere ſtatim in principio expedit. Et Auicenna; Si non fuerit quod prohibeat, ſanguis detrahatur, & ſi eſt quod impediat, vt ca cochymia pituitoſa, & cruditas, magnam vacuationem, reuellendi cauſa ſaltem eſt detrahendus pauca quantitate ex vena cephalica, aut mediana. Quid obſecro clarius? Propterea niſi Meſue hoc auxilij genus prætermiſerit tanquam notiſsimum, mirum certè eſt, quippe qui in Catarrho cum febre præcipit ſanguinem eſse auferendum. Sanguinis ergo miſsio facienda in Lethargicis; ſed vnde, & per quas venas? Nulli dubium quod ſi plethora affuerit, incidenda eſt baſilica, alioqui cephalica dicta, vel mediana, vt notat Auicenna. Quæritur de vena frontis; certè poſt apertam cephalicam, aperiri etiam poteſt vena frontis: occipiti enim dolenti, inciſa vena frontis prodeſt. In Lethargo ſi quidem laborat potiſsimum occiput, vt iam audiuiſtis, & ex eo facilè probatur, quod immemores ſunt, & omninò obliuioſi. Vnde ſæpiſsimè petunt matulam ad meiendum, ſed oblata non meiunt. Præterea hic locum habent cucurbitulæ, & hirudines, phœnigmi, & fonticuli. Cucurbitulæ ſint ſcarificatæ, & hirudines non ſolum poſt aures, & ad narium venas, ſed hæmorrhoidibus applicatæ conueniunt, prout ſcilicet vicem gerunt venæ ſectionis, quando præ virium imbecillitate venam tutò ſecare non licet.

Quo

Quo tempore cucurbitulæ natibus, & coxis admoueri debent, deinde etiam humeris cauſa deriuandi ſanguinem in capite collectum. Sunt qui occipiti, nec non primæ, ſecundæq; vertebræ apponunt, ſed hoc non fiat, niſi alia præceſſerit euacuatio; eſſent enim periculoſæ. Cucurbitulæ etiam laudantur, vt facultas veluti ſopita expergiſcatur, tunc verò adhiberi poſſunt varijs corporis partibus non ſcarificatæ, ſed cum magna flamma, vt effatu digna etiam auerſio fiat. Extremæ corporis partes fricentur, vt iam dixi, ſed ſine intermiſsione donec rubeſcant, doleantque. Valent hęc enim ad reuulſionem materię caput petentis, & ad excitationem à ſomno. Præ cæteris placet mihi illud reuulſorium medicamentum, ſi aceto ſcyllitico ſimul cum ſale plantæ pedum confricentur. De communi tamen Medicorum ſententia alijs omnibus cùm reuulſorijs, tùm excitatorijs auxilijs anteferenda ſunt veſicatoria dicta, vt nullus ſit morbus, in quo euidentiorem afferant vtilitatem, quàm non in Lethargo tantùm, verùm quoque in cæteris ſoporoſis cerebri affectibus. Reuellunt enim, deriuant, & à ſomno, ac ingenti illa inertia ſuſcitant. Quæ emolumenta conſiderans Paulus Aegineta lib. 3. cap. 9. ita loquitur. Iam femora, & crura medicamentis exulcerantibus rubicunda facta ſæpenumero iuuant. Qui locus oſtendit etiam nobis vſum huius medicamenti non eſſe ità recentem, vt quidam putauere. Materiæ autem è quibus confici, ac parari ſolent hæc veſicātia, plures ſunt, & illæ prorſus, è quibus veteres Medici ſinapiſmos, & rubificantia conficiebant. Hac noſtra ætate ex euphorbio, ſinapi, & cātharidibus vnà cum fermento, & aceto vel ſimplici, ſed acerrimo, vel ſcyllitico cōponuntur. Addunt aliqui ſemina ameos ad infringēdam cantharidum malitiam. In quorum phœnigmorum vſu, & applicatione, animaduertatis quòd à morbi principio cruribus, & femoribus magis ſunt applicandi, in ſtatu verò non ſolùm brachijs, ſed etiam in ſuperiore parte dorſi prope occiput admoueri poſſunt, quoniā ab initio reuellere neceſſe eſt affluentem humorem, alijs temporibus deriuare iam fluxum oportet. Inſuper Lethargicum alto, & profundo ſomno inuolutum hac arte excitamus; quemadmodum & inuſtione candenti ferro facta in inio, vel ſincipite, quibus in partibus vt diutius perſeueret dolor, cuius gratia potiſsimum inu-

 runtur,

runtur, excitata eſchara incidatur, ac vi quadam euellatur, imò circa eſcharæ peripheriam veſicatoriũ applicare ſoleo, præſertim quod conficitur ex allio craſsè contuſo, quod eſt miræ efficaciæ. Fine autem impoſito auxilijs Chirurgicis, deueniendum ad pauca quædam in præſenti ſermone ab inſtrumento Pharmaceutico deprompta. In quo quidem inſtrumento primum quod occurrit nobis purgatio eſt per medicamenta per os exhibenda, de qua pariter video Medicinæ ſcriptores inter ſe ſe parum concordes eſſe. Laudant nonnulli vt, cùm morbus ſit acutus, & citò interimat, purgatio præſcribatur ab initio ex drach. ij. pilularum cochiarum, vel de agarico, vel de hiera diacolocynthidos, quæ diſſolutæ ſint in aqua vel ſaluiæ, vel betonicæ, vel calendulæ. Nã in forma catapotiorum medicamentum Lethargici minimè deglutient, licet oppoſitum ſcribat Mercurialis. Quidam alij contendunt nullo pacto eſſe purgandum, niſi præmiſſa humorum præparatione per ea, quæ attenuant, incidunt, & calefaciunt frigidos, & crudos ſuccos in venis ſtabulantes. Propterea ab initio clyſteribus, & glandibus acrioribus potius, quàm pharmacis purgantibus vtuntur. Auicenna purgantia non exhibet, niſi timens de morbi longitudine, & dùm febris adeò remiſſa apparet, vt ſua caliditate non prohibeat. In hac controuerſia dicam liberè meam ſententiam. Si Lethargus vehemens ſit, ac totum corpus humoribus repletum, purgarem etiam à principio, nulla expectata ipſorum humorum concoctione, quia periculum in mora. Iam enim dixi ex Hippocrate Lethargum in ſeptima potiſsimùm iugulare, ſaltem vt auerſio, ſi non vacuatio à capite fiat, maximè ſi & ſanguinis miſsio prægreſſa, & acres clyſteres ſæpius iniecti parum profeciſſe viderentur. Quod ſi Lethargus non ſit adeò vehemens, & ſpes aliqua ſit ſeptimã diem poſſe tranſcendere, & in longum protrahi, tunc purgantia omninò relinquerem ab initio, differremq; vſquequò exactè præparata foret materia, quæ propter viſciditatem, atque craſsitiem trahenti medicamento minimè obediens eſt. E Medicis ſunt, qui apertè fatentur in Lethargo minimè eſſe purgandum, eò quod medicamentum purgans non educit humorem in tumefacta particula inclu ſum, ſed eum, qui eſt in venis. Vnde per diſcutientia, & particulariter à capite euacuantia materiam Lethargi cauſam tantummodo

tummodo educi poſſe exiſtimant. Reſpiciunt hi cauſam, quam vocant antecedentem, non coniunctam, qui, ſi vera dicunt, probant potius medicamenta purgantia ab initio morbi, quantumuis cruda exiſtente materia, quàm in fine, ſeu declinatione. Auicenna tamen, & cum eo alij non pauci purgationem extollunt, quibus & nos aſſentimur. Ideò cuiuſmodi eſſe debeant non purgantia tantùm, ſed etiam alterantia vocata, quæ ſolent à nobis regulari purgationi præmitti, veluti reliqua omnia ad Pharmaciã pertinentia, audietis in ſequenti.

De alijs auxilijs è Pharmacia deſumendis; vbi de medicamento quodam Tralliani, & aliorum ex ſcammonio, & caſtoreo; necnon de vſu hieræ in Lethargo diſputatur. Lect. XI.

QVAMOBREM, & quando purgandum ſit in Lethargo, tàm à principio morbi, quàm in declinatione, abundè oſtenſum fuit in heſterna Lectione. Nunc ergo ſupereſt demonſtrare cuiuſmodi eſſe debeant & præparantia, & purgantia ipſa, & denique omnia ad hunc Pharmaciæ fontem pertinentia abſoluere. Vbi itaque in hoc morbo præparationi locus datur, ſic præparabitis. Recipe fol. ſerpylli, hyſſopi, maioranæ, cichorij, ana m. ſ. f. d. Cuius accipiatis vnc. iiij. ſyr. de ſtæchade, mellis roſ. ſ. oxymelitis vel ſimpl. vel comp. vel etiam ſcyllitici ana vnc. ſ. m. Animaduertendum tamen Rondeletiũ cap. de Lethargo dãnare ſyrup. de ſtæchade, vtpotè plus æquo calidum, quando huic affectui febris eſt cõiuncta, ideò loco ipſius reponit ſyrup. de betonica, vel de byzantijs. Præparati hac ratione humores per plures dies, expurgandi poſtmodum erunt per medicamenta phlegmagoga imprimis aliquantiſper valida, quia virtus omnis in Lethargicis tanquam emortua iacet, ideoq; laudatur hiera diacolocynthidos, diaphænicum, electuarium indum maius, agaricus trochiſcatus. Poteſtis accipere hieræ diacolocynth. drach. ij. cum aqua calendulæ, aut betonicæ ſ. p. vel accipiatis pilular. de agar. ſcr. ij. cochiarum ſcr. iij. ſ. agar. trochiſ. ſcr. j. Diſſoluantur in aqua meliſſæ. Nec timeatis de amarore, quoniam Le-

thargici aut omninò carent guſtu, aut certè ſtupidum habent. Exhiberi quoque poteſt tale medicamentum: Recipe elect. indi maior. drac.ij diacat.drach.v. agar. trochiſc. drac.j. decoct. cord. q. ſ. fiat p. b. vel hoc aliud: Recipe elect. diaphæn. drach. iij. mellis roſ. ſolut. vnc. iiij. cum decocto betonicæ, & cichorij fiat p. Alexander Trallianus proponit medicamentum efficaciſsimum, quod poſteà comprobarunt Meſue, & Auicenna, in eo ſolùm à Tralliano diſcrepantes, quod tàm magnam ſcammonij doſim pertimuere. Vnde Meſue voluit eam diminuere, quinimò & Auicenna doſim Meſues correxit, & ad minorem adhuc quantitatem reduxit. O quàm verè dicebat in ſuis Aphoriſmis Damaſcenus: Operari ſecundum libros abſq; perfecta ratione, & ſolerti ingenio moleſtū eſt. Ex hoc intelligant Medici quidam ex illis, qui ad pauca reſpiciunt, temeritatemq; cum ignorantia iunctam habent, in colligendis medicamentis ex veterum ſcriptorum monumentis, doſim illorum non oſcitanter eſſe amplectendam, ſed pro varijs circunſtantijs, quæ neceſſariò requiruntur in exhibitione medicamenti, moderandam omninò fore; quod quàm verum ſit diffuſius oſtenditur à me in de Quæſitis per Epiſtolam. Interim ſcitote medicamentum ab Alexan. propoſitum conſtare ex vno ſcr. ſcammonij, & duobus caſtorei. Sed hac noſtra tempeſtate, ſi cuipiam veſtrûm hoc ipſo vti medicamento placeret, ità erit præſcribendum; Recipe diagridij ſcr. ſ. caſtorei ſcr. j. cum melle f. pilula, vel etiam potio cum decocto capitali. Illud tamen animaduertere oportet, quod vbi prædicta medicamenta aquis diſſoluenda ſunt, aliquanto augeri debet doſis; quoniam ſub forma potus non tandiu morantur in ventriculo, vt poſsint à capite vacuare. Sed quia contra huiuſcemodi medicamenta aliquot inſurgunt obiectiones, ideò nunc diſcutiendæ ſunt. De vſu ſcammonij prima obiectio fit, quoniam, de ſententia Meſues, ſcammonium purgat tantummodò bilem. In Lethargo peccat pituita. Ergo ſcammonium minimè conuenit. Huic ſolo argumento innixi quidam è recentioribus à curatione Lethargi medicamentum Alexandri ablegandum putauere. Altera obiectio fit in vſu hieræ, quoniam cuiuſque hieræ baſis eſt aloe, quæ triplici de cauſa hoc in affectu neutiquam conuenire videtur. Prima quia cùm Dioſcorides

rides cap. proprio, tùm Rhaſis 8. Continent. ſcribunt aloem inducere ſoporem; quod etiam ſcripſit Galen. 7. de Simpl. med. Secunda quia tradunt Meſue, & Auerroes 3. Coll. 14. aloem educere ſolam bilem, & melancholiam; Tertia elicitur ex Sorano apud Cælium; medicamentum ex aloe, vtpotè nimis lene, ac blandum, in Lethargo curando nullum habere locum, eò quod humores commoueat, trahatq; ad ventriculum, nec tamen inde expellat, qui propterea in ventriculo retenti vapores ad cerebrum mittunt. Altera dubitatio oritur in caſtoreo. nam Gal. 11. Simpl. cap. proprio, probat caſtoreum tunc ſolùm, cum febris minimè adeſt, vel remiſſa admodum. Circa obiectionem de medicamento Alexandri, veriſimile non fit, tantum virum, quem alij inſecuti fuerunt, in eo eſſe hallucinatum, vt noſtri æui Medici celeberrimi autumaſſe videntur, & propterea indagandæ ſunt rationes, quibus adductus illud excogitauerit Triplex ergo reſponſio afferri poteſt pro tutanda Alexandri parte. Prima erit, quia ſcammonium adhibetur caſtoreo ad præſtandum illi robur, vt pituitam educat, ita vt ponatur ſcammonium non ad vacuandum principaliter, ſed ad iuuandum caſtoreum, quò pituitoſum trahat humorem, quæ reſponſio alicui fortaſſe parum probabilis videbitur, quod inde ſequatur aliquod non ſolutiuum, miſcella acriter ſoluentis medicamenti, determinati humoris ſolutiuum euadere. Alia reſponſio eſt, quod Alexander, & alij vix poſſe fieri exiſtimabant, vt magna pituitæ copia ad cerebrum aſcendat, abſq; vehiculo, quod bilis eſt. Vnde ſcammonio vtuntur, vt bilioſum humorem, qui pituitoſum deuehit, expurgent. Sed & hoc reſponſum non vndiq; ſatisfacit, quia medicamentum debet à prædominio, vt inquiunt, phlegmagogum potius eſſe, quàm cholagogum, ſed in allato contrarium obſeruatur. Quinimò Auicenna, qui poſt Alexandrum vixit, tali medicamento vtebatur ſolùm in Lethargo, cui iam tremor ſuperueniſſet. Tum enim ſanguis pituitoſus maximo cum impetu petit caput, vt neruorum principia anguſtentur, ac tremor fiat. Pituita ſiquidem non poteſt cum impetu petere caput, niſi calcar, aut vehiculum habeat. Additur verò caſtoreum, vt attenuet, abſtergatq; pituitoſam materiam, ſicq; neruorum principia ab anguſtia libe-

liberentur, atque ità ceſſet tremor ipſe. Tertia reſponſio, quæ cæteris hactenus adductis probabilior apparet, & quæ etiam pro aloe militat, eſt; aliud eſſe adminiſtrare ſcammonium, & aloen ſola, aliud commiſta. Scammonium ſolum, & per ſe in Lethargo non conuenit, ſed caſtoreo commiſtum maximè conuenit, quia caſtoreum frangit, & hebetat facultatem illam ſcammonij bilis eductricem; & diſſeccando pituitam facit, vt facilius ſcammonio obediat. Addatur his omnibus, quòd ſcammonium, vt legitur apud Dioſcoridem, non ſolùm bilem, ſed pituitam quoque educit. Dicere tamen aliquis poſſet, non defuiſſe Alexandro alia medicamenta euidentius phlegmagoga, quæ cum caſtoreo potuiſſent admiſceri, & haſce vitare difficultates. Non deerant certè, at efficaciſsimo opus erat, quo in caſu nullum præſtantius in operando ipſomet ſcammonio. Obiectio ſimiliter de aloe tollitur dicendo, quòd ſola, & pura minimè admittitur, ſed tantum miſta cum alijs, vt fit in hiera componenda, quæ in cauſa ſunt, vt non ità ſoporem inducat, vt præter bilem, pituitam quoque purget, & ne tandem diutius in ventriculo moram trahat. Ad dubitationem de caſtoreo, quòd ſcilicet exhibendum non ſit, vbi febris adeſt, de Galeni mente; dicatis febrem in Lethargicis non eſſe admodum intenſam, & plus poſſe pituitam ad indicandum attenuantia, ac detergentia, quàm febris ad prohibendum caſtorei calorem. Accedit quòd ibi Galenus loquitur de caſtoreo cum pipere, & nos caſtorei caliditatem poſſumus quoquo pacto corrigere, ac emendare, ſi non piper, ſed cichoracea admiſceamus. Inter vacuantia laudat etiam Auicenna vomitoria, ſi præſertim ventriculus repletionis indicium nobis præbeat. Vomitorium verò ſit: Recipe decoct. raphani vnc. iiij. oxymelitis ſ. aut ſcyllitici vnc. ij. m. & propinetur tepidum. vel, Recipe oxymelitis ſcylliciti vnc. j. ſ. ſucci raphani vnc. ij. iuris tepidi vnc. viij. m. Præter hæc, depromuntur etiam ex hoc fonte localia dicta, inter quæ primùm occurrunt repellentia à morbi principio capiti admouenda, in quibus Lethargus conuenit cum Phrenitide, licet in hac valentiora ſint oportet. Oxyrhodinum ergo in Lethargo paratum ſit ex oleo roſato completo, non autem omphacino, cum exigua aceti portione, affundaturq; in eam capitis

partem,

partem, in qua iunctura eſt coronalis, licet in occipite magis affectus vigeat. Pars etenim illa rarior eſt, & multis peruia foraminibus, atque ſuturis, per quos quidem ductus medicamenti vis facilè in omnem cerebri ſubſtantiam dilabitur. Dubitatur tamen in oxyrhodini Lethargicorum vſu, vtrùm ſtatim repercutientibus diſſecantia, attenuantia, ac reſoluentia adhibenda ſint, quia ſcilicet materia frigida eſt. Varij varia dicunt. Ego ab initio facta per clyſterem acrem ventris vacuatione, & ſanguine è cephalica extracto, oxyrhodinum præſcribo, quale audiuiſtis, vel ex olei roſacei, & chamæmelini an. vnc. j. ſ. aceti drach. iij. Hoc enim repellens mite eſt, vt præcipit Galenus 13. Meth. 21. Poſt duos dies cum Auicenna caſtoreum addere ſoleo, vt ſit etiam diſcuſſorium. Tranſacto principio, & vniuerſali facta vacuatione, præmiſsisq; reuulſorijs auxilijs, fluxam in cerebro pituitam per os, & per nares educere oportet, ac tandem eam penitus reſoluere. Huic vſui prodeſſe ſolet illinitio palati cum melle, & ſinapi, cum theriaca, aceto ſcyllitico, aut conſimili re. Sternutationem quoque prouocare expedit puluere hellebori albi, caſtorei, & nigellæ; nec timeatis cum Cælio Aureliano de cerebri concuſsione, quia quantò magis cerebrum concutitur, tantò magis humores à partibus obſeſsis remouentur. Dicebat enim Hippocrates 3. de Morb. curandum eſſe, vt æger multum expuat, & calefiat. Hoc tempore ſunt qui grandem cucurbitulam occipitio cum ſcarificatione affigunt. Sunt qui hirudines naribus admouent. Sunt denique qui phœnigmum, & metaſyncriticum applicant. Vbi autem humores in cerebro Lethargum facientes per expulſionem educi amplius non poſſunt, ad diaphoreſim confugiendum, dico ad digeſtionem, ac vaporationem, quæ fit laxantibus particulam, & humorem reſoluentibus. Adiuuabit capiti adhibitum epithema ex decocto rutæ, & ſerpylli in vino; confert inunctio facta ex oleis anethino, chamæmelino, liliaceoq; cum modico caſtoreo, & aceto, potiſsimum verò valent pulmones veruecum à de recenti mactato animali exſecti, vt ita calidis foueatur caput, qui ſi refrigeſcant, iterum calfaciendi ſunt ex decocto chamæmeli, anethi, ſem. lini, fœnu græci, & ſimi-

& ſimilium,quæ calfaciunt.Ita pulli columbarum reciſi,& exenterati,vel catelli parui eodem pacto appoſiti paſsim à Practicis omnibus commendantur.Odoramenta quoque laudãtur ſpongia excepta decoct. ſerpylli, ſampſuchi, pulegij, & ſtæchadis in aceto cum modica aqua ardenti. Quæ quidem & ad nares alliciunt è cerebro humores pituitoſos, & omnia eiuſdem membri excrementa frigidiora mirum in modum reſoluunt. Per os denique, & interius ad corroborationem, & ad caſtigandam, ſeu corrigendam intemperiem valent ea,quæ in Catarrho frigido attulimus, præſertim verò conſeruæ capitales, aut cephalicæ dictæ,anthos,ſaluię, betonicæ, diamoſchum dulce, diambra,vtraq;magna antidotus,ſed præcipuè caſtoreum cum oxymelite datum, vt conſtat ex hiſtoria ab Alexandro relata.

Et hæc de Lethargo ſatis.

Libri Tertij de Lethargo Finis.

D E

DE EPILEPSIA, SEV COMITIALI MORBO LIBER QVARTVS.

Definitio quid nominis. *Lectio I.*

IN omni, quæ à ratione ſuſcipitur, de re aliqua inſtitutione, Viri quàm præclari, voſque alij Iuuenes ſtudioſiſsimi, ab ipſa quęſitę rei ſubſtãtia exordiẽdũ eſſe, vt ſtatim intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur, ſapienter pręcepit Plato in Phædro. Natura enim cõparatum eſſe videtur, vt vnumquodq; tunc ſcire putemus, cùm eius, de qua agitur, materiæ eſſentiam ab initio cognoſcimus. Quæ quoniam, Philoſopho affirmante 6. Topic. 2. & 8. nulla abs re magis, quàm ex definitione comprehendi poteſt, quippe quæ oratio eſt, referente Galeno in Medic. defin. id, de quo loquimur, breuiſsimè explicans, idcircò ego priuſquàm ad Epileptici affectus hiſtoriam enarrandam aggrediar, eiuſdemmet eſſentiam in prioribus Lectionibus per definitionem patefaciendam ſuſcepi. Sed quoniam duplicem ſtatuire Logice definitionem 1. Poſt. 2. quarum alteram, quam nominalem vocant, alteri, quæ eſſentialis appellatur, pręmittere conſueuerunt, propterea Logicorum conſuetudinem ſequutus, Lectiones noſtras à nominali Epilepſiæ definitione inchoare decreui. Verùm antea refellenda omninò eſt hoc in loco Medicorum quorundam obiectio, ne dicam inſcitia, qui nominum conſiderationem haud proficuam nobis eſſe contendunt, qua in re Galenũ ipſum ducem ſe habere iactant. Nam ex ſententia Platonis, ſapientia, ac doctrina abundantiores ad ſenectutem eos peruenire ſcribit

bit 4. de Vſu part. 13. qui nomina negligentes rebus eſſentialibus ſeſe addicunt. Quibus ego reſponſum velim, nominum cognitionem eſſe Medicis perquàm neceſſariam, nedum vtilem, atq; proficuam. Siquidem, Ariſt. teſte Elench. lib. 1. qui nominum vires ignorant, & ſe ipſos ſæpenumero, & alios quoque fallunt. Vnde à Galeno proditum legitur. 1. de Diff. pul. occupatio circa nomina eſt inuitis nobis neceſſaria. Quòd verò Galenus ipſe eos Medicos redarguat, qui nomina curant, intelligendum de ijs eſt, qui litem de nominibus gerendo, totam vitam inutiliter conterunt, qui propterea ad artis finem peruenire nunquam poſſunt, de quibus alibi ſermonem fecit, de Diff. Sympt. 1. Quærenda enim eatenus nomina ſunt, quatenus in rerum nos perducunt agnitionem. Quare non eſt, quod me veſtrûm quiſpiam arguat, dùm in multiplici Epileptici affectus nomenclatura paulifper immoror. Ita ſiquidem ſpero fore, vt morbo illo in quid nominis cognito, eundem in quid rei cognoſcere facilius valeamus. Inter ægritudines ergo Galenus 2. Meth. 2. & eũ ſequutus Auicen. 2. primi 8. tradũt alias denominari à locis, in quibus fiunt, vt arthritis, ab articulorum vitio, & pleuritis, à laterum compunctione; alias à ſymptomatibus, vt Epilepſia, & à neruorum reſolutione paralyſis; alias à læſa actione, vt ſi ablatè ſyncopes, ac apoplexia fortis, vt lypothimia, ſi diminutè, vt tremor, & ſingultus, ſi deprauatè, alias ab exeunte mutato nomen ſortiri, vt ſanguinis ſputum, alias à qualitate mutata, vt icteritia; alias ab eſternorum ſimilitudine, vt polypus, ac elephantiaſis, alias demùm nominari ſcribunt ab ipſa, ex qua pendẽt materia, vt melancholia, & cholera, vt viſum tamen eſt à Gnido Medicis, à ſola bile ſeu cholera affectum cholericũ fieri exiſtimãtibus. Omnes morbos igitur, qui humano corpori accidunt, ab aliquo dictorum modorum nomen deſumere oportet, ſi Gal. & Auic. credimus; Quanquam non me latet morbum aliquem multis, ac varijs nominibus appellari poſſe, quæ nonità aptè iam expoſitis modis adaptari poſſint, quod ſanè Epilepſiæ nomenclaturæ contingere video; Sed hæc leuiora omittamus. Appellant ergo hunc affectum communiter Græci omnes Epilepſiam, Hippocr. ſacrum, magnum, & puerilem morbum, necnon etiam Herculeum, Lucretius primum morbum, Apuleius diuinum, Celſus maiorem, Auicen.

Matrem

Matrem puerorum, Cælius lunarem, Ariſtoteles Ecſtaſim puerilē, Plinius ſonticum, Plautus qui inſpuitur; Marcellus caducum, Latini omnes comitialem. Quorum nominum cauſam diligenter examinare oportet. Epilepſia dicitur ægritudo hæc à ſymptomate: hoc etenim nomen haud aliter ſignificare videtur, quàm motus, & ſenſus correptionem, quod eſt ſymptoma ſic dictum ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quia ſcilicet multi è veteribus crederent Epilepticos ab aliquo Dæmone corripi, qua correptione deinceps quaterentur. Sed hæc ratio mihi non probatur, qui certò ſcio affectionis huiuſce cauſam naturalem eſſe, nec à Dæmone aliquo inuehi, vt multis adhùc hodie perſuaſum eſt. Vnde vnà cum Alexandro Tralliano, & è recentioribus Manardo, Montuo, atq; alijs non paucis Epilepſiæ nomen ductum puto ab ἐπὶ ſuprà, & λῆψις læſio, ſiue, vt cenſet Aurelianus, ſupracaptio, quòd videlicet capitis ſenſum, ac mentem ſimul apprehendat. Hoc enim morbi genere affecti rerum omnium obliuiſcuntur, ſenſusq; illorum detinentur; vt neque audire, aut videre, aut intelligere prorſus, aut rei alicuius meminiſſe poſſint. Sacer verò morbus quamobrem vocetur ab Hippocrate, non vna fuit Medicorum ſententia. Fuere enim, qui exiſtimarint ità quidem dici hoc malum, quòd ob iram quandā Deorum hominibus immiſſum fuerit, veluti & alia permulta, quorum cauſam in diuinam iram referebant. Quam ſententiam confirmās Celſus lib. 1. tradit vel auctore Homero diſci poſſe morbos ad irā Deorum immortalium relatos eſſe. Alij verò ſacrum hūc affectum dictum aſſeuerant, ideſt magnum, Græcorum conſuetudine, quibus ieron non modò ſacrum, verùm etiam magnum, & grande ſignificat, ſic enim ſacrum mare dictum, ſacra domus, & ſacra nox à Tragico Poeta apud Aurelianum lib. 1. c. 4. Sic denique Medici os ſacrum ob magnitudinem appellant, & hac ipſa de cauſa Hippocr. magnum morbū vocauit Epilepſiam dicens à quartana correptos magno morbo nō laborare 6. Epid. 9. & Celſus maiorē eiuſdē paſsionis magnitudinis gratia. Ariſtoteles verò innuit morbum Epilepticum ſacrum iccircò à priſcis nuncupatum, quòd eo Hercules, qui inter ſacra numina colebatur, laborauit. At ego dicerem hanc denominationem ſumpſiſſe potius à loco, in quo fit, nimirum à capite. Nam & ſi à ventriculo, alijſque partibus ali-

quan-

quando, vt audietis inferius, hic affectus per conſenſum in caput procedat, capitis tamen morbus eſt, docente hoc Gal.3. de Loc. aff.c.8.vbi habet, quod licet caput per alterius partis conſenſum afficiatur, affectio nihilominus capiti adſcribenda eſt. Sed hac ratione, & apoplexia, & alij conſimiles cerebri affectus ſacri nuncupari poſſe videntur, cum & hi in capite fiant. Caput enim partis animæ ſacrum templum eſt, quod veteres propterea ſummo cultu proſequebantur, ac adorabant, vt notat Ariſt. ſect. probl. 33. prob. 9. qui eadem de cauſa alibi dixit, ſternutamentum vnum eſſe ex omnibus omnium ſpirituum generibus ſanctum, atque ſacrum. Ideò Athenæus lib.2. de Cęnis ſophiſtarum, quod ſacrum, ait, exiſtimaretur caput, vel ex hac re manifeſtum eſſe arbitror, quod per ipſum iurabant, ac ſternutationibus ab eo factis, tanquam ſacris genua flectebant. Nec immeritò ſanè tanto cultu veteres caput ipſum venerabantur. Eſt enim præcipuum humani corporis membrum, & rationis ſedes, à Platone propterea in Timæo diuiniſsimum appellatum. Sic etiam diuinum morbum vocat Epilepſiam Apuleius, eò quod diuinam, hoc eſt rationalem animi partem, quæ reſidet in capite, violet; cuius ſententiæ fuit Alexander Trallianus: toto verò, vt inquiunt, cælo aberrant, qui diuinum idcircò dictum cogitant, quòd naturam, cauſamq; diuinam habeat, cum tamen ex eadem materia fiat, quam & reliqui morbi poſsident, vt abundè inferius demonſtrabitur. Puerilis Hippocr. alijsq; dicitur hic morbus, vt etiam Lucretio primus morbus, quòd puerilem, & primam ætatem maximè occupet. Hinc Ariſtoteles quærens quãobrem inter animantes homini potiſsimum oculi deprauentur, ita loquitur: An quòd homo vel ſolus, vel maximè morbo capitur comitiali in puerili ætate? Communiter enim hæc paſsio frequens eſt in pueris, eoſq; adhuc paruulos infeſtat, vt ait Paulus, verùm eo tempore magis, quo dentium ortus apparet. In ſumma adeò familiaris eſt hæc affectio pueris, vt ipſis, vel in vtero adhuc exiſtentibus, nedum in lucem editis ſæpiſsimè oboriatur, eoſq; prius non relinquat, quàm humidiorem illam, imbecillioremq; ætatem cũ ſicciori, ac validiori permutarint. Herculeũ verò morbum cùm Hippocrates, tùm alij quoque Epilepſiam vocant, aut quia affectum hunc paſſus Hercules fuerit, aut quia, vt ille inuictus, ità

hic

hic nulla Medicorum ope ſuperetur, vbi ætatem acquiſierit, altiuſque ſuas radices egerit, quod quidem videtur magis cum Galeni ſententia conuenire 6.Epid. Refert enim à quibuſdam Herculei nomen inditum iccircò fuiſſe comitiali morbo, vt eius magnitudinem ſignificarent; non propterea quòd eum paſſus Hercules fuit. E veterum tamen monumentis conſtat Herculē ab hoc morbi genere fuiſſe vexatum, ab eodemque, vt nonnullis placet, coturnicis ope liberatum; vnde verſus

Fortem Coturnix ſoſpitauit Herculem

Cur verò ab Auicenna mater puerorum Epilepſia dicatur, fateor equidem me vnà cum Leonardo IachinoCom.in 9.Rhaſis ad Almanſ.ignorare,niſi fortè pro matre nouercā innuere nobis voluerit. Lunarē præterea morbum Epilepſiā cum Cęlio cæteri Medici appellant, vel quia Lunæ circumactionem ſequatur,vel quia huic affectui maximè omnium obnoxij fiant, qui Lunæ coniunctione ſiue interlunio concipiuntur, aut eduntur, Vnde Serenus

Dubiæ per tempora Lunæ
Conceptum talis ſæpe ruina profudit

Verùm de Lunæ facultate in Epileptico gignendo morbo diffuſe agetur in ſequentibus. Ecſtaſis dicitur hæc paſsio ab Ariſtotele, Sect.probl.30.probl.1. quòd in ea non ſecus,ac in ipſa Ecſtaſi mētis alienatio fiat. Plinius lib.36.c.19.Sontici nomine cōplexus eſt comitialem morbum.Nam de gagate lapide ſcribens ità loquitur. Deprehendit Sonticū morbū.Sontici morbi meminere 12.Tabulæ hiſce verbis. Si Iudex vel litigator morbo ſontico impediator dies Iudicij diffiſus eſto. Quid verò ſignificetur hoc nomine docuit nos Venuleius,l.vlt.de Aedil.Edic.l.60.de re Iud.vbi de Caſſij Iuriſconſulti ſententia tradit Sonticum morbum vocari qui noceat. Sed Iulianus Sonticum morbum exponit, qui cuique rei agendæ impedimento eſt. A Plauto dicitur Epilepſia morbus qui inſpuitur,dùm canit; & illic iſti morbus qui inſpuitur venit. Quibus verbis quid ſibi voluerit Plautus docemur à Plinio lib.10. cap.23. qui ſcribit morbum hunc ab hominibus deſpui ſuetum perinde ac ſi contagione ipſos inuaſurus eſſet. Fuit ſiquidem olim conſuetudo, quæ & adhuc hodie viget apud vulgares homines,& mulierculas, vt ſi quid execrandum vel audirent, vel inſpicerent,

quod ſibi euenire nollent, in terram deſpuerent, veluti abhominã-tes; perſuaſerant enim ſibi ſuperſtitioſi veteres, deſputationem eſſe remedium non leue aduerſus ingruentia mala, & præſertim aduerſus comitialem morbum; qua ſuperſtitione etiam contra faſcinum ter in ſinum expuere ſolebant, vt in quodam meo de Inuidia & Faſcino libello Lucæ olim in media adoleſcentia edito oſtendi. Caducum vocat morbum Epilepſiam Marcellus Medicus, quoniam vt ab Auerroe proditum legitur 4. Coll. cap. vlt. Epilepſia eſt ægritudo quæ facit cadere in terram patientem. Poſtremò Comitialis dictus eſt hic affectus, quia ſi quis in comitijs Epilepſia corriperetur, dirimebantur comitia, non quòd, vt Duretus autumat, in concionibus maximè eluceſceret, eaque facilè prehendantur homines, propter metum, quo ſolent potiſsimùm teneri cùm in concionem prodeunt aliquid dicturi; Et ſi pręmetu poſſe hunc affectum excitari non negabo. Ideò enim filius Mathęi de Graddis infans adhuc repētino tubarum clangore territus in Epilepſiam incidit, referente patre Comm. 10. ad Almanſ. Rectius itaque Serenus Medicus, ac vates vnà ſapientiſsimus Comitialis ethymon nobis traditum ad hũc modum reliquit.

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſat;
Sæpè etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Heraclitus apud Laertiũ Epilepſiã vocat opinionẽ, cuius rei cauſã affert Mercurialis in Patauinis prælectionibus c. de Epilepſia. Hæc omnia ſunt prudentiſsimi Viri, ſtudioſiq; Iuuenes, quę circa variã, multiplicemq; morbi comitialis nomenclationem examinanda ſeſe mihi obtulere. Quamobrem vt ad ipſius naturam me ipſum quamprimum accingam, nominibus hic finem impono.

Definitio quid rei. *Lect.* *II.*

DE ſingulis Epilepſiæ nominibus, Auditores, vberius fortaſſe quàm oportuit, in ſuperiori Lectione ſermonem feci, nunc operæpretium eſt, vt ad eiuſdem affectionis eſſentialem definitionem conuertatur oratio. Quamobrem hoc ego pacto illam definirem. Epilepſia eſt ſymptoma, in quo princeps functio aufertur, ſenſus, motuſq; ar-

arbitrarij amittuntur, cum omnium partium deprauata motione, non continua, ex cerebri ventriculorum occluſione. Declaro. Hanc ipſam affectionem in ſymptomatum genus eſſe cooptãdam, nemo erit qui liberè non fateatur. Nã quidquid eſt læſioni actionibus, illud Galeno ſymptoma dicitur 12. Met. 1. & 2. de Symp. cauſ. cap. 1. Vnde Epilepſia, in qua actiones hæ, quæ à voluntatis iuſſu dependent, tantoperè afficiuntur, iure merito ſymptoma nuncupata eſt. Præterea ſi ea vocantur ſymptomata, quæ morbos velut vmbra corpus inſequuntur, vt habetur apud Galenum de Differ. Symp. c. 1. & Epilepſia morbum in via, videlicet occluſionem ventriculorũ cerebri ſequitur, hac etiã de cauſa ſymptoma nõ temerè vocabitur. Qua tamẽ in re ſciendum vobis eſt, me parum curare, an quis pręſens pathema, vel ſymptoma, vel affectionẽ, vel morbũ, vel deniq; quomodo voluerit, nuncuparit. Talia.n. à Sophiſtis peragũtur, quæ ne minimũ quidẽ vtilitatis ad curãdi rationẽ afferũt, ſed Logicę tantum quæſtiones ſunt, quæ nihil ad Medicinæ opera conducunt, quemadmodum nos probè docuit Galenus 1. de Loc. aff. 1. Deſinant ergo mirari, qui in Lectionum progreſſu Epilepſiam à me, modò vno, modò altero nomine appellari audiẽt. Eſto igitur ſymptoma præſens ægritudo, cuius ſubiectum, ſiue partem, in qua fit, cerebrum eſſe manifeſtè conſtat ex principum facultatum, & ſenſuum etiam exteriorum læſione, quorum omnium cum fons, & origo cerebrum ſit, veluti pro ſuppoſito axiomate habetur apud omnes Medicos, & in comitiali inuaſione oblædantur, propterea nõ immeritò ſtatutum eſt cerebrum partem eſſe, in qua huiuſcemodi paſsio generatur. Nulla enim, auctore Galeno 1. de Loc. aff. 2. actio læditur, niſi pars, quæ illã efficit vnà etiã lædatur. Nec obſtat quòd aliquando à ventriculo, alijſq; partibus eam prouenire dicimus; ſemper.n. in Epileptico caſu à quacunq; parte ortum habeat, cerebrum neceſſariò affici oportet: alioqui ſæua illa, & horribilia ſymptomata, quæ in comitialibus quotidie cernũtur, nunquam profectò fierent. Hactenus de genere, & ſubiecto Epilepſiæ. Supereſt modò, vt reliquas definitionis partes expendam. Principem animæ functionem nimirum rationem, atque memoriã auferri dictum eſt, ad differentiam ſpaſmi, ſiue conuulſionis, qua correpti talem noxam non incurrunt. Quod verò in Epileptico

ſymptomate nobiles illæ animæ facultates amittantur, ex eo ſatis ſuperq; arguitur, quòd ne conſequi poſſunt, quæ antea fuerint dicta. Siquidem, vt Galenus ait 3. de Loc. aff. cum memoriæ viribus ratio pariter afficitur. Additum eſt cum amiſsione arbitrarij, ſeu voluntarij motus, quoniam hic motus fit quidē muſculis ad propria capita reuulſis, qualis etiam ipſis præter naturam motus eſt, ſed animali ciente, ac impellente virtute, quę quoniam in Epileptico morbo affectis pr̨ę ventriculorum occluſione intercipitur, quominus in motus inſtrumenta deferri poſsit, neceſſe omnino eſt, vt motus amittatur voluntarius. Quam rem probo etiam tali ratione. In Epilepſia amittitur ſenſus, ergo multò magis & motus. Nam ad patiēdū minor multò, quàm ad agendum virtus poſtulatur, ſenſus enim vt paſsio, motus verò vt actio ſe habet. Quod ſi legeritis vos ſenſu deperdito, aliquando motum ſeruari, id non efficit, vt maiori facultate influente motus non egeat. Siquidem illud euenit duplici de cauſa, aut obſtructis neruis, qui ad cutim texendam veniunt, & non ijs pariter obſtructis, qui muſculos peruadunt, aut cute ipſa ſtupefacta, ſtuporeq; ad profundiores muſculos nō pertingente, ita vt cum dicitur ſeruari motum amiſſo ſenſu, intelligendum ſit non de vna præcipua, ſignataq; parte, ſed membro aliquo, vt brachio, crure, quæ varijs conſtant partibus. Alioqui enim nunquam videas brachij, aut cruris aliquem muſculum moueri, qui idem non ſentiat. Verùm ne à re noſtra diſcedam, qui animalem virtutem ad motum epilepticum edendum influere contendunt, ſecus rem dijudicant, nimirum ſenſus omnes hoc in morbo deperdi, nō quidem ob defectum ſpirituum animalium; ſed quia ijdem ſpiritus perturbantur ità, & agitantur, vt rerum ſpecies recipere nequeant, quorum hominum ſententia mihi certè non probatur. Nam ſi ſpiritus quoquo pacto influerent, licet agitati, atque commoti, ſenſus in Epilepſia deprauatè ſaltem operarentur, non abolerentur penitus. Quòd enim ſenſus hoc in ſymptomate omninò amittantur, clarius eſt, quàm vt demonſtrari debeat. Nam qui eo concidunt, neque audiunt, neque vident, neque in ſumma vllo ſenſu quidquam percipiunt. Deprauatum autem, & vitioſum motum Epilepticos concomitari ſenſus ipſe demonſtrat, licet in aliquibus maior, in alijs minor pro vario modo generationis

tionis Epilepſiæ, varijſq; eiuſdem cauſis conſpiciatur. Datur enim leuior, imò ſpuria comitialis affectio, in qua nec ſemper functio princeps, nec ſenſus, motuſq; voluntarius auferuntur, & in qua demum vniuerſalis partium conuulſio, iactatioq; non apparet. Ego verò de legitimè facta potiſsimùm definitionem intelligi velim, quam tùm alia, tùm deprauata motio tàm cerebri, quàm vniuerſi etiam ferè corporis inſequitur. Per talem autem motionem non modò conuulſionem propriè dictam, ſed etiam conuulſiuum motum accipere oportet. Vterq; enim motus à legitima, veraq: Epilepſia vix ſeiungi videtur: quæ cauſa fuit, vt Galenus 3. de Loc. aff. 7. & poſt eum Paulus lib. 3. c. 13. & Haliabbas 9. Theor. Epilepſiã eſſe conuulſionem aſſeruerint. Vbi per conuulſionem non ſolùm conuulſionem ipſam, verùm quoque conuulſiuum motum intelligunt, quamuis Capiuaccius autumet Galenum quaſi aliud agentem hanc ægritudinem conuulſionem appellaſſe, & Pereda ad Paſchaſij Met. cur. Schol. cap. de Epil. per conuulſionem motum conuulſiuum tantummodo exponat. Conuulſionem enim in Epilepticis membrorum in propriam radicem contractio, motum conuulſiuum eorundem concuſsio, iactatioq; propallat. Quod verò non continua ſit comitialis conuulſio, inde fit, vt ab alijs conuulſionum generibus diſcrepet, nimirum emproſthotono, opiſthotono, atque tetano, ideſt neruorum rigore, in quibus perpetuò non interpolatè conuulſionem fieri contingit, à quibus etiam non hoc ſolùm nomine differens eſt, ſed mentis quoq; ſenſuumq; oblæſione. Tandem dixi ex cerebri ventriculorum occluſione, vt oſtẽderem cerebri ventres hoc in ſymptomate duplici modo obſtructionem pati, vno quidem propriè, altero verò impropriè. Propriè dicam ventres obſtrui, quando craſſus pituitæ ſuccus, aut melancholicus in ijſdem ventribus retinetur. Impropriè quando non ſubſtantia aliqua craſſa illos obturat, ſed qualitas quædam alteratis per continuitatem partibus afficit. Quare falluntur qui omnem Epilepſiam ab obſtructione fieri contendunt, niſi forſitan obſtructionis vocabulum lato modo accipiant. Occluduntur enim ſemper in omni genere Epilepſiæ cerebri ventriculi, ſed obſtruuntur ſi materia craſſa ſit, conniuent verò, ſi qualitas, aut materia aliqua exiſtat, quæ licet mole minima, facultate tamen maxima

 prædita

prædita ſit, pro qua expellenda contrahantur in ſeſe, atque conniueant, ex qua re membris facultate animali deſtitutis, comitiales in terram miſerè prolabuntur: ex quibus pariter manifeſtè cõſtat cerebrum hoc in morbo non vt ſimilare, ſed vt inſtrumentale oblædi, quemadmodum ex Hippocrate 6. Epidem. circa finem nos ipſos docuit Galenus 3. de Loc. aff. ſcribens quòd craſsi humores, qui in cerebri ſubſtantia abundant, interdum ei vt inſtrumentali, interdum vt ſimilari parti nocent. Cum enim meatus obſtruantur vt inſtrumentali, cum verò temperamentum alteratur, vt ſimilari.

In legitima Epilepſia veram ſemper conuulſionem fieri probatur. Lect. I I I.

ADVERSVS ea, quæ ſuperius de Comitiali conuulſione in medium protuli, accerrimè ſtare videtur vir noſtri æui celeberrimus Hieronymus Capiuaccius, qui ab Epilepſia legitimam conuulſionem excludit lib. 1. Pract. cap. 15. Quare ego, qui in omni, quæ ſpuria non ſit, Epileptica inuaſione, ſemper conuulſionem adeſſe arbitror, meam de hac re ſententiam rationibus, ac auctoritatibus comprobare, aliter verò ſtatuentium pro viribus refellere cogor. Inuehitur itaq; in Altimarum Capiuaccius, quod ex Galeno. Pauloq; ſcripſerit Epilepſiam conuulſionem eſſe, nulla, vt ait, ratione, ſed nuda Galeni auctoritate ſuperficiatenus intellecta confiſus. Hinc ipſe conatur probare hoc in affectu legitimam conuulſionem non reperiri, tali potiſsimum ratione. Omnis conuulſio aut inanitione fit, aut repletione, ſed Epileptica conuulſio nec inanitione fit, nec repletione, ergo conuulſio non eſt, de legitima loquendo. Ego infra num omnis vera conuulſio ex inanitione tantum, aut repletione proueniat, & ad quam ſpeciem Epileptica ſit referenda, ſermonem habebo, in præſenti verò illud ſolùm affirmabo, minorem propoſitionem ex ea parte reijciendam eſſe, qua comitialem conuulſionẽ repletione fieri negat. Quod enim ex inanitione fieri non poſsit, & nos cum eo conuenimus, cum Epilepſiæ tàm generatio, quàm

di-

diſcuſsio velox, ſubitaue ſit, quod in corporum diſcraſia contingere nullo modo poteſt. Diſcraſia enim cum ſenſim generetur, & non tota ſimul, morbum, qui confeſtim fiat, procreare nequit. Quòd autem conuulſio è repletione hoc in morbo non ſit, ad hũc modum oſtendit: Conuulſio è repletione eſt motus prauus, cuius cauſa eſt ſolùm morbifica materia, non facultas. At in Epilepſia etiam per eſſentiam facultas concurrit, qua de cauſa Galenus tradit cerebrũ in Epilepſia motu ſe ipſum quatere, vt noxia expellat 1. de Loc. aff. 7. Et alibi. 1. de Sympt. cauſ. vltimo refert in Epilepſia conuulſionem eſſe motum cerebri vitioſum. Vnde patet, ait, concurrere facultatem expultricem cerebri. Ergo. Ad hæc aliud argumentum affert, quo legitima conuulſio ab hoc affectu excluditur; nam, inquit, cõnuulſio Epileptica pertinet ad cerebrum, at ſecundum Galenum 5. Aph. Com. 1. conuulſio legitima fit vel inanitis, vel repletis corporibus neruoſis, à quibus motus voluntarius perficitur, vnde conſequens eſt cum cerebrum nec ſit neruoſum, nec motum voluntarium perficiat, ob id conuulſionis legitimæ ſubiectum eſſe non poſſe. Hæc ſunt argumenta, hæ rationes, quibus innititur vir vndequaq; doctiſsimus ad oſtendendum in Epilepſia legitimam non fieri conuulſionem. Quæ tamen omnia ſoluere difficile arbitror non erit, ſi quæ à me ſuperius in definitione præmiſſa ſunt, in memoriã reuocentur, nimirum in omni verè legitima Epilepſia ſemper conuulſionem, & motum conuulſiuum reperiri, illamq; ex membrorum contractione, hunc verò ex eorundem concuſsione, iactationeq; cognoſci. Qui quidem conuulſiuus motus ab irritata facultate illud à quo læditur, grauaturque propellere conante producitur, quemadmodum conuulſio ſolius morbi opus eſt, videlicet à materia tantũ morbifica neruis imbibita, Galeno auctore 2. de Symp. cauſ. c. 1. Quibus ita ſe habentibus prior Capiuaccij ratio corruit. Nã ad id quod obijcit, hoc in affectu etiã per eſſentiam haud eſſe legitimam conuulſionem, eò quia legitimæ conuulſionis è repletione cauſa eſt ſolùm materia morbifica abſque facultate, in Epilepſia verò facultatem concurrere, reſpondetur affectum hunc, ſi legitimè fiat (quod accidit cum cerebri vẽtres à materia craſſa vt pituitoſa, aut melancholica obſtruuntur, quæ vera Epilepſiæ generatio cæteris frequentior eſt) vnà ſecum

tàm conuulſionem, quàm motum conuulſiuum habere. Illam membra verſus radicem contracta nobis apertè oſtendunt, cuius origo, & cauſa pendet non ab irritata facultate; ſed ab eadem illa humidiori materia neruorum exortus irrigante, & conſequenter à morbifica ſolùm materia, ob quam nerui ſecundum eorum latitudinem augentur, ſecundum verò longitudinem imminuũtur. Hic autem ex concuſsiuo cunctarum partium motu patefit, qui generatur ex cerebri multifariam motione, dùm eiuſdem membri inſita expellens virtus ad rem infenſam à ſe longè propellendam inſurgit. Quamobrem in omni, quæ verè talis exiſtat, Epileptica exacerbatione, non modò facultas motum conuulſiuum, ſed etiam materia morbifica conuulſionem è repletione legitimam producens reperitur; quod apertiſsimè confeſſus eſt Galenus 5. Aph. 50. nec tandem Capiuaccius ipſe negat. Nõ eo tamen inficias in alijs Epilepſię ſpeciebus legitimam conuulſionem haud quaquam fieri, ſed tantummodo conuulſiuum motum à cerebri virtute, dùm rem paruæ quidem molis, ſed prauæ qualitatis expellere nititur, manifeſtè productum. Verùm huius generis comitiales caſus haud legitimè factos eſſe dixero. Quantùm verò ſpectat ad aliam viri celeberrimi rationem, qua cenſet idcircò in Epilepſia legitimam non eſſe conuulſionem, quòd illa ad cerebrum ſpectet, cum tamen legitima conuulſio fiat, vel inanitis, vel repletis neruoſis corporibus, quibus motus perficitur voluntarius, reſponderem ego Epilepſiã non fieri niſi neruorum principio ſecundum ventres oblæſo, ſed quoniam nerui etiam ab eadem illa cauſa afficiuntur, à qua cerebrum primò læditur, iure aliquis dicet, neque hoc nomine legitimam conuulſionem ab Epilepſia excludi oportere, cum Epileptica pariter conuulſio ad neruos pertineat, nam ab eadem humida irrigantur materia, à qua ipſorum obſtruitur principium. Quam quidem rem ſic prorſus ſe habere, ac ego protuli, clariſsimè docet Auicenna, qui cauſam, ni fallor, tàm conuulſionis, quàm motus conuulſiui eorum, qui comitialiter prolabuntur, inquirens, ad hunc modum loquitur Fen. 1. ter. tract. 5. cap. 8. Spaſmi autem deſcendentis ad membra, quibus aſsociatur Epilepſia, cauſa eſt, quoniam materia, quæ peruenit ad cerebrum, aut nocumentum quod ipſum comitatur, comitatur neruos etiam. Quare eſt ipſorũ

diſpo-

diſpoſitio, diſpoſitio eius, & illud eſt propter tres cauſas, quia ſcilicet nerui ſequuntur ſubſtantiam cerebri, & læduntur ab eo, quo ipſum læditur, & eorum repletio ex humore expulſo ad ipſos in principio ipſorum, quare augumentatur eorum latitudo, & abbreuiatur eorum longitudo. Poſſet inſuper quiſpiam ad noſtram definitionem impugnandam illud etiam obijcere; omni definitioni illud potiſſimùm neceſſarium eſt, vt definientia ſint definito eſſentialia, ſed deprauatus ille motus non eſt de Epilepſiæ eſſentia; nam haud ſemper in ea perdurat, ergo in eius definitione minimè inſeri debuit, quia ſi motus ille non adeſt, tunc neq; Epilepſia, quod à veritate abeſt. Præterea Celſus de comitialibus per hæc verba ſcripſit lib. 3. cap. 23. Modò cum diſtenſione neruorum, aut membrorum prolabitur aliquis, modò ſine illa. Quæ verba Epilepticos interdum abſque conuulſione prolabi innuere videntur. Ideò multò minus in Epilepſiæ definitionẽ introduci debuit. Dubitationi obuiam irem hoc pacto, verum quidem eſſe quod in hoc ſymptomate deprauata illa motio perpetua non eſt, attamen tàm conuulſionem, quàm motum conuulſiuum in Epilepſiæ eſſentia comprehendimus, quoniam abſque his verè comitialis affectus non gignitur. Quare Galenus ob tales motus Epilepſiam ab apoplexia differre non vno in loco ſcripſit. Si enim (inquit de Sympt. diff. 3. de Sympt. cauſ. 2. lib. & cap.) non modò totum corpus conuellitur, ſed principes quoq; functiones detinentur, hoc ſymptoma comitialis morbus appellatur, veluti apoplexia, qua ſimul & totum corpus reſoluitur, & principes occupantur functiones. Quò etiam mentis aciem Galenus direxit cùm apoplexiam alto ſomno, Epilepſiam vigiliæ comparauit lib. 1. de Sympt. cauſ. cap. 8. Celſi verò auctoritati in oppoſitum allatæ ſatisfacerem dicens, eius verba hoc ſenſu accipienda eſſe, vt de non legitimè facta Epilepſia intelligenda ſint. Nam & ego ſupra non ſemper in comitialibus motus illos fieri affirmaui, ſed ſolùm in his, qui talem morbum legitimè incurrunt, de quibus ſermo non fit à Cornelio, aliter rem ſenſui contrariam traderet. Vt hic verò, ità etiam intelligendus Auicenna cum ſcripſit capite de Epilepſia. Multoties fit Epilepſia abſq; ſpaſmo ſenſato. Sed hæc dicta ſint ſatis pro Lectione hodierna, reliqua ad hanc rẽ ſpectãtia in ſubſequẽti proſequar.

Vt in Epilepſia per eſſentiam legitima conuulſio, motuſq; conuulſiuus, ità in eadem per conſenſum motus ſolùm conuulſiuus reperitur. Lect. IV.

QVOD in legitimè facta Epilepſia, ornatiſsimi Adoleſcentes, legitima etiam adſit conuulſio, iam ſatis ſuperq; probaui. Sed quoniam variæ ſunt conuulſionis ſpecies, iuxta Neotericorum ſententiam, qui conuulſiuum motum vnà cum ipſa conuulſione confundunt, diligenter indagandum eſt, ſub qua nam recenſenda ſit comitialis, & an ea re vera conuulſio ſit, quæ cerebro à ſubiectis partibus impertitur. Omnis igitur conuulſio ex Hipp. 6. Aph. 39. aut inanitione fit, aut repletione, veluti ſingultus; Inanitione fit conuulſio, omnibus neruoſis corporibus, quæ ſunt nerui, ligamenta, muſculi, tendones, violentius exiccatis. Repletione iiſdem neruoſis partibus nimio, ac ſuperfluo humore imbutis, vt exemplo fidium multis in locis ſcriptum reliquit Galenus; quibus addunt aliam conuulſionem, quæ neq; inanitione fit, neq; repletione, ſed per conſenſum à re aliqua facultatem irritante, cuius mentionem facit ipſe Galenus dicens 12. Met. vlt. nam plerùmq; conuulſio vel ex repletione neruoſarum partium incidit (qua ratione eos, quos magna phlegmones premit, adoritur) vel ex mordenti, ac tenui humore, qui neruoſa corpora rodat, vel ex ingenti frigore, quòd tale quidpiam, quale gelu, efficiat. Hanc ferunt eam eſſe conuulſionem, quam Auicenna ſub nomine ſpaſmi non proportionati ad materiam ſignificare voluit, dùm ſic loquitur lib. 3. Fen. 2. c. 5. Et quandoq; fit ſpaſmus, qui ad materiam non proportionatur, eueniens cauſa rei nocentis, à qua nerui fugiunt, & congregantur ad expellendum ipſam. Quæ cum ita ſint, diligenter quærunt cuius ſpeciei ſit comitialis conuulſio. Clarum eſt ex ſuperius prælibatis, ſi de eſſentiali Epilepſia loquamur, non ad illam conuulſionis ſpeciem referendam eſſe, quæ ex inanitione ortum habet, quoniam hæc prorſus ab Epilepſia excluditur, cum nec ſubitò fieri, nec ſubitò ſolui poſsit; neq; enim cerebrum, aut eius membrana

tenuior

tenuior ad tantam ariditatem tàm breui tempore peruenire poteſt, vt corio ſimilis euadat. Propterea Galenus Epilepſiæ, ac apoplexiæ ſubitaneam eſſe tàm generationem, quàm diſcuſsionem ſcribit 2. de Cauſ. ſympt. vlt. quod in corporum diſcraſia contingere nullo modo poteſt. Quam Galeni ſententiam in hunc ſyllogiſmum aliqui deducunt. Conuulſio quæ citò fit, & citò deſinit, ex inanitione prouenire nequit, ſed Epileptica conuulſio citò fit, & citò deſinit, ergo non eſt ex inanitione. Statuunt igitur, & rectè cum Galeno, ac Auicenna ipſo, conuulſionem, quæ aſſociatur Epilepſiæ, fieri ex repletione, quod tamen de legitima Epilepſia intelligendum eſt. Quæ namque in alijs huius morbi generibus fit deprauata motio, impropriè conuulſio vocatur. Eſt enim potius conuulſiuus motus, qui ex re aliqua nocente, ad materiam, vt dicunt Arabes, non proportionata ortum habet. Neq;enim eo tempore cerebri ventriculi ab aliqua materia obſtruuntur, neq; vlla neruorum repletio percipitur. Siquidem cerebro in comitiali hoc motu non ſecus accidit, ac ventriculo à re quapiam pręter naturam, & prauæ qualitatis, ceu ferruginea bilis, moleſtato euenire ſolet. Tunc etenim ſingultum patitur, expellente natura id, quod alienum à ſe eſt. Ità igitur cerebrum Epilepſiam incurrit, cum aliquid a parte primùm affecta ad ipſum fertur, quod licet mole minima, facultate tamen maxima præditum exiſtit. Pro quo quidem expellendo mox cerebrum inſurgit ſe ipſum multifariam mouens, veluti contra pugnans, vnde patet in Epilepſia conſortij lege facta, motum fieri à materia non offarciente ventres, ſed ad rei nocuæ expulſionem virtutem irritante. Erit ergo motus conuulſiuus, non conuulſio propriè dicta. Deſinat hinc mirari Altimarus quod Hipp. exarauit, conuulſionem fieri tantùm vel inanitione, vel repletione, nulla de huiuſmodi cauſa mentione facta. Quò reſpexit etiam Galenus 3. Catatop. 3. dùm in conuulſione tertiam cauſam ſe haud inueniſſe fatetur; licet in non multò antè adducto loco 12. Met. conuulſionis mentionem fecerit, quæ ab humore rodente, ac mordicante gignitur. Cuius contradictionis ſolutio ex eo forſitan pendet, quòd ipſe Galenus vnà cum Hipp. cenſet conuulſionem, quæ verè ſit conuulſio, repletione tantùm, aut inanitione fieri, conuulſionem autem alia ex cauſa

ortam,

ortam, talem propriè non eſſe, ſed motum quendam potius conuulſiuum, vt de ſingultu prodidit idem Galenus 6. Aph. 39. qui ſingultus naturam exponens ad hunc modum ſcribit. Præſtiterit fortaſse non conuulſionem appellare, ſed motum quendam, qui ſit in eodem cum vomitu genere, ſed eo fortior, ac vehementior. Erit ergo in Epilepſia, quæ per eſsentiam fit, conuulſio verè, & legitimè talis, nimirum è repletione, in ea verò, quæ per conſenſum, non propriè conuulſio, ſed motus conuulſiuus tantum, à re prauæ qualitatis excitatus. Quod ſi quærat aliquis, qua ratione in legitima Epilepſia conuulſionem ex plenitudine fieri accidat, reſpondetur hanc ipſam inde fieri, quòd ab eodem illo humore, qui comitialibus in cerebro continetur, neruorum exortus irrigantur, ex qua re fit neruorum, membrorumq; contractio, quæ conuulſio dicitur. Quam rem ita ſe habere, vt ego retuli, præter Auicennam, docuit nos quoq; Galenus, dùm ſcripſit 6. Epid. vlt. Cauſa autem Epilepſiæ craſsus, & frigidus ſuccus eſt, congregatus quidem in ventriculis cerebri, comprehendens verò & explantationes videlicet neruorum, & maximè primum principium ſpinalis medullæ. Quare idem Galenus legitimam ex plenitudine conuulſionem in hoc affectionis genere reperiri clarè admodum demonſtrat 5. Aph. 70. hiſce verbis. Quæ propter euacuationem fit conuulſio acutiſsima eſt, ac pernicioſiſsima, quæ verò ob neruoſarum partium repletionem, qualis Epileptica eſt, neque acutiſsima, neque perinde periculoſa. Hactenus de conuulſione, motuq; conuulſiuo Epilepticorum.

Ex cerebri ventriculorum nempe medij, aut poſtremi occluſione Epilepſiam fieri oſtenditur. Lect. V.

IN Epilepſia, cuiuſcunq; ſit ſpeciei, cerebri ventres occludi oportere, tàm manifeſtum eſt ex Hippocratis, Galeniq; principijs, quàm quod manifeſtiſsimum. In Epidemijs enim ab Hipp. paſsim verò à Galeno, qui de omnibus prolixè admodum ratiocinatus eſt, memoriæ traditum legitur, cerebrum in comitiali morbo, non prout ſimilaris pars,

ſed

ſed vt inſtrumentaria, magnam hanc noxam pati. Hoc idem eſt, ac ſi dicerent cerebrum ſecundum ventres affectum eſſe, non autem ſecundum eius temperamentum, vt eidem in melancholico morbo contingit. Tunc enim temperamentum totius corporis cerebri immutatur, vt in Epilepſia pars tantùm illius membri inſigniter afficitur. Nam & corpus eius parum quodammodo lædi Galenus affirmat 4.de Loc. aff.2. Si quiſpiam verò quærat vndenam eliciatur cerebrum ſecundum ventriculos affici, reſpondetur ab actionum potiſsimùm motricum, ſenſibiliumq; læſione, quæ cum à ventriculis cerebri proficiſcantur, ventriculos affectos eſſe demonſtrant. Hinc ideò Galenus 2. de Sympt. cauſ. vlt. Inter carum, ait, ac apoplexiam morbus comitialis medius eſt. Verùm in caro, & Epilepſia ventres magis, & cerebri corpus minus, in apoplexia verò corpus magis affici ſolet. In quibus autem ventriculis cerebri hæc læſio fiat, nos apertè Galenus docuit 3.de Lo.aff.7.qui tradit craſſum pituitæ ſuccum, aut melancholicum comitialem morbum efficere, vbi in ventriculorum meatibus retineantur, ſiue is medius ſit, ſiue poſtremus. Quare ex his Galeni verbis medius, aut poſtremus ventriculus afficietur. Quam rem pariter probare poſſum ſi dicam, craſſo humore impediente ſpiritum animalem in cerebri ventribus contentum, quominus in alias partes expandi poſsit, Epilepſiam fieri Galenus affirmat: qui ſpiritus animalis, quo anima pro inſtrumento vtitur, cùm in ſenſibilibus actionibus, tùm in his, quæ à conſilio, & voluntate prodeunt obeundis, in cerebri ventriculis medio, maximeq; poſtremo, eodem referente Gal.8. de Vſu par. 10. continetur, iure igitur aſſeri à nobis poteſt, aliquem ex iam dictis ventriculis affectionem pati, non alios. Illud quidem verum eſt, cerebri anteriores ventres in hoc affectu non parum lædi, vnde Galenus 4. de Loc.aff. 2. In ſopore anterior pars magis, in apoplexia, & Epilepſia vtraq; afficitur. Quorum verborum vi Capiuaccius perperam autumat (quod tanti Medici pace dictum ſit) Galenum cùm ſcribit cerebri ventres in comitiali morbo affectionem pati, non minus anteriores, quàm medium, atq; poſtremum intelligere. Quam ſententiam ea fortaſsè de cauſa ſequutus eſt, vt oſtenderet Auicennam hac in re à Gal. ipſo non diſſentire, dùm obſtructione

ante-

anteriorum ventriculorum tale ſymptoma fieri cenſet. Cui opinioni adhæret quoq; Ioannes Riolanus vir emunctæ naris, cuius quidem iudicium quanti ſit faciendum, ſatis demonſtrant eiuſdem ad Fernelij libros Phyſiologicos,& de Abd. rer. cauſ. Commentaria. Quid dicam de Hollerio, ac Rondeletio de literaria, ac medica in primis republica benè meritis,qui in alia prorſus omnia euntes, ab obſtructione ventriculorum Epilepſiam fieri negant? Ab vtroq; enim illorum memoriæ proditum legitur lib. 1. de Morb. inter. c. de Epil. in Schol. in Met. curandi morbos cap. proprio, Epilepſiam non gigni obſtructione ſpirituum tranſitum impediente, quoniam, aiunt, ſi ſic foret, motum in vniuerſum prohiberi oporteret, aut ſaltem fieri minorem, quantitate ſpirituum, qui tranſeunt ad mouendas inferiores partes,non ſufficiente, cum tamen vehementius, quàm antea membra omnia moueantur. Ita vt hæc ſit amborum arguitio. Si fieret Epilepſia obſtructione ventriculorum, motus vel omninò ceſſaret, vel ſaltem minor fieret; Sed ſic eſt, quòd tantum abeſt, vt ceſſet, aut minor ſit, vt potius vehementior fiat, ergò obſtructione ventriculorum Epilepſia non fit. Pro ſolutione huiuſce dubitationis animaduertendum eſt, verum quidem eſſe de Galeni mente in Epilepſia haud integram fieri obſtructionem, quoniam ſi ſic eſſet, conuulſio non fieret, vt nec in caro, & apoplexia ipſa, quemadmodum nos probè Auicenna docuit; Sed nihilominus hoc in ſymptomate animalem virtutem ad motum efficiendum non influere, eamq; ſi aliqua ex parte influat, tantam non eſſe, quæ motum aliquem edere valeat, cum in ea prorſus amittatur ſenſus, qui multò minori facultate perficitur. Quod verò obijciunt Hollerius, ac Rondeletius de vehementiori motu, qui in epilepticis apparet, an non ſciunt motum illum non ex influente virtute animali, ſed à muſculis præter naturam contractis produci? dùm ſcilicet nerui, qui in muſculos inſeruntur, motum ſuimet principij, quod in Epilepſia, ad id quod morbificũ eſt expellendum, multifariam mouetur,inſequi coguntur; Locum verò Gal. 4. de Vſu par. quem afferunt ad probãdum, ſi aliqua fiat in Epileptico morbo obſtructio, eam eſſe in meatibus, qui in anterioribus cerebri ventriculis pituitam ad glandulam huic rei dicatam expurgant, non benè intelle-

tellexerunt, quod eorum pace dictum velim. Nam licet Galenus tradat comparatum à natura eſſe, vt per decliues cerebri meatus, tùm per palatum in os, tùm per corpus narium, orificijs magnis, atq; perſpicuis,pituitoſa cerebri excrementa expurgentur, ne animal frequenter Epilepſia, apoplexiaq; corripiatur, licet,inquam, hæc tradat Galenus, non propterea dicendum abſq; ventriculorum occluſione Epilepſiã fieri, nam ijs meatibus obſtructis comitialem morbum gigni vult, quatenus dùm cerebri excrementa per ductus, ac meatus illos non expurgantur, medio, aut poſtremo ventriculo impertiuntur, & hoc pacto Epilepſiam pariunt. Alioqui enim per ſe nunquam hoc ſymptoma producerent, quoniam etſi talis datur obſtructio à pituita in ipſis detenta, non propterea ſpiritus animalis ad principium ſpinalis medullæ tranſitus intercipitur; vt fieri conſtat occluſione medij,aut poſtremi, quam ſtatim ſequitur Epilepſia. Sed quoniam ex hac re non leuis oritur dubitatio, de illa in ſequenti Lectione agetur.

An motrix facultas ad motum epilepticum edendum concurrat. Lect. VI.

AB his, quæ in ſuperiori Lectione contra Hollerium, ac Rondeletium de motu epilepticorum, eo nimirum tempore, quo humi proſtrati hùc, illùcq; mẽbra iactant,diſſerui,non contemnẽda quæſtio inſurgit,an ſcilicet motrix etiam virtus vnà cum expultrice naturali ad motũ epilepticum concurrat, id quod in controuerſia poſitum eſſe adinuenio, cum alij non parũ conferre, alij cõtrà nihil ad hunc motũ edendũ motricem facere contendant. Vtræ nam tamen ſententiæ adhærendum ſit, ego liberè pronunciabo, ſed in primis vtriuſq;partis fundamenta, & rationes percipere oportet. Quamobrem qui affirmatiuã partẽ tuentur,inter quas eſt Hier. Mercur. lib. de Morb. puer. cap. de Epil. hac potiſsimum ratione vtuntur,quòd ſcilicet, veluti lectum eſt apud Galenum lib. de Motu muſcul.muſculi non mouentur, niſi à voluntaria facultate moueantur: Hæc enim inſtrumenta ad id ſunt à natura conſtituta, vt ſecundum voluntatis

impe-

imperium corpora noſtra moueant; Vnde cum in Epilepſia muſculi omnes moueantur, & eo ſanè pacto, quo ab ipſa voluntate mouentur, rationi conſentaneum eſt, vt ſi mouentur eo modo, quo corpora naturaliter moueri ſolent, à nulla alia facultate, quàm à mouente id ipſum fiat. Præterea confirmant hanc ſuam ſententiam alia Galeni auctoritate 2. Aph. 45. qui ponens differentiam inter Epilepſiã, ac apoplexiam, ſcribit in eo affectiones illas conuenire, quod eundem locum affectum, eandemq; materiam vtraq; ſimul paſsio obtinet, differre verò tantùm, quoniam in apoplexia perfecta eſt actionum facultas deperdita, in Epilepſia motus deprauatus ſcilicet facultatis. Id enim (inquiunt) vult phraſis Galeni, & ſic ab interprete translatum eſt, quaſi velit dicere, differre apoplexiam ab Epilepſia, quia facultas in illa nihil operatur, in hac deprauatè mouet. Ex altera parte ſunt quamplures Galeni auctoritates, quibus concludi poſſe videtur ad motum epilepticum edendum nil omninò motricem conferre. Primùm igitur docens diſcrepantiam inter apoplexiam, ac Epilepſiam verſantem, tradit in apoplexia motum deſinere prorſus, in Epilepſia motum quidem ſeruari, ſed præter voluntatem. Ponens verò differentiam inter motum voluntarium, ac conuulſionem 6. Aph. 39. ſcribit motum voluntarium eo ſanè pacto fieri, quo fit conuulſionis motus, ſed voluntarium à facultate ciente, conuulſionem autem ſine facultate ciente fieri. Idipſum ſimiliter ſentire videtur idem Galenus tùm lib. 3. de Loc. aff. cap. 6. tùm præſertim 2. de Sympt. cauſ. 1. dùm conuulſionem ſolius morbi opus eſſe ſcribit: Cui ſententiæ adhęrent Auicenna, & Auerroes 3. Coll. 41. innuentes hi omnes huiuſmodi conuulſionis motus à nulla alia vi effici poſſe, præterquàm ab expultrice facultate naturali. Controuerſiã hanc cupiens conciliare Hieronymus Mercurialis inter Medicos noſtri æui primarius, duplicem dari conuulſionem tradit, aliam cum motu manifeſto, aliam ſine motu manifeſto, cum motu manifeſto Epilipſia fit, quando ſcilicet principium motus eſt affectum, ſine motu euidenti, cum pars aliqua contrahitur inſenſibiliter, ob tumorem aliquem, aut inflammationem in muſculis obortam. Quæ verò cum motu manifeſto fit Epilepſia eſt, in qua, dùm membra iactantur, putat vir doctiſſimus vnà cum virtute expultrice om-

ce om-

ninò etiam operarì facultatem motricem. Ego autem cum Galeno ipſo, bonaq; Medicorum parte ad motum Epilepticum edendum nihil motricem conferre arbitror, ob occluſionem ventriculorum, e quibus actiones, tàm ſenſibilis, quàm motrix in alia corporis membra deſcendunt. Nec arduum profectò erit rationes, auctoritateſq; in contrarium allatas enucleare. Imprimis enim quod afferunt ex Galeno muſculos à natura conſtitutos eſſe, vt ſecundum voluntatis iuſſum corpus, mẽbraq; moueant, id non præſtat, quominus muſculi mouere vnquam poſſint, niſi animali ciente virtute, cum & in febrium rigoribus membra interdum violenter moueantur, concutianturque, dùm pro inſita facultate ad acrioris humoris expulſionem inſurgunt, nulla ad hoc faciendum delapſa è cerebro mouente. Galenus verò cùm dicit muſculos non niſi à facultate voluntaria moueri, de motu intelligit, qui ſecundum naturæ limites fit, naturali nempe; ad eum enim edendum neceſſariò vis animalis requiritur, cuius etiam motus gratia vniuerſum corpus muſculis natura cinxit. Hæc ratio igitur, ni potius velitis auctoritatem vocare, nequaquam in Epilepticis virtutem animalem motricem ad illorum motum efficiendum neceſſariò adeſſe oportere demonſtrat. Siquidem Epilepticorum motus non voluntatis iuſſu fit, ſed præter naturam omninò eſt, dùm muſculi cæterarum partium, quibus alligantur, motum inſequuntur. Nec obſtat quod vir Clariſs. addit, in Epilepſia muſculi mouentur eo pacto, quo à voluntate moueri ſolent, conſentaneum ergo eſt, à nulla alia facultate moueri, quàm à mouente, nam huic (ita vocant) inſtantiæ integrè ſatisfecit Gal. qui muſculos in conuulſione eòdem modo moueri, quo etiam naturaliter mouentur, ſcriptum reliquit; iiſdem nempe muſculis ad propria capita reuulſis, ſed non propterea aſſerendum eſt, ad motum conuulſionis animalem facultatem influere, vt in motu muſculorum ſecundum naturam accidit Hic enim abſque animali ciente, ac impellente virtute fieri non poteſt, conuulſio autem motus eſt inuoluntarius. Quantum ad aliam Gal. auctoritatem ex Aphoriſmorum Commentarijs deprõmptam, ego equidem non video; quidquid ſit de verſione interpretis, cur per eam à mea ſententia decedere debeam; non enim probari ex ea poteſt, Galenum ad Epilepticum motum efficiendum motricem

Q virtutem

virtutem vnà cum expultrice concurrere voluiſſe, quandoquidem tradit apoplexiam & Epilepſiam in eo conuenire, quòd eundem locum affectum, & eundem humorem habent mali auctorem, in eo verò differre, quòd apoplexia fit propter virtutis ad neruos affluentis plenam, conſummatamq; priuationem, Epilepſia ob motum vitioſum, atque peruerſum, nec addendum eſt eiuſdem facultatis, quaſi dicere velit in Epilepſia motricem virtutem mouere quidem membra cum expultrice, ſed deprauatè, quemadmodum in apoplexia abolitè. Non enim, puto, id voluit Galenus, ſi eius verba à germano ſenſu non diſtorqueātur. nam vult quod hi affectus in eo ad inuicē diſcrepēt, quòd apoplectici omni prorſus motu tàm voluntario, quàm qui præter naturam fit, deſtituuntur, ob omnimodam ſcilicet ventriculorum obſtructionem, cuius gratia fit, vt virtus inſita cerebri, quippe quæ materiei multitudine affatim obruitur, contra inſurgere nequeat; Epileptici verò licet volūtario motu careant, vitioſo tamen, ac peruerſo cientur, quòd in eis integra non eſt ventriculorum obſtructio, ſed, vt aiunt recentiores, ſemiobſtructio. Vnde aliquo pacto virtus expultrix contra rem infenſam inſurgere poteſt, quam dùm expellere conatur cerebrum, multifariam mouetur, cuius mēbri motum vitioſum nerui primùm, dein muſculi, tandem membra omnia inuitè ſequuntur. Sic ergò ab expultrice ſola facultate, abſq; vllo mouentis adminiculo, motus Epilepticus editur. Sed vt hæc melius intelligantur, diluenda quoque eſt obiectio, quæ ab aliquo ingenioſo hac in re obijci poſſet, nimirum iuxta quam partem cerebrum rem noxiam adoriatur, cum ex ſui natura ſenſu propè carere dicatur. Hic itaq; ſit huic Lectioni finis, & ad hanc dubitationem perſoluendam deſcendamus.

Qua ratione dicatur cerebrum tàm promptè aduerſus rē infenſam inſurgere, cum ex ſui natura ſenſu carere dicatur. Lect. VII.

VESTRVM aliquis fortaſſe mirabitur, quomodo à Gal. 3. de Loc. aff. 7. & à me ſæpius traditum ſit, cerebrum in comitiali morbo aduerſus rem noxiam tàm promptè inſurgere, cum ex ſui natura pars illa ſen-

ſenſus expers eſſe feratur. Quandoquidem veriſimile nō ſit membrum aliquod rei alicuius expulſionem moliri, quæ an ei amica, vel inimica ſit, vix ſentire valet. Huius generis eſſe cerebrum probare facilè poſſum. In primis namq; de cerebro diſſerens Ariſt. 2. de Par. Animal. 10. ſcribit illud non aliter, ac excrementum aliud quoduis ſenſu carere. Poſt quem Gal. cerebrum non vt ſit ſentiendi inſtrumentum, ſed vt ſenſuum inſtrumentis vim ſentiendi præſtet, à natura inſtitutum prodidit 1. de Sympt. cauſ. Hiſce auctoritatibus ratio quoque fauet. nam quæ ſentire pars debet, inter humidum, ac ſiccum ſymmetrum quid habeat oportet, vtriuſq; enim qualitatis exuberantia ſenſus imminuitur, ſed humida potiſsimū, vnde humida intemperies non niſi ex accidenti dolorem inferre creditur, humoris etenim copia vim ſentiendi hebetat, quæ contra in ſicco, quod limites non tranſcendat, acutior euadit. Cerebrum verò perquam humidum eſſe, ab eiuſdem mollicie, & copioſa, qua vndiq; ſcatet humiditate, deprehenditur, imò Ariſt. omnium noſtri corporis partium humidiſsimum ſtatuit. Hac ergò ratione etiam probabile fit, cerebrum ſenſu tactus omninò carere. Contrà tamē quiſpiam obijciet quod vulgo dici ſolet: nemo dat quæ non habet; quomodo igitur cerebrū cū ſit ſenſus expers, ſentiēdi principium Medicis erit? Pertritū eſt enim apud Logicos; illud eſſe magis tale per quod vnumquodq; tale. Præterea non ne Gal. lib. de Plenit. 5. literis exarauit cerebrum, & ſpinalem medullam inter ea cenſeri, quæ ſenſum obtinent? Inſuper cerebrum mouetur; ergo etiā ſentit. Hoc enim patet ex Gal. 1. de Sympt. cauſ. vbi habet nullam partē carere ſenſu, quæ mouetur. Cerebrum verò ſentire hac nota Rondeletius in Meth. cur. morbos ab initio, alijq; demonſtrant, quòd quibus inflictum vulnus eſt in capite, ij frigoris iniuriam ſentiunt, licet obtuſius propter partis humiditatem. Fernelius Ciceronianæ potius in dicendo elegantiæ, quàm Gal. doctrinæ imitator, ratus conſentaneum, non eſſe, cerebrum id alijs dare, quod ipſummet nō habet, motus dumtaxat, non item ſenſus auctorē cerebrum facit. Atqui cerebrum mouetur quidem, ſed non ſentit; meninges verò exquiſitiſsimè ſentiunt, nequaquam mouentur. Itaque concludit cerebrum per ſe cauſam eſſe motus, non ſenſus, piam & duram ma trem ſenſus, non motus. Sed ſi petam ego à Fenel. cerebrum quo

motu cietur? naturali profectò reſpondebit, verùm in eadem verſamur difficultate, quo pacto cerebrum det, quæ non habet; motus enim, quem alijs partibus communicat, animalis eſt, non naturalis. Igitur velit nolit cõcedet cerebrũ dare cęteris id, quo ipſum caret. Quare Galenum ſequutus tàm motus, quàm sẽſus initium à cerebri ſubſtantia manare dicam. Quod quidem ipſe Galenus confirmat manifeſto argumẽto 7. de Plac. Hipp. & Plat. quo Ferneliana ſentẽtia vndiq; cõuellitur, quòd nimirùm in neruis duplex ſubſtantia conſideratur, duplex tunica, & interior medulla. Tunicas accipiunt à tunicis cerebri, medullam à medulla. Atqui ſi membranas tãtum incideris intacta medulla, pars, in quam neruus inſeritur, nihilominus ſentiet, atque mouebitur. Si verò mox medullam diſcindas, vtroq; priuabitur. Ergo cerebrum erit vtriuſque efficiens cauſa; nam habitus priuatione dignoſcitur. Ardua res eſt cauſam adinuenire, cur cerebrum det ea, quæ non habet, quod in Sole pariter miramur, qui nòn calidus calfacit, & in cote, ad quam acuitur gladius, cum ſit exors ipſa ſecandi. Quare hanc ipſam difficultatem pro nunc alijs diſcutiendam relinquo. Sat eſt mihi cerebrum ſenſu per ſe omninò carere, quanquam ab eo ſenſifica vis in alia corporis membra dimanat. Nec obſtat, cerebrum mouetur, ergò ſentit. nam hac de cauſa cor etiam, pulmo, aliaq; viſcera, quæ motu cientur naturali, per ſe ſentirent, inculpandaque foret natura quæ in eadem viſcera per neruulos ſentiendi vim defert. Galenus verò cùm ſcribit partem, quæ mouetur, ſentire, de motu illo intelligit, qui à cerebro per delatoria inſtrumenta cæteris partibus communicatur, qui cum ex maiori ſpirituum copia fiat, quàm ſenſus, neceſſariò ſenſum includit. Maior enim vis includit minorem. Tandem ſi triſtis aliqua ſenſatio in cerebri corpore ab aliquibus perſentitur, hoc ego fieri dicam merito non medullaris ſubſtantiæ cerebri, quæ ſenſu omninò caret, ſed venularum, arteriarumq;, quibus circumtexitur. Verùm ad Epilepſiam reuertamur. Cum cerebri nomine aliquando ſola medulla deſignetur, aliquando vnà cum medulla partes coniunctæ, vtputa venæ, arterię, nerui, & duplex tunica tenuis, & craſſa, ſciendum à vobis eſt illud eatenus ſtatutum eſſe Epilepſiæ ſubiectũ, quatenus eſt ſuis partibus conueſtitum. Quarum quidem partium gratia fit, vt cere-

cerebrum exactum habeat ſenſum ad amica amplectenda, inimica expellenda. Quamobrem inquirendum modò eſt, quænam ſit ea cerebri pars, ratione cuius motum Epilepticum gigni contingit. Id quod à nemine adhuc, quod ipſe viderim, fuit explanatũ. Vidius Iunior vir ſanè doctiſsimus in ſua Praxi Med. c. de Epilep. huic puto ego difficultati ſatisfacere cupiens, cauſam, ob quam cerebrum hoc in affectu ad expulſionem rei nocentis tàm validè mouetur, aut in meninges, aut in exortus neruorum referendam eſſe cogitat. Ego verò in neutram partem; non in meninges, quoniam ſi de meningibus ſimpliciter illud intelligit, ſequeretur in omni Phrenitide, pſeudodelirio, & capitis etiam dolore comitialẽ caſum adeſſe, ſed conſequens eſt falſum, ergò & antecedens; non in neruorum exortus, quia licet principia neruorum irritentur vnà cum cerebro ipſo, non propterea dicendum cerebrum Epilepſiam pati, quoniam à neruis irritatis in conſenſum trahatur, nam ſecus ſe res habet: fit enim hæc paſsio dùm cerebri facultas ad rem infenſam expellendam mouetur, quem motum inſequuntur nerui etiam, quippe qui à cerebro ſpinali mediante medulla naſcuntur, nec non & alia ſubiecta membra omnia, quemadmodum Galenus, omneſq; Medici affirmant. Quibus de cauſis tanti viri iudicium hac in re mihi non vndique probatur. Si quis ergò dixerit irritamentum hoc ſecundum cerebri ſubſtantiam fieri, multò magis abſurda loquetur, quòd nullum, vel exilem, obtuſumq; habet ſenſum, pręterquàm quòd in Lethargo, & apoplexia ſemper Epilepſia adeſſet. Illud etiam mihi non arridet, ſi quiſpiam ſecundum ventriculos irritamentum in cerebro fieri contendet. Quandoquidem ventriculi dupliciter à nobis conſiderari poſſunt, aut ſecundum cauitates, aut ſecundum parietes. Si primo modo conſiderentur, non video quam vim expellendi habeat illorum cauitas, ſi ſecundo modo, cum ventriculorum parietes eiuſdem ſint cum cerebro ſubſtantiæ, eos quoque ſenſus expertes eſſe dicere par eſt. Quid igitur in hac dubitatione ſtatuendum? Ad Anatomicos, qui tactu rem dijudicant, confugiendum eſt, inter quos Archangelus lib. 1. Anat. Lect. & Columbus lib. 8. cap. 7. tradunt cerebri ventriculos membrana quadam tenui, ex tenuiore meninge ortum ducente; ſubcingi, quæ quidem ſenſu admodum exquiſito prædita eſt.

Quam rem hi Anatomici ab ipſo Medicinæ fonte hauſiſſe videntur, à Galeno ſcilicet. Hic enim de tenui meninge loquens ita ſcribit, de Vſu par. 8. cap. 8. Quo fit, vt non modò cerebrum complectatur, verùm etiam in profundum eius ſi ſe inſinuet, ipſum in omnem partem peruadens, totumq; contexens, ac quoquo verſus ſeſe extendens, vſque ad ventriculorum capacitatem. Quapropter membranula illa à re quapiam præter naturam irritata ad expellendum quod noxam affert, cerebrum concuſſiuum motum pati cogitur, veluti etiam ſternutationem, ſi anteriorum ventriculorum membranæ illud ipſum eueniat. Neque id mirum cuiquam videri debet, quoniam eadem membrana communis eſt cum omni membrana omnium neruorum. Vnde Galenus 7. de Plac. c. 3. omnium, inquit, neruorum, qui in corpore ſunt, principium eſt cerebrum, neruiq; à cerebro, cerebrumq; operientibus membranis oriuntur, & per interiorem partem, quæ à cerebro exit, ſenſus, & motus membris omnibus animalis ſuppeditatur. Membranula igitur aliqua ex cauſa contracta, contrahuntur etiam nerui, & muſculi ipſi, vt fiat vniuerſalis omnium partium concuſsio, quam quotidie in comitiali morbo affectis obſeruamus. Sic ergo intelligendus eſt Galenus, cùm dicit Epilepſiam fieri, quando inſita cerebri virtus ad rem inſenſam expellendam inſurgit.

Vtrùm cerebro non affecto Epilepſia aliquando fiat, obſtructis ſolùm carotidibus arterijs, venisq; iugularibus. *Lect.* *VIII.*

IN Epilepſia, quomodocunq; fiat, ſemper, & neceſſariò cerebrũ affici oportere, ita vt propriũ, ac adæquatum ſubiectum Epilepſiæ cerebrum exiſtat, ea videlicet ratione, qua in ſuperioribus Lectionibus à me demonſtratum fuit, Medicorum ſchola omnis vnanimiter affirmat. Vtrùm verò etiam, cerebro non affecto, & ſolummodò ab obſtructione ſoporalium arteriarum, venarumq; iugularium interdum fieri queat, in dubium, ſeu quęſtionem reuocari poſse videtur: Siquidem non modò Ariſtoteles, & cum eo vniuerſa Peripateticorum ſecta, qui

ob

ob prohibitum à corde ad cerebrum ſpirituum influxum, eã perpetuò fieri volunt, verùm etiam inter Medicos Hippocrates hanc ipſam opinionem amplexus fuiſſe dicitur. Imò probabilibus quibuſdam rationibus oſtendi poteſt Galenum quoque ab illarum partium obſtructione ortam Epilepſiam concedere. Quam quidem opinionem ſi veram eſſe quiſpiam contendat, fatendum omninò eſt, quæ de generationis huiuſce ægritudinis modo paſsim Galenus diſſeruit, fictitia eſſe, prorſusq; à veritate aliena. Quæ tamen cum auctorem ſimiliter habeant Hippocratem, necnon firmiſsimis rationibus, ac ferè ſenſu ipſo tanquam baſi aliqua fulciantur, à nobis vt oracula ſunt æſtimanda. Sed age ad rem hanc pro viribus enodandum accedo, vt inde in poſterum mihi, ſi vlterius vitam protrahere liceat, aut alijs ingenioſioribus meliorẽ excogitandi ſolutionem aditus pateſiat. Quantum igitur ad Peripateticos attinet, ſi peteres ab his, quænam præcipuè ea ſit pars, in qua Epilepſia fit, nullam aliam profectò eſſe reſponderent, quàm cor; vnde motus, & ſenſus principium cæteris partibus emanare contẽdunt, cuius propterea membri tàm ſomnum, quàm Epilepſiam, qui ſimiles admodum, & cognati ſunt affectus, paſsiones eſſe arbitrantur. Qua tamen in re decepti ſunt Peripatetici, ſi Medicorum præcepta inſequi volumus, quibus ſanè in huiuſcemodi ſaltem materia credendum magis eſt, quàm Philoſophis, vt vberius infra, cum Ariſtotelis opinio de Somni, ac Epilepſiæ cauſa expendetur, pateſaciam. Verùm huic rei illud faceſſere negotium videtur, quòd Hippocrates 6. Epid. 8. qui ex cerebri meatuum obſtructione affectum comitialem fieri apertè docuit, ex iugularium venarũ interceptione id morbi genus accidere alibi ſcripſit 4. de Rat. vic. acu. tex. 23. & 27. Idẽ ſentire videtur auctor libri de Flatibus, quẽ Hippocratẽ eſſe multi volunt. Quæ opinio cum Peripateticorum ſententia in eo ſaltem conuenit, quòd Epilepſiam quandoquè fieri vult, cerebro nequaquam affecto. Cauſam etenim quærens, vnde ſit, quòd quis ſubitò, ac de repente mutus euadat, nimirum in repentinas cunctarum functionum reſolutiones incurrat, ita enim ſæpe mutos auctor ille appellat, non eos tantùm, quibus vox ipſa oblæditur, in venarum (vtraſq; iugulares intelligit) ἀπολήψιας, ideſt interceptiones retulit, quæ quidem tunc fiunt, cùm, eodem paulò

 inferius

inferius referente, ab humorum multitudine opplentur venæ illæ, quarum venarum interceptiones ſpirituum quoque interceptio inſequitur, cum liber ijs per venas tranſeundi non pateat aditus. Quare cum ſanguis, præ occluſione ex humorum fluxionibus orta, in venis conſtiterit, atque vnà cum eo ſpiritus, infrigidationes, inquit, oriuntur, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones, ſi iam ad cor, vel hepar, vel in venam fluxiones peruenerint. Hinc Epilepſiæ, & paraplexiæ, ſi continentes locos fluxiones inuaſerint, atque à ſpiritibus exire nequeuntibus exaruerint. Eundem Epilepſiæ generationis modum admittere viſus eſt Galenus, qui dùm Hippocratis ſententiam enarrat in Comm. cum igitur, ait, ſupramodum oppletæ fuerint venæ, premi virtutem, grauariq; eſt neceſſe, atque in extinctionis periculum agi natiuam caliditatem, quæ ob multitudinem, copiamq; ſuffocationi quippiã ſimile patitur. Oriuntur ſiquidem Epilepſiæ, & apoplexiæ, & ſyncope cardiacæ, nẽpe vno communi aphoniæ, ideſt vocis carentiæ ſymptomate, ſymptomata huiuſmodi ſignificauit. Qui etiam paulò poſt ad hunc modum loquitur: cùm ſanguis conſtiterit, atque cum eo ſpiritus, infrigidationes fiunt, vertigines, aphoniæ, capitis grauitates, & conuulſiones, quibus ſuccedunt Epilepſiæ, ac paraplexiæ cum in locos oppletas venas continentes deſierint fluxiones. locos dixit corporis partes quas auctor ante ſcripſit cor, hepar, & venam, quæ prædicta coniungit viſcera, venam, inquam, poſtea a Medicis cauam appellatam, quòd venarum omniũ, quæ per corpus animalium diſſeminantur, latiſsima ſit. Præterea quòd Galenus hanc Epilepſiæ generationem concedat, probatur tali pacto: Apoplexia fit aliquando ex affatim obſtructis venis iugularibus, carotidibuſq; arterijs, ergò etiam Epilepſia. Quãdoquidẽ de eiuſdẽ Galeni ſentẽtia apoplexia, & Epilepſia in eo inuicẽ conueniunt, quòd non ſolùm eundem humorem habent mali auctorem, ſed etiam quòd in eadem corporis parte communiter fiunt. Modò apoplexiam non tantùm ex ventriculorum cerebri, verùm & iugularium venarum, arteriarumq; omnimoda obſtructione gigni poſſe, in confeſſo eſt apud omnes. Illa etenim fit cùm facultas, ſpirituſq; animalis à cerebro ad neruos deferri prohibetur, vnde illicò ſenſu, motuq; priuantur. Hæc verò dùm cordis influxus in-

cere-

cerebrum intercipitur, oppletis videlicet, atque obſtructis cùm arterijs, tùm venis, per quas vitalis ſpiritus ad cerebrum defertur, ſuntq; iugulares ab Arabibus Giudez nuncupatæ. De apoplexia vtroq; modo genita locutus eſt Auicenna 1. ter. tract. 5. cap. 12. dicens. Quæ verò eſt abſque apoſtemate (& hæc vt plurimum accidit) aut eſt in ipſo cerebro, aut in vicinitate ipſius; & illa quidē, quæ eſt in vicinitate, aut eſt in meatibus ſpiritus ex cerebro, aut in meatibus ſpiritus ad cerebrum. Nec multò poſt addit. Illa quæ eſt in meatibus ſpiritus ad cerebrum fit, cùm opplentur arteriæ, & venæ ex vehementia repletionis, ac multitudine ſanguinis, & ſpiritus non habet tranſitum. Quæ omnia vt melius intelligantur, animaduertendum eſt ſpiritum animalem vocatum, qui in cerebri cauitatibus, veluti in fonte quodam continetur, vndè etiam ad ſenſum, motumq; præſtandum omnibus corporis partibus ſubminiſtratur, cum ſubſtantia admodum tenui, ac propè aerea ſit, quolibet momēto diſpergi, atque difflari, niſi continuam, iugemq; habeat generationem. Quare cum hic ſpiritus ex eo, qui per arterias à corde adſcendit, tanquam ex materia continuè efficiatur, iure merito dici poteſt ex repentina vaſorum iugularium, per quæ influxus à corde ad cerebrum defertur, obſtructione apoplexiam interdum fieri. Illis enim occluſis animalis ſpiritus conſumitur, cum materia, vnde generatur, eidem fuerit intercepta. Epilepſia tamen hoc eodem modo, vti equidem reor, effici nunquā poteſt, quoniam in ea ventriculorum cerebri occluſionem fieri oportet. Siquidem id morbi genus tunc quidem gignitur, cùm inſita cerebri excretrix facultas aduerſus rem noxiam pugnat, in qua pugna cerebrum, vt fortius ad rem infenſam à ſe propellendā inſurgat, in ſe ipſum contrahitur, ex cuius quidē mēbri contractione fit ventriculorum occluſio, & conſequenter ſenſus, motuſq; voluntarij, vt principum ſimiliter functionum animalium abolitio. Quanquā non me latet occluſionem illam fieri plerumq; ex materia aliqua craſſa, viſcidaque, qualis pituitoſus eſt, melancholicuſq; humor, ſtatim illas cerebri partes occupante, quæ vulgò ſemiobſtructio dicitur. Vnde neceſſariò aſſerendum eſt Epilepſiam nulla alia in parte, quàm in cerebro, ſeu cerebri ventribus fieri poſſe. Quam quidem Epileptici morbi generationem primus omniū cognouit

Hip-

Hippocrates dùm ſcripſit 6. Epid. 8. Melancholici magna ex parte Epileptici fiunt, & è contra Epileptici plerumq; melancholici, atque horum vtrumuis magis accidit, prout in hanc, vel illam partem morbus repit. Si enim in corpus Epileptici, ſi verò in mentem melancholici efficiuntur. Quid ergò reſpondendum eiuſdem ſummi Viri auctoritati in contrarium prolatæ, quam Galenus etiã comprobare videtur? An liber ille Hippocratis non eſt, & Galenus ſcribit id, quod auctor ille inſtituit? An quod eã fieri vult, venis à caua hepatis prodeuntibus, primùm ab humorum copia repletis, aut conſtipatis, qui poſtea per vtraſq; iugulares venas, itemq; arterias ad caput deducuntur, & ad venas, arteriaſq; καρωτίδας regurgitant, ab his ad cerebri ventres medium, aut poſtremum affluũt, à quibus inſita uis cerebri ad rei nocentis expulſionẽ promouetur? An verò magis ex illorum vaſorum repletione Epilepſia fit, quoniam ex prohibito (non integrè tamen) influentis caloris, nempe ſpiritus à corde influxu, cerebri humiditates, quas calor ille, ſi non penitus euincit, ſaltem compeſcit, augentur, quæ ventriculis communicatæ affectionem pariunt? Galenus autem cum ſcribit 2. Aph. 45. eundem locum affectum in Epilepſia, ac apoplexia reperiri, de nullo alio loco intelligit, quàm de cerebro, quod membrum vtriuſq; pathematis ſubiectum perpetuò eſſe contendit. Adeatis eundem Galenum 1. de Sympt. cauſ. 8. Ex his ergò patet magno in errore illos verſari, qui Epilepſiam aliquando fieri poſſe autumant, cerebro non affecto; neque enim pro illorum ſententia ſtant ſuprà enumeratæ rationes, dicat quicquid velit Thomas Eraſtus cum Peripateticis lib. 4. Diſput. in Paracelſum.

Quamobrem Epileptici non modò ingruente morbo ſenſum, & motum, rationem, & memoriam amittant, ſed etiam ab eo liberi tanquam fatui, immemoreſque videantur. Lect. IX.

QVAM arduum, quàm difficile ſit, rerum omnium rationem proferre, apertè nobis indicauit Alex. Aphrodiſeus olim in Peripateticorum ſchola primarius in Problem. ab initio, dùm non modò Medicæ artis auctores,

res,ſed etiam Philoſophiæ proceres haud omnium, quæ in natura ſunt, ſed quorundam dumtaxat, rationem ab elementis petijſſe ſcribit. Neque enim cunctos naturalium rerum effectus ad primarum qualitatum facultatem reduci poſſe cogitat, vnde temerè quidam occultas, vt vocant, proprietates inſcitiæ aſylum appellant. Sed hæc de rebus his, quarum abditæ prorſus, deliteſcenteſq; cauſæ habentur, intelligi debent; In rebus verò non adeò abditis, atque obſcuris,earum cauſas, quantum hominis eſt, palàm facere vnuſquiſq; debet. Quapropter cum ſuperius à me ſtatutum ſit ſenſus vnà cum motu, voluntarium intelligo, necnon rationem vnà cum memorandi potentia, in Epileptico affectu deperdi, conſentaneum modò eſt, horum effectuum cauſas patefacere. Sciendum igitur à vobis eſt, triplex eſſe genus virtutum, humanum corpus regentium, quarum alia in corde,alia in hepate, alia in cerebro ſedem habet, ita vt vnicuiq; ipſarum pro ſede princeps membrum fuerit attributum, quàmuis Ariſtoteles omnes in corde collocarit. Has autem Plato tres eſſe animas non verè dixit,quæ in corde,iraſcibilem, quæ in hepate,concupiſcibilem, quæ in cerebro, rationalem diſtinctè appellans. Quanquàm Marſilius Ficinus Comm.ad 4.de Rep.ab Ariſtotelicis hoc imponi Platoni affirmat, quòd in homine tres animas,vt locis,ita ſubſtantijs differentes poſuerit. Vnde nobis conuenit cum Galeno, qui non animas,ſed animæ potentias, & rectè ſanè vocauit. quid enim prohibet vnam eſſe animam pluribus ornatam potentijs? quas idem Galenus ſub nomine vitalis, naturalis, & animalis primus omnium excogitauit. Animalis igitur facultas (de hac enim agere,quantum ad rem noſtram facit,inſtitui) in cerebri corpore tanquam in arce,ac propria, & peculiari ſede inſedit,quemadmodum Medici omnes, Galeno auſpice, fatentur. Hanc verò in duplicem partiuntur, ſentientem videlicet, atq; mouentem. Prior gemina rurſus eſt,exterior vna,altera interior, illa vt genus in quinq; ſpecies diſtribuitur viſum, auditum,guſtum, tactum, ac odoratum, licet Ariſtoteli 2. de Anima t. 9. ſenſus tactus non vnus ſit,ſed plures,hæc in quinq; potentias principum, ac rectricum nomine inſignitas diuiditur ab Ariſtotelicis,ſenſum commune m,phantaſiam,rationem,memoriam,reminiſcentiam,quam tamen

men Galenus in tres partitus eſt, imaginationem, rationem, atque memoriam. Internæ exterior tanquàm miniſtra inſeruit, vnde omnes externi ſenſus eidem circumiecti, vt ſatellites, & excubitores proximè aſsident, in quos neruorum propagines diſperſæ ſunt, quibus anima ſuas vires effundat. E ſenſibus verò externarum rerum imagines hauſtæ in internam animam confluunt, quas primùm princeps ille ſenſus, quem communem appellant, excipit, earumq; differentias diſcernit, atq; dijudicat. Vnde Ariſtoteles 2. de Anima ſenſum hunc centro circuli comparat, nam veluti lineæ à circumferentia ad centrum, ſic etiam in communem ſenſum vndiq; conueniunt externorum quinque ſenſuum obiecta, circa quæ exercent ſeſe varijs officijs aliæ enumeratæ potentiæ, prout vnicuiq; veſtrûm ex philoſophorum libris notum eſſe ſcio. Hæc de ſentiente animali virtute, tàm ſcilicet interna, quàm externa. Mouens autem eſt, qua animal, & animalis partes mouentur; ſed cum non vnæ ſint motionum ſpecies ab animali virtute pendentes, de illa ſolùm, ad quam progreſſiua refertur, ſermonem habebo, ſub qua contractio, & aliæ huius generis motiones continentur.

Huius autem cauſa gemina eſt, Philoſopho teſte 3. de Anima, nimirum imaginatio, & appetitus, quibus obediunt nerui mirabili fœdere naturæ, qui à ſpiritu compelluntur. Quare motus voluntarius tunc ſanè fit, cùm appetitus excitato ſpiritu neruos impellit, qui deinceps muſculos cient, muſculi tendines, hi verò ad ſe membra trahunt, vſquequò progrediatur eò, quò ipſa imaginatio ducit. Auerroi videtur phantaſia id, vnde initium motus, & Fernel. principium motus non pendere ab appetitu memoriæ mandauit. Quæ cum ita ſint, illud modò ignorandum non eſt, animam hanc rationalem in cerebro contentam, ad prædicta omnia præſtanda, ſeu, vt clarius dicam, ad operationes omnes animales vocatas edendas, ſpiritu animali primario eius inſtrumento tanquam cauſa media vti, qui ſpiritus ex vitali per ceruicis arterias in rete admirabile ſublato, primùm elaboratur, deinde in cerebro eius vi ingenita, vel in anterioribus ventriculis in animalem conuertitur, quo ita confecto, ac elaborato referti ſunt medius, atq; poſtremus cerebri ſinus, vnde tanquam è fonte per ner-

uorum

uorum ductus, & in ſenſuum inſtrumenta, & in motores muſculos dimanat, ſiue per eiuſdem ſpiritus ſubſtantiam, ſiue inſtar luminis id ipſum fiat. De qua re videatis Galenum ad finem lib. 3. de Fac. nat. & lib. 6. de Vſu par. vt etiam cap. 5. lib. de Vſu reſpir. & 9. de Vſu par. cap. 4. licet Columbus cenſeat in antro oſſis ſphænoidis congregari aerem, quem inſpiramus, ex quo cerebrum ſpiritum gignat animalem, ad ſenſum, & motum, atque ad omnes functiones animales comparatum. Influatne vis motrix à cerebro per neruos, vectore ſpiritu, per modum irradiationis, quæſtio eſt problematica, de qua vtrinque adducuntur veriſimiles rationes. Cum ergo à me ſuperius demonſtratum ſit in omni Epilepſiæ generationis modo vtique occludi(aliquando enim obſtruuntur à materia craſſa, aliquando verò conniuent præ qualitate praua ad ipſos per conſenſum tranſmiſſa) cerebri ventriculos ſedes animalium ſpirituum, à quibus tanquam à proximo inſtrumento emanant animæ actiones omnes, neceſſe omninò eſt, vt exitum ſpiritibus minimè habentibus, hoc morbi genere decidentes motu, ſenſibuſq; priuentur, necnon etiam rationis, memoriæq; amiſsionem incurrant. Verùm quoniam Epileptici, & hi præſertim, qui per eſſentiam hoc morbi genus patiuntur, non ſolùm morbo ingruēte, ſed ab eo liberi immemores, ac veluti amētes, necnon ad omnes alias animales actiones obeundas ineptiores apparēt; quæret hic veſtrûm quiſpiam ex qua nam cauſa id ipſum enaſcatur. Clarum eſt ex Galeni ſententia 1. de Loc. aff. 2. nullam ferè actionem lædi poſſe, niſi pars, quæ ipſam facit, vnà quoque afficiatur. Nos igitur cum partem in Comitiali morbo præcipuè oblæſam cerebrum ſtatuamus, animales facultates, quæ ab eo emanant, læſionem ſimul pati dicere cogimur. Inter morbos autem, à quibus principes animæ vires affici magnoperè ſolent, frigida in primis, & humida cerebri intemperies exiſtit, vnde Hippocrates; obliuioſi fiunt, dùm cerebrum perfrigeratur, in lib. de Sac. morbo. Cui ſubſcribens Aretæus lib. 1. cap. 4. rationem, ait, eo vſq; morbus conturbat, ac deijcit, vt prorſus deniq; infatuentur. Atq; horum omnium cauſa eſt cum humiditate frigiditas. Ferunt enim vel ab vtero Epileptici cerebrum imbecille, in quo, ob alteratricis facultatis fruſtrationem, pituitoſi excrementi copia in dies adaugetur,

getur, à qua, vt etiam ab humore melancholico in his, qui vitio talis humoris Epileptici fiunt, tota eius ſubſtantia infrigidatur. Cerebro autem frigefacto, animales functiones omnes obtorpeſcunt; nam, vt ex Ariſtotele conſtat de Phyſiolog. 29. anima, & corpus mutuò compatiuntur, adeo vt animæ habitus alteratus, alteret vnà corporis formam, & è contra. Hinc animi paſsiones, vt mæror, ira, & conſimilia (ex arte Medicin. 55.) corpus afficiunt, imò à naturali ſtatu auertunt, iuxta quam ſententiam dictum fuit à Damaſceno corporis temperaturam animi affectibus cohærere. Ità etiam corporis pathemata animam, ſeu animæ potentias magnoperè lædunt, atque conturbant, vt cùm in febre, Phrenitide, & huius generis ſimilibus, tùm præcipuè in correptis Epilepſia facillimè conſpicitur, in quibus non modò ſenſus vllus reperitur, qui non ferietur, & à ſui muneris functione non ceſſet, verùm etiam princeps animi pars ratio, atque memoria deperditur. Quòd autem animales functiones omnes à frigore lædantur, haud vno in loco teſtatur ipſe Galenus. torpent enim frigore animi, & corporis actiones, quas excitat moderata caliditas. Id quod ex medicamentorum natura diſcere licet, quippe frigida ſtuporem, ſoporemq; calida verò vigilias, & varias motiones inducunt. Vnde à Galeno dictum reperitur 3. de Sympt. cauſ. c. 3. ac 3. de Loc. aff. frigus nulli functioni ex vſu eſſe, qui pariter de memoria loquens, cùm vel perijt, inquit, vel omninò grauiter læſa eſt memoria; frigida tunc intemperies eſt. Sed præter obliuionem fatuitas etiam ex refrigeratione creatur. Quo circa mirum videri cuiquam non debet, ſi valde ſenes & fatui ſint, & immemores, ſubſtantia cerebri illorum frigefacta, veluti & infantes nimia abundantes humiditate. Quapropter iure dictum legitur ab Ariſtotele 2. de Hiſtor. anim. cap. 1. puerorum animam nihil à brutorum anima differre. Qua in re audiendus eſt etiam Herodotus, qui ad hunc modum loquitur in Thalia; augeſcente corpore mens quoque capit incrementum, atque eo ſeneſcente conſeneſcit. Dùm enim infantes ſumus ratio velut obruta, & ebria humore multo operari non poteſt. Humiditas enim quoque non parum officit memoriæ, rationiq; ſenſui omni, & motui, ea quidem de cauſa, qua Hippocr. 3. Aph. 8. dixit, auſtrum auditum hebetare, cali-

ginem viſui obducere, caput grauare, & corpori tarditatem conciliare. Humefacto enim principio neruorum facultates animales, ſenſusq; omnes vnà cum motu voluntario torpere neceſſe eſt. Quam quidem humiditatem pueri ex ſemine copioſam obtinent, ob quam non ad motum ſolummodò, verùm etiam ad ſcientiarum acquiſitionem minus apti redduntur. Et hoc eſt quod voluit Ariſt. cum prodidit 7. Phyſ. 13. ſcientiæ acquiſitionem nullam à principio eſſe, quocirca ſubdit, infantes nec diſcere poſſunt, nec ſenſibus perinde dijudicare, atq; alij ſeniores, cum multa in eis perturbatio ſit, & motus. Quam rem vt optimè intelligatis ſciendum vobis eſt, in tenella adhuc ætate, ob humoris copiam vberiorem, intimorum ſenſuum organa perenni motu agitari, atq; diffluere. Vnde fit, vt rerum imagines, quæ per externos ſenſus in intimos illabuntur, in officinis adſeruari nequeant, vt neq; in cæra liquefacta hæ, quas exprimit ſigillum, ea propter ipſius rationis lumen eo tempore minimè elucet, ſed quaſi nebula obductum eſt. Hinc illud Philoſophi: odi pueros præcoci ingenio; vnde tunc addiſcere non valemus, ſed cùm humiditate illa paulatim, ac mediocriter conſumpta, hauſta ſimulacra permanent, & ſuo rite munere fungitur imaginatio. Intellectus enim operationem ab ipſa imaginatione pendere docuit nos Ariſtoteles 3. de Anima 8. Applaudunt huic ſententiæ Hippocrates, atq; Galenus, ille quidem cùm alibi, tùm in de Sacro morbo, vbi refert inſanienti neceſſe eſſe præ humiditate cerebrum, in quo animę ſunt opera, moueri, vbi videlicet humidius quàm pro natura fuerit, tandiuq; hominẽ ſapere, quãdiu eiuſdemmet cerebrum quieuerit: Hic verò cùm tradit 1. Epid. cerebrum ſiccum ad ſuas actiones expeditiſsimũ eſſe, meliuſq; ſe habere ad imaginationẽ, ratiocinationẽ, memoriam, viſum, auditum, alioſq; ſenſus. Ex quibus omnibus nõ difficile eſt elicere quam ob cauſam Epileptici non modò ingruente morbo ſenſum, & motum, rationem, ac memoriam amittant, ſed & ab eo liberi, omniq; tempore immemores, ac veluti amentes appareant. Verùm quia ex iam allatis aliquot haud negligendæ dubitationes oriuntur, earundem ſolutiones in futura Lectione vobis ante oculos ponere conſtitui.

Obie-

Obiectionum aduerſus anteactam Lectionem dilutio. Lect. X.

VT omnem dubitandi anſam pro viribus abſcindam, Auditores; quod proprium qualemcunq; materiam pertractantium iudicatur, obiectiones, quæ aduerſus ea, quæ in præterita Lectione allata fuere, ab ingenioſo aliquo obijci poſſent, ſoluere in præſenti conabor. Dubitatur igitur in primis vtrùm vera ſit Galeni opinio, in Epilepſia rationem, atq; memoriam deperdi. Siquidem Oribaſius de differentia, quæ inter Epilepſiam, melancholiam, & inſaniam verſatur, differens, hæc verba profert 3. Aphor. Com.24. Epilepſia in imaginatione, melancholia in ratione, inſania in memoria eſt. Idem ſentire viſus eſt Actuarius lib.1.cap.13.de Act.& operat.anim. ſpiritus, vbi ſenſus communis affectionem eſſe Epilepſiam voluit. Ambigitur quinetiam circa ipſammet memoriam, nam ex ſuperius enarratis Peripateticorum ſententiam, qua cenſent memoriæ ſedem non in cerebro contineri, ſed in corde, vt in proprio ac peculiari loco, approbare viſi ſumus. Quandoquidem veluti nos ſupra affirmauimus, & Bernardinus Crippa philoſophus æui ſui clariſsimus aſtruebat in Ariſt.de Mem.& remin.ſi propter vel frigoris, vel humoris abundantiam, homines omni propemodum memoria carere videntur, qui conuenire poteſt, vt in cerebro, quod & frigidiſsimum, & humidiſsimum eſt omnium quæ in animali ſunt, atque contrarium propriæ ſedi animæ, quæ eſt calidiſsima, ipſius memoriæ vis collocetur? Idem aſſeri poſſe videtur de cæteris animæ potentijs, quas à frigido, & humido tantoperè lædi affirmaui. Dubitatur inſuper circa ea, quæ de frigore, & calore protulimus, ſi vera nimirum ſunt, veluti vera eſſe tàm Medici, quàm Philoſophi omnes concedunt, cur timidi vocantur Syri, Mauri, Arabes, & Indi, qui feruidis in locis habitant; fortes è contra Galli, Scythæ, Thraces, Germani, atq; Britanni, qui gelidas regiones incolunt? Præterea ex Galeno dictum à nobis eſt, frigus nulli functioni ex vſu eſſe, cum tamen oppoſitam ſententiam habeat Ariſtoteles 4.Meteor.1.qui

inter

inter elementorum qualitates frigus poſt calorem maxime actiuum eſſe dixit. Vnde non ſecus ac ipſum calorem actiuas potiſsimùm præſtare actiones frigus apparet, vt ſunt finire, mutare, humectare, exiccare, tàmq; homogenea, quàm etherogenea cõgregare. Demùm ex eodem Galeno probatum eſt, memoria, & ratione valere eos magis, quorum cerebrũ humiditate minus ſcateat, ideò ſenes, quorum cerebrum ſiccum eſt, vt vniuerſa eorum temperies, memoria, & ratione cæteris anteſtare deberent, cum nihilominus alia omnia nos ipſa doceat experiẽtia. Hæ ſunt dubitationes, quæ ex iam habita Lectione neceſſariò enaſci videbãtur, quas nunc retrogrado, præpoſteroq; vſus ordine enucleare aggredior. Sẽtentia fuit Heracliti, qui ante Galenũ vixit, temperamento ſicciores alijs eſſe prudentiores, ex quo illud: Spiritus ſiccus anima ingenioſiſsima. Quantum verò attinet ad ſenes, clarum eſt eſſe frigidos, & ſiccos; nam idcircò Ariſtot. referẽte Galeno 2. de Tẽp. 2. ſeniũ marceſcenti ſtirpi adſimilat, quippè ſtirpes nouellæ dùm ſunt, molles, humidæq; cernuntur, ſeneſcentes aſsiduè magis ſicceſcere videntur, idq; ipſis mors eſt. Vnde iure merito ſeniũ viam ad interitum eſſe profert, eò quia in frigido, & ſicco conſiſtit. Quã rẽ confirmat idẽ Gal. 3. Aph. vlt. vbi quærens cauſam, quamobrem ſcriptum ſit ab Hippocr. ſenectutẽ vigilijs infeſtari, tradit illud contingere, non modò quia ſenectus ipſa ſolicita, & anxia exiſtit, ſed propter nimiã etiam corporis ſiccitatẽ, ob quam glaucomata ſenibus prouenire ſcribit, immodicè nempe inſtrumentis viſui ſeruientibus exiccatis, neq; enim contra ſunt ſenum aurium, & oculorũ humiditates, diſtillationes, vertigines, ac alij frigidi, & humidi affectus, à quibus ſenes ipſi tentantur, quoniam etſi multa humidorũ, & pituitoſorũ excrementorũ copia in his coaceruatur, id tamen per accidens fit, ob alteratricis facultatis fruſtrationẽ. Quoad. n. propriam, ac innatã ſubſtãtiã, frigidæ, ac ſiccæ ſunt tẽperiei. Quò reſpiciẽs Ioãnes Grãmaticus. 1. De gen. & corr. ſenium frigoris, & ſicci victoria fieri tradit. Senes igitur temperamento ſicci, & nihilominus obliuioſi ac aliquando fatui, & propè delirantes. Pro diſſolutione difficultatis aſſerendũ eſt, illud in ſenibus contingere, nõ ob eorũ ſiccitatem, ratione cuius homines ad animales actiones edendas paratiſſimi redduntur, ſed ob frigiditatẽ, quæ omnibus palam munijs ani

mi aduerſatur. Vel dicẽdũ quemadmodũ pueri ob nimiã humiditatẽ, ac defectũ congruentis duritiei parũ & memoria, & ratione valent, ità ipſos ob immodicã organorũ inareſcentiã, defectumq; humidi cõpetentis, obliuioſos, ac amentes euadere. Quã rẽ docuit nos Ariſtot. in De mem. & remin. vbi tradit pueros, & valdè ſenes obliuioſos eſſe propter motũ, quòd illi in accretione, hi verò in decretione multa verſentur. In ſenibus enim quaſi ruinoſis ædificijs depictæ rerum imagines exoleſcunt. Ità. n. Gal. 3. de Loc. aff. 5. ob ſiccitatẽ deperdi memoriã refert, vt cuidã ſui æui contigit, qui ob nimias vigilias, nimiamq; in literarũ ſtudijs aſsiduitatem, organo exiccato memoriã penè amiſerat. Atq; hic obſecto vnũ notate, nõ temerè vulgò iactatũ eſſe, ſapiẽtes multos delirare. nam vel Hipp. auctore 7. Aph. 18. à nimijs vigilijs diſipientia aliquando prouenit, idq; tùm nimiæ ſiccitatis, quã pariũt vigiliæ ratione, tùm quia per longas vigilias bilioſior ſanguis redditur. Licet autẽ memoriæ abolitio ſit excedentis humidi ſoboles, veluti eiuſdẽ perfectio ſicci congruentis, tamen vtriuſq; qualitatis, imò & aliarũ qualitatũ exuberantia memoriã labefactat. Silentio autẽ non inuoluam Auerr. Com. ad lib. De memoria, & reminiſcentia, autumare ſenibus obliuionẽ, ob accidentalẽ eorũ humiditatẽ, quẽadmodum pueris, ob naturalẽ, accidere. Quę opinio mihi nõ improbanda videtur, quãquam ſecus Ariſtot. à quo in pręſenti non diſcedo, ſenũ obliuionẽ in defectũ humidi natiui referens, cuius idonea commiſtio memoriæ organũ attemperat; atq; hæc omnia quantũ ad primã dubitationẽ. Quantũ verò ad ſecundã, veriſsimũ eſt quod à Galeno dictũ reperitur 3. de Symp. cau. c. 3. frigus nulli functioni ex vſu eſſe, at hoc non impedit quominus actiones, quas Philoſophus recenſet, efficiat. 4. Meteor. 1. Galenus. n. de his actionibus loquitur, quæ agũtur facultatibus, quibus humanũ corpus regitur, & gubernatur quarũ quidẽ actionũ non eſt per ſe efficiens frigus, quare & Auicenna frigus in actionibus virtutum eſſentialiter non ingredi dicebat 1. primi, doct. 6. Hactenus de ſecunda obiectione. Venio ad tertiã, quæ eſt, ſi frigus ſegnitiei, calor viuacitatis, & roboris cauſa exiſtit, cur timidi dicantur populi in calidis regionibus degentes, fortes è contra, & viuidiores, qui frigida loca incolunt. Pro cuius ſolutione forſitan reſpondendum, pauoris, ac timiditatis cauſam ge-

minam eſſe, ſanguinis videlicet frigiditatem, atque craſsitiem; id quod Vates ille notauit hoc ſenario:

Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis.

Scaliger in Com. in Hipp. lib. de Inſomn. addit ſanguinis paucitatem, quandoquidē eos reddit animoſiores ſanguinis copia, qui in frigidis habitant regionibus, at iſtorū, ait, ſanguis vt multus, ita dilutus eſt, quippe poſt primæ impetum æſtuationis, deferueſcit, pertinacisſimè nimirum pugnant Mauri, & Indi. An qui degūnt in cælo calido imbelles, & effæminati ſunt, quia, vt apud nos fit per caniculares æſtus, innatus calor perpetuo Solis ardore in halitū diſſoluitur, qui verò terram gelidam inhabitant, feroces ſunt, ac animoſi, quia frigore ambientis calor in præcordia coactus, illis animū, & robur addit? Ab hoc problemate expeditus, confero me ad penultimā dubitationem, quæ circa ſedem memoriæ verſatur. Compertiſsima res eſt apud omnes Medicos, memoriam in cerebro ſedem propriā habere, eamq; non in parte aliqua determinata, vt fuit Arabum, & aliorum quorundā opinio, ſed in tota cerebri ſubſtantia vnà cum alijs facultatibus. Sic enim paſsim Galenus de animalium virtutū ſede ſentire videtur, quanquam ad Galeni mentē nō deſunt, qui rem hanc aliter defendunt. Argumēto Crippæ hoc ego pacto reſponderē. Quod cerebrum ſit omniū noſtri corporis partiū frigidiſsimū, fuit Ariſt. ſententia pluribus in locis 5. de Hiſt. animalium 16. 2. de Part. anim. 7. & in lib. De ſomno, & vigilia. Attamen Philoſophus (alioqui rē ſenſui cōtrariam attuliſſet) cerebri ſubſtantiā ſecundum innatam eius complexionem, venis omnibus, arterijſq; ſecluſis, conſiderauit, non prout actu exiſtit in viuēte: tantum enim abeſt, vt cerebrum ſit frigidiſsimum, vt Galenus ſcripſerit 8. de Vſu par. 2. cerebrum aere calido, etiam æſtate media, calidius eſſe, idq; tùm ob continuum motum, tùm ob multitudinem venarum, arteriarumq; in membranis cerebrum inuoluentibus exiſtentium. Ideò Medici etiam æſtate media cerebrum rebus calidis fouent, ne ab aere infrigidetur, & alibi Galenus cerebrum calidum, & humidum vocat, in Med. defin. Qui etiam ſcripſit cerebrum inſpiratione indigere, vt infrigidetur, De odorat. inſtrum. cap. 6. Qua propter iure merito Auicenna Fen. 1. primi. de cordis, hepatis, & cerebri temperatura loquens, tradit cere-

brum eſſe quidem frigidum, ſed in comparatione ad alia duo principalia viſcera, cor nempe, & iecur, quę ſunt calidiſsima. In ſumma viuente animali nulla pars in eo eſt, quæ calorem non præſeferat. Vnde patet quàm magno ver ſentur in errore recentiores quidam aliàs non indocti, inter alios Vall. 6. Epid. qui de calculo ſcribentes à frigore ipſius veſicæ lapidem gigni poſſe autumant, dùm ſcilicet in craſſam materiam agit, eam congregãdo, vt fieri in externis videmus. Quam opinionem falſam, & à veritate alienam eſſe demonſtrat Hippocrates. 1. Pror. tex. 16. dùm ſcilicet ſi in acutis morbis vrinarum interceptiones ex veſicæ refrigeratione contingant, peſſimum, & lethale ſignum eſſe perſcribit, vt pote diſcuſſo, euaporatoq; ab eo, qui præternaturam eſt, naturali veſicæ calore. At qui hunc in errorem lapſi non eſſent, ſi ea legiſſent, quæ Galenus nobis tradita ad hunc modum reliquit in lib. de Renum affect. Verùm in nobis lapidem frigus non parit, neque enim fieri poteſt, vt viuo corpori tantum frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus. Quod verò, & ad cerebrũ reuertor, idem Crippa de cerebri humiditate obijciebat, quã dicit tãtã eſſe, vt memoriam contineri in illo membro impoſsibile ſit, cenſeo ego eſſe falſum, nam cerebrum humidum quidem eſt, quod eius mollicies potiſsimùm indicat, non tamen, ſi de temperato loquamur, humidiſsimum. Iniuria ergo hac ratione cerebrum ipſius memoriæ, aliarumq; animalium virtutum ſede, ac domicilio priuant Peripatetici. Poſtrema dubitatio erat nùm verè dictum ſit à Galeno, in Epilepſia rationem, atq: memoriam amitti, cum Oribaſius, & Actuarius aliter ſentire videantur. Pro ſolutione reſpondendum in Epilepſia, iuxta Galeni mentem, rationem, atque memoriam præcipuè offendi, quòd verò imaginatio, communiſq; ſenſus afficiantur, vt Actuarius, & Oribaſius arbitrantur, hoc ſanè haud negat Galenus, quanquam proprias ſenſus communis affectiones veternum, ac vigiliam, non autem apoplexiam, aut Epilepſiam ſtatuit de Sympt. cauſ. 1. Verùm hactenus iſta.

De

De Differentijs Epilepſiæ, & modis omnibus, quibus non ſolùm cerebrum, ſed vnaquæq; pars ab altera per conſenſum afficitur. Lect. X I.

DE differentijs Epilepſiæ, quot, & quæ ſint, nec non membris omnibus, quibus per conſenſum tam graui ſymptomate cerebrum corripitur, Vobis hodie, Clariſsimi adoleſcẽtes, verba ſum facturus. In quouis igitur noſtri corporis affectu, quanti referat à Medico non ignorari affectionis modum, nùm ſcilicet pars affecta primariò, & per ſe, an per conſenſum morbo laboret, vnicuiq; in arte medica etiam ruditer verſato, pro comperto eſſe puto. Quæ res ijs potiſsimum curæ eſſe debet, qui in praxi verſantur, vt cuinam parti medicamenta conueniant, ad vnguem calleant, ne dùm affectu aliquo quis per ſympathiam laborat, eundem tractu temporis per idiopathiam perpeti cogatur, & ad aras vſque patientem concomitetur. Affectio enim per conſenſum orta, ſi in propriam tranſeat, non niſi difficulter admodum vinci poteſt, quod neutiquam accidit morbo etiamnum aliunde pendenti, qui fixas adhuc, & permanentes cauſas nõ habeat, cui quidem occurrere arduum non eſt, nimirum quoniam, vbi quis, Galeno auctore 3. de Loc. aff. 5. per conſenſum afficitur, ipſaq; affectio in fieri habet eſſe, deletis cauſis illam efficientibus, ipſa quoque ſimul deletur. Si verò conſentientes partes permanentem iam habuerint diſpoſitionem, quamuis quieſcat cauſa efficiens, ipſa tamen perſiſtet affectio. Vnde à Sereno iure proditum legitur:

Cura magis prodeſt venturis obuia morbis.

Quare cum haud vni ſint modi generationis Epilepſiæ, quot, quique ſint, nunc ſtatim palam facio. Eiuſmodi enim diſtinctio non parui erit in curatione momenti. Siquidem cùm in cerebro ob aliquam aliam partem hæc affectio gignitur, eam maximè, & in primis curare oportet, cerebrum verò ita præparare, vt non facilè afficiatur. Tribus ergò continetur differentijs Epilepſia, aut conſiſtente in cerebro per eſſentiam affectu, id quod pluri-

mis Epilepticorum contingit, aut à ventriculo ad cerebrum conſortij lege quadam adſcendente, aut, quod rarò accidit, à parte quadam, cui fortè fortuna euenit, incipit affectio, quæ deinceps, ægro ipſo ſentiente, in cerebrum repit. Quibus tamen Epilepſiæ differentijs commune illud eſt, vt quoquomodo oriatur affectio, cerebrum ſemper neceſſariò patiatur, vel primario affectu, vel ſecundario, quemadmodum in morbo melancholia dicto fieri cernitur. Hic enim pariter vel ex proprio cerebri pathemate generatur, vel ex ventriculo, aliaue parte affectus materiam cerebro communicante, qualis melancholia hypocondriaca nuncupata, quæ ſtomacho conſentiente fieri ſolet, ob inflammata circa ipſum ventrem hypocondria, quæ modò auram quandam maligniorem, modò ſubſtantiæ humoris partem ad cerebrum ſurſum tranſmittunt. Ità igitur comitialis affectio non ſolùm proprio cerebri vitio, ſed etiam ipſius ventriculi, & aliarum etiam corporis partium conſortio producitur, Galeno auctore 3. de Loc. aff. cui Paulus, Aetius, alijq; omnes antiqui Medici ſubſcribunt; licet non defuerint Iuniores, qui contra ſenſerint. Eleuantur enim, inquit Galenus, interdum ab aliqua corporis parte halituoſi quidam ſpiritus, qui cerebrum ita petunt, vt eos, dùm ſeſe attollunt, vel ægri perſenrire idonei ſint. Verùm iam tempus poſtulat, vt quænam ſint corporis partes, quarum conſenſu comitialis paſsio cerebro communicatur, clarum, apertumq; fiat. Illas igitur partim Galenus 3. de Loc. aff. & partim alij in re medica percelebres, nempe inter Græcos Paulus, inter Arabes verò Auicenna nos docuerunt. Galenus enim puerum ſe vidiſſe refert, qui conuulſione Epileptica ex cruris cõſortio laborabat, qui puer eidem Galeno referebat à crure initium ſumere affectionem, mox illinc per femur, lumbos, & latera ad ceruicem rectà ſerpere, donec ad caput perueniret, quod cùm primùm tangebat, puer haud quaquam ſibi conſtabat, qui propterea interrogantibus Medicis, quibus cum ad curationem Galenus conuenerat, quale eſſet id, quod ferebatur in caput, nihil habuit quod reſponderet, ætatis verò ſuæ decimum tertium annum agebat. Sed præter hunc, tradit idem Galenus alium ſe adoleſcentem cognouiſſe mentis compotem, hoc ipſo morbi genere laborantem, qui quod fieret non

modò

modò ſentire, ſed etiam alteri narrare poterat, à quo dicebatur veluti quandam auram frigidam eſſe id, quod ſurſum ferebatur. Tale quidpiam ſe vidiſſe ſcribit Alexander Trallianus lib. 1. c. 15. Paulus verò Aegineta lib. 3. cap. 13. tùm à crure, tùm à manus digitis contagionem poſſe naſci affirmat, necnon (quod etiam notat Auicenna lib. 3. fen. 3. cap. 8.) ab vtero, vt cuidam ſui aeui mulieri, tempore, quo erat grauida, contigit, quæ mulier à partu edito hoc ſymptoma paſſa non eſt. Fernelius verò inter neotericos magni nominis auctor, de Par. morb. & ſympt. lib. 5. c. 3. Non paucas, inquit, mulieres noui, quæ quoties vtero geſtant, crebrò Epilepſia corruunt, expeditæ verò nunquam. Ex coli etiã dolore Epilepticos fieri caſus voluit idem Paulus lib. 4. cap. 57. vt ſimiliter ex alijs interaneis ob lumbricos ea occupantes; Præterea à liene, præcordijſq;, ſpondylibus, ac humerali oſſe, vt etiam a teſtibus, ſemine, ob diuturnam moram, in ipſis corrupto, & ad venenatam qualitatem redacto, affectionem hanc nonnunquam produci tradit Auicenna lib. 3. tract. 5. cap. 8. Vbi demùm à toto corpore etiam fieri poſſe per hæc verba refert. Illud autem quod nocet cum vapore malæ ſubſtantiæ, & qualitatis eſt a toto corpore etiam, ita vt ſit in digito pedis, & manus. Quibus verbis Auicenna non à ventriculo ſolùm, præcordijſque, aut alijs internis corporis partibus, ſed etiam à partibus externis, in quibus totius corporis habitudo deprehenditur, vapores prauos in cerebrum conſcendere, ibiq; Epilepſiam parere nobis apertè ſignificat. Si qui verò petat à me quænam ſint hæ corporis partes exteriores, in quibus totius corporis habitus comprehenditur, reſpondebo muſculos eſſe toti corpori adiacentes, ità enim rem ſe habere docet Galenus Art. med. cap. 50. in hunc planè modum: Totius verò corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ primæ oculis ſubijciuntur: ſunt verò hæ muſculi, qui omnia ambiunt. Quod Auicenna igitur de toto corpore protulit, de partibus extrinſecis, nempe muſculis vniuerſam corporis molem ambientibus intelligi debet. Omnibus autem conſortij lege factis Epileptici morbi inuaſionibus, quæ ſtomachi ſit conſenſu, frequentior eſſe ſolet. Cuius quidem quatuor enumerantur cauſæ à Galeno 1. de Sympt. cauſ. 7. quæ ſi vnà confluant, maximum

inde fieri ſymptoma neceſſe eſt, nimirum ſi affectus, qui ventriculum afficit, vehemens exiſtat, ſi ſenſus eius maximè ſit acer, ſi arteriarum, neruorumq; genus imbecillum, & deniq; cerebrum ipſum, vel cor fuerit infirmum. Hactenus patet quænam ſint partes, quarum conſortio, & conſpiratione cerebrum Epileptico morbo afficitur, nunc verò oſtendamus quomodo cerebrum huiuſmodi partibus conſentiat, vt earum conſortio in adeò magnam ægritudinem incurrat. Ante omnia igitur conſiderandum a nobis eſt quot modis fiat partium adinuicem conſpiratio, & vna pars alteri conſentiat.

Triplici ergò ratione fit iſte partium conſenſus, aut vicinia, aut familiaritate vel generis, vel operis, aut vaſorum communione, per Sabinum apud Galenum 3. Epid. Com. 1. Sed Auicenna ſex modis fieri conſortia tradit Fen. 2. primi, propter continuitatem, viam, viciriitatem, operationem, famulatum, ac intermedium partis ad partem. Propter viciniam, veſicæ, & recto inteſtino vterus compatitur, vicißimque illa vtero, vnde teneſmi, ſtranguriæ, & vrinæ ſuppreßiones per conſenſum. Sic ad recti inteſtini, ac vteri inflammationem accedit ſtranguria Hippocrate auctore 5. Aphor. 58. viciniæ ſcilicet ratione compatiente veſica. Generis ſocietate condolet neruoſum neruoſo, venoſum venoſo, arterioſum arterioſo; Operis verò condolent mammæ vtero, thoraxq; partibus genitalibus. Propter communionem vaſorum ventriculus cordi per aortam, & venam cauam conſentit, inde ſyncope ſtomachica. Alijs etiam modis ab Auicenna poſitis pars altera alterę compatitur, vt continuitate, ac intermedio partis ad partem. Sic enim ventriculus inteſtinis, & gulæ condolet, cerebrum verò vtero per ſpinam, cui alligatur, compatitur, inde occipitis dolor in mulieribus frequentißimus. Conſpirant etiam partes per intermedios ſpiritus, & humorum confluxum, vt ad hanc partium conſpirationem, condolentiamq; reſpiciens Hippocrates ſcripſerit in lib. de Alim. Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia, de qua ſympathia abundè loquitur Hieronymus Fracaſtorus in lib. De ſympat. ac antipat. cap. 15. Verùm ad rem noſtram. Si quis ergò quęrat à me, vnde ſit quod cerebrum, & ventriculus mutuo ſibi

compatiuntur, vt alter alterius condoleat calamitati, reſpondebo id prouenire ob neruorum à ſexta cerebri propagine ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam ori ventriculi ſenſus exactior, quàm vllæ aliæ particulæ accedit. Quapropterea in parte Galenus tactus ſenſum maximè vigere perſcripſit lib. 5. de Vſu par. cap. 9. Idem tamen 3. de Loc. aff. 9. non in omnibus ęquè exacti ſenſus os ventriculi reperiri affirmat, imò ipſum à quibuſdam penè abſque ſenſu obtineri ex eo probat, quòd eructant, vel euomunt quædam vſque adeò vitioſa qualitate infecta, vt ne odor quidem à nobis ſuſtineri queat, cum ipſi interea nil ferè morſus ſentiant. Stomacho igitur facilè cerebrum compatitur neruorum communione. Exemplum verò patientis Epilepſiam per huiuſmodi conſenſum proponit haud vno in loco Galenus, nimirum cuiuſdam Grammatici, qui quoties vel nimis doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur comitiali ſymptomate corripiebatur, nempe oris ventriculi vitio. Sic ego alium noui Grammaticum (ita enim mihi libet appellare in humanioribus, vti vocant, literis perquam verſatum) qui ſi forte fortuna iraſcitur, aut ſi inediã tolerat, leuibus quibuſdã comitialibus acceſsionibus, cum modica circa os ſpuma, collabitur. Ab vteri conſenſu Epilepſia fit, præſertim vtero gerentibus, in quibus multa putria vnà cũ fœtu cohibentur, ob ipſius vteri cum cerebro per ſpinalem medullam, cui vterus alligatur, copulam, inde mulieribus nil magis frequens occipitis dolore, inde etiam conuulſiones, quas vtero conſentiens cerebrum ſæpe producit, quæ quidem in uiduis maximè, atque virginibus eluceſcunt, quæ ſanantur vtero ipſo ſanato. Quod ſi alicui veſtrûm non probetur, dicamus Epilepſiam fieri ab vtero vaſorum communione, de qua Galenus 6. Epidem. Comm. 1. ſect. 2. vbi cauſas indagat, ob quas fiunt mulieribus in ſincipite dolores. Ex coli autem dolore qui fit caſus Epilepticus acceptus referri debet, vel neruulo à ſexta cerebri propagine ad illud tranſmiſſo, vel continuitati illius inteſtini cum ventriculo, à quo per neruorum communionem cerebro noxa impertitur; ſic intelligi oportet de alijs inteſtinis, quoties ab eis vel ob vermes, vel ob aliam cauſam comitiale ſymptoma cerebro communicari aſſeritur. Habent

enim

enim inteſtina communem cum ventriculo tunicam, ratione cuius etiam fit, vt ijs leuem quandam, ac rudem concoquendi facultatem ineſſe Medici omnes affirment. Quæ à crure verò, aut pedum, manuumue digitis incipit affectio, quæ furtim per cæcos ductus in cerebrum progreditur, per quandam veluti partium continuitatem, illam ipſam fieri Galenus affirmat. Quæ à teſtibus vaſorum communione, ſi Hippocrati credimus; ſed aliter docet Anatome, ideò dicendum fieri potius ob quandam partium continuitatem, vt quæ à ſpondylibus, aut humerali oſſe, ob viciniam, ſub qua tamen continuitas comprehenditur. Quod ſi aliqua alia corporis pars primùm affecta erit, ratione cuius cerebro affectio communicetur, aliquo ex iam oſtenſis modo, illi ipſi condoleat cerebrum neceſſe eſt. Hucuſq; de natura, ac differentijs Epileptici affectus copiosè peregi: nunc tempus poſtulat, vt de eiuſdem affectionis cauſis efficientibus orationem exordiar.

Libri Quarti de Epilepſiæ natura, ac differentijs Finis.

D E

DE EPILEPSIA, SEV COMITIALI MORBO LIBER QVINTVS.

An in Deum referenda ſit cauſa Epilepſiæ, vt quorundam fuit opinio. Lectio XII.

DE cauſis modò Epilepſiæ agendum eſt, in quibus quidem ſigillatim examinandis ſi diutius immorabor, vnuſquiſq; veſtrûm, Ornatiſsimi Auditores, mirari deſinat, quando nulla in re magis laboratur à Medicis,quàm in morborum cauſis dignoſcendis, vtpote quæ conuenientem curationem oſtendunt,aſsertore Galeno 1. ad Glauc. cap. 14. Siquidem cum nihil eorum, quæ in corpore noſtro fiunt, factaue ſunt, abſque cauſa ſit, eodem Galeno pluribus in locis auctore 4.de Placitis Hippocr. & Plat.c.4. 5.& 1.Meth.7. vtique morbus nunquam è corpore profligabitur, niſi cauſa,ex qua pendet, auferatur. Doctè ideò dixit Herophilus,oportere Medicum, quæ, qualis, & quanta ſit morbi cauſa, antè cognoſcere,quàm de aliquo remedio cogitet.Quis enim morbus curabitur vnquam,niſi cauſa remota?Hæc autem remoueri non poteſt, niſi cognoſcatur. Quare meritò ſcriptum reliquit Hippocrates in lib.de Arte: Medicus,qui ſuffecerit ad cognoſcendum, idem ſuffecerit ad ſanādum. Priuſquam tamen ad internas efficientes huius affectus cauſas me accingam, vniuerſaliores palèm facere decreui, in quibus tandiu progrediar, quandiu ſumma huius morbi cauſa deprehendatur. Summam voco Ariſtotelem ſecutus 2. Phyſ. t. 38. quæ proximè affectum attingit, ſeu immediatam. Reliqua enim tria cauſarum gene-

genera, quæ Ariſtoteles inſtituit, naturali relinquam, effectriceſq; tantùm, quæ ſolæ ad curationis modum dignoſcendum ſatis eſſe creduntur, omni ſtudio percurram. Nam & Leonicenus teſtatur in Præfat. Ar. par. eſſe Galeni conſuetudinem per cauſam ſimpliciter, efficientem tantummodo intelligere. Illud quidem verum eſt huiuſmodi cauſas materiales etiam eſſe poſſe. Nam vt ſunt ſubiectæ qualitatibus deferendis materiales, vt impediunt naturales effectiones, efficientes erunt. Eas veteres in antecedentes, & coniunctas partiti ſunt. Quod ſi Galenum cauſas omnes expendere obijciat aliquis, dicatur id ipſum efficere ſolùm in Medicinæ Theoria, ſeu contemplatione, vix autem in Therapeutica, vt fecit Auctor libelli de renum affectibus. Per Medicinæ verò Theoriam illud in hoc loco intelligi velim, quod alio nomine physiologia appellatur, quæ humani corporis naturam ex profeſſo exponit, in qua genera quatuor cauſarum expenduntur. Ad rem. In primis igitur diluendum à nobis eſt, an in Deum reijcienda ſit Epilepſiæ cauſa, vt ab eo ſemper tale genus morbi hominibus immittatur. Fuere enim vel Hippocratis tempeſtate (ſi modò ipſius eſt liber, qui de Morbo ſacro inſcribitur) qui Epilepti ci morbi ſæuitiam, magnitudinemque, qua cæterorum morborum naturam longè ſuperare videtur, animo, menteq; voluentes, ad irã Dei illũ referebant, vt non medicinalibus auxilijs, ſed expiationibus tãtũ curari poſſe autumarent: Quæ opinio, eodem Hippocrate auctore, non aliunde, quàm ex ignoratione naturalis Epilepſiæ cauſæ ortum habuit, quæ tamen etiamnum hodie vulgo veriſimilis eſſe videtur, eò quod morbus multitudine, & vehementia ſymptomatum mirabilis ſit, & ab alijs longè diuerſus; cuius affectus origo, inquit Aretæus lib. 1. cap. 4. cum mirabilis, & præter hominum opinionem ſit, flagitioſis hominibus à Luna immitti nonnullorum opinio fuit. Verùm qui à Luna oriri talem affectionem putant alia ſe ratione tuentur, ob quã etiam ad rei naturam multò magis accedunt. Non modò autem ægritudinem hanc, ſed alias etiam ab iratio Deo nobis obſcænè viuentibus inferri quidam exiſtimant, licet eas potiſsimum, quæ latenti qualitate, a totaq;, vti vocant, ſubſtantia, corpora noſtra corrumpunt, quorum ſententiæ fauet Auicenna lib. 11. Metaph.

ab

ab initio, dùm ſcribit Epidemiam à Deo propter peccata immitti, & Celſus lib. 1. cap. 1. auctoritate Homeri, à quo diſci poſſe refert, morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab ijſdem opem poſci ſolitam. Inſuper ex Sacris literis, quarum auctoritas inſtar omnium eſſe debet, paſsim deprehenditur morbos ab omnipotenti Deo hominibus immitti. Vnde in lib. Paralipom. 2. cap. 21. legitur Ioram Regem, quòd populum à Dei lege auertit, fratreſq; ſuos occidit, Deo ipſo ita volente, correptum eſſe alui languore inſanabili, quo tandem ad tabem, interitumq; deductus eſt; Quamplures alij in adductis literis recenſentur, quibus à Deo immiſſæ ſunt ægritudines, quos ego breuitatis ergo prætermitto. Iure igitur Eccleſiaſticus cap. 38. Qui delinquet in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus Medici. Non eſt in ciuitate malum, cecinit Propheta, quod non fecerit Dominus. Quamobrem ex peccatis, Deo ita permittẽte, morbi naſcuntur, vt & aliæ omnes miſeriæ. Spectant hùc verba illa Iſaiæ 14. Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creãs malum. Dominus noſter ei, quem ſanauerat, dixit. Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ad hanc ipſam in morbis occultis cauſam reſpexiſſe Hippocratem nonnulli arbitrãtur 1. Progn. 7. dùm ſic ſcriptum reliquit. Et ſi quid in morbis diuinum habetur, illius diſcere prouidentiam Medicum oportet. Vbi per diuinum haud eam aeris conditionem, quæ ex calido, frigido, humido, ſicco modum excedentibus prouenit, ſicuti Galenus enarrat, ſed aliquod aliud illa aeris conditione longè, latèque præſtantius, innuere Hippocratem affirmant, nimirum proprietatem quandam morbificam hominibus ignotam penitus, ſoliúſque Dei arcanæ menti reſeruatam, quæ ab eodem ad ſcelera humana infrangenda ſuſcitetur. Deus ergo morborum cauſa. An ab eo ſolùm erit petenda ſubleuatio, Medicorum neglectis auxilijs? Quotidie tamen videmus ægrotantes multos iãiam morituros mirabilis artis ſuffragio ab Orci faucibus eripi, ac vitali ſpiritu donari. Præterea Eccleſiaſticus ipſe teſtatur loco cit. Medicum creatum eſſe ab Altiſsimo, hortaturq; ægrotantes in infirmitatibus dare locum Medico, quoniam eius opera ſunt neceſſaria. Apud quem pariter non ſecus, ac præcepit Galenus 7. Meth. lectum eſt:

Si

Si coactus fueris in edendo multum, ſurge, & euome, & non adduces corpori tuo infirmitatem: Quibus verbis ſignificat Deum velle à morbis hominem liberari per hanc nobiliſsimam artem, quam in humanæ ſalutis cuſtodiam, ac reparationem creauit. Quid igitur ſtatuendum hac in re? Pro indubitato habetur apud omnes Deum eſſe primariam cauſam, à qua cæteræ pendent, nihilq; hac in mundi machina fieri, aut moueri, citra primi mouentis voluntatem. Etenim Dei nutu gubernantur omnia, eumq; propterea ſingularum rerum effectorem vnuſquiſq; cui ſit ſana mens, agnoſcit, ac profitetur. Sic enim entia omnia nihil aliud eſſe, quàm Dei ſciẽtiam dicebat Themiſtius, cui & Auerroes aſſentitur 3. de Anima. Ita pariter de Deo ſentire Hippocratem aſſeuerabo, dùm cunctarum rerum humanarum cauſam ad Deum referendam monet, nec non cùm dixit de Nat. mulieb. per initia, in lib. de Moderat. A Medicis vniuerſa Deo attribuenda. Verùm ſecũdas cauſas produxit, quas etiam ita diſpoſuit, vt proprios motus agere permittat, quibus ſimiliter vti ipſum manifeſtè apparet, quoties aut in vindictam, aut ſalutẽ morbos immittit. Sic etiam Tobiam hirundinis ſtercore excæcauit (Tob. cap. 2. & 11.) cui paulò poſt viſum reſtituit, præſcripto ex felle piſcis collyrio, quem piſcem illum fuiſſe nonnulli arbitrantur, quem Callyonimum Græci appellant; de quo Galenus, & Plinius verba fecerunt, 10. de Simpl. med. 12. lib. 32. cap. 37. Quare Medicus, qui vt Medicus vltra elementa nõ quærit, à ſecundis cauſis tantummodo ægritudinum originem petit, non negans quandoq; Deũ ad ſcelera humana punienda morbos inferre, ita tamen, vt abſque naturali cauſa illud non efficiat: qui Medicus propterea circa proximam naturalem cauſam potiſſimum verſatur, qua ablata, morbi etiam tolluntur. Vnde Auicenna de Melancholia pertractans in apertum quædam affert, quæ hic libenter appono, quoniam ad rem noſtram omnino faciunt, contra eos qui à Dæmone comitiale morbum ſuſcitari contendũt, vt fruſtra Medici laborent circa naturalem eius cauſam; Quibuſdam ait Medicorum (Fen. 1. tract. 4. cap. 18.) viſum eſt, quòd Melancholia contingat à Dæmonio, ſed nos non curamus cum Phyſicam docemus, ſi illud contingat à Dæmonio, aut non contingat, poſtquam dicimus quòd ſi contingat à Dæmonio, tunc contingit

ita

ita vt conuertat complexionem ad choleram nigram,& ſit cauſa eius propinqua cholera nigra, deinde ſit cauſa illius Dæmonium, aut non Dæmonium. Morbi igitur omnes, mea ſententia, nedum melancholicus, aut Epilepticus quoties humanum corpus, vel iubente Deo, inuadunt, naturalem cauſam habent, vnde gignantur, qui aliter ſtatuunt, è Medicorum numero ſunt diſpungendi. Nam preterquam quòd artem Medicam nobis à Deo traditam è medio tollunt, in eo etiam videntur verſari errore, cuius Moyſem Galenus vt Phyſicus inſimulat 11. de Vſu par. 14. De pilorum enim generatione, imò rerũ omniũ natura Moyſes, vt diuinus homo potius, quàm Phyſicus diſcurrens, in Deum ſemper cauſam referebat. Cuius vitij maiori cum ratione Epicurum quoq; idem Galenus reprehendit, qui omnia in materiam reijciebat, ſecundis cauſis poſthabitis, in quibus ea, quæ fiunt, ſuas habere rationes, nemini dubium eſſe poteſt. Non deerunt fortaſſe, qui contendant eatenus morborum cauſam Deum vocari, quatenus vnà cum cauſis ſecundis, vt ad quamlibet actionem præſtãdam, ita ad morbos gignendos actu concurrit, quemadmodum vnanimiter aſſerunt Theologi, vnde quorundam Philoſophorum dogma emanauit, ſecundas cauſas non agere, niſi actu concurrente prima, propriè q; ac ſimpliciter cauſas non eſſe, ſed inſtrumenta primæ cauſæ duntaxat, veluti arbitrati ſunt Platonici, quorum ſententiam videre eſt apud Simplicium 2. Phyſic. t. 29. & Card. Beſſarionem lib. 6. cap. 2. contra Plat. calumniatorem. Verùm ita philoſophantium opinioni minimè acquieſcunt Peripatetici, aſſerentes Deum ſuis legibus deſcripſiſſe naturam, vt externo duce non indigeat, qui propterea naturaliũ effectuum cauſam dici Deum noluerunt, & ſecundas cauſas propriè, & abſolutè tales appellant, quia licet à prima cauſa dependeant, ex quo Platonicis cauſarum nomen eis non abſolutè concedendum viſum eſt, in ſuo nihilominus genere perfectam obtinent (ſic vocant) cauſalitatem. Quare ab his ægritudinum non tàm origo, quàm medela à Medico eſt indaganda; illud quidem obliuiſci non debemus, arti noſtræ vſq; adeo fidendum non eſſe, vt tota ſpes ſalutis in ea poſita ſit, quemadmodum enim Deus in morbis inferendis, cauſis vtitur ſecundis, & pro eorundem curatione ad medica deſcendere remedia non

gra-

grauatur, ita & nos vnà cum ægrotantibus ipſis a Deo ſemper, & ante omnia opem poſcere debemus, eò magis, quia vt Meſue ſcripſit in Prol. Solus Deus languores ſanat. Sic enim Galenus vouit Aeſculapio à quo ſeruatum ſe mortali apoſtemate laborantem fatetur in lib. de Lib. prop. Et Plin. lib. 19. cap. 1. multifariam ab oraculis Medicinam peti ſolitam ſuo tempore refert. Ita etiam Strabo lib. 8. aduerſa affectos valetudine in Epidaurici Aeſculapij templo pernoctare ſolitos affirmat. Alioqui neq; Medicus, neq; æger optatum finem conſequentur, exemploq; ſint nobis Ezechias, & Aſa Reges, quorum prior, Deo ita iubente, ſanatus eſt ab Iſaia, admoto ex caricibus cataplaſmate, de quo fit mentio lib. Regum 4. cap. 10. ad hunc modum; Dixitq; Iſaias: adferte maſſam ficorum, quam cum tuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt. Poſterior autem ex ingenti podagræ dolore, à quo prius circa triennium excruciatus fuerat, vitam cum morte commutauit, quia vt legitur lib. Paralip. 2. cap. 16. neq; in infirmitate ſua quęſiuit Deum, ſed magis in Medicorum arte confidit. Hippocrates tamen cùm dixit. Si quid in morbis diuinum habetur, illius diſcere prouidentiam Medicum oportet, vix adduci poſſum vt credam, illum diuini voce quidquam aliud ab illa aeris conditione, cuius ab eodem multis in locis fit mentio, ſignificare, dicant quicquid velint Manardus, Fernelius, Valeriola, alijque iuniores auctores, quorum acerrimum iudicium vt non cõtemno, ita nec Galeni ſententiæ antepono. Hanc ipſam opinionem eò libentius amplector, quò video Hippocratem nullibi ægrotantium cauſam in Deum refundere: Imò in eo quem de Sacro morbo ſcripſit Commentario (ſi tamen Hippocr. eſt lib. ille) quamplura leguntur ad eorum ſententiam conuellendam, qui in Deum morborum cauſam reijciunt. Vbi etiam illos ſummoperè increpat, qui diuinum iccircò morbum Epilepſiam vocant, quòd in ſe diuinitatem habere cogitant, cum tamen nulla in re diuinior alijs exiſtat, ſed naturam habeat, quam etiam cæteri morbi, & cauſam, vnde alij ſimiliter gignuntur, qui certè ſi diuinior eſſet alijs morbis, omnibus indifferenter illum contingere, neq; diſcrimen inter bilioſos, & pituitoſos fieri oporteret, pituitoſis enim natura oboritur, bilioſis verò nequaquam. Nos tamen ſi morborum originem non ſolùm vt Phy-

ſici,

ſici, ſed etiam vt Chriſtiani piè cōſiderantes, haud ſemel morbos à Deo immitti ad humana delicta caſtiganda affirmabimus; quo ſenſu dici poteſt Epilepſiam, quæ adeò horribilis ægritudo ab omnibus tenetur, interdum Omnipotentis Dei excandeſcentia homines aggredi, vt illi fortaſſe contigit, cuius fit mētio apud D. Marcū cap. 9. hiſce verbis. Et attulerunt eum, & cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumās. In terram enim elidi, ac volutari, & fieri ſpumam circa os, certiſsimas eſſe Epileptici morbi notas vel ruditer in arte verſato luce clarius cōſtat. Ex quibus omnibus elicere vnuſquiſq; poteſt, quàm magno ſint in errore hi, qui Epilepſiæ, cæterorumq; morborū cauſam ad Deum ita referendam contendunt, vt cauſis naturalibus poſthabitis in Deum ſemper reijcienda ſit, neglectis pariter Medicorum præſentaneis auxilijs, ad quæ, neceſsitate cogente, confugiendum eſſe Deus ipſe præcepit in Eccleſ. Tandem hac de re ſtatuendum omnino eſt, quod ab Hippocrate pronuntiatum legitur in lib. de Inſomnijs. Nam ſomniorum coniectores falli dicens, eo quod omnia ad Deos referebant, quorum tamen inſtitutum damnare nolebat, ne contra pietatem faceret, vt nec etiam probare, ne ars, quam ibi profitetur, ſuperuacanea haberetur, in apertum hæc verba profert: Oportet Dijs inuocatis nos quoque aliquid operæ in medium afferre.

An Luna ſtatuenda ſit Epilepſiæ cauſa. Lect. XIII.

QVI Epileptici affectus cauſam ad Lunam referūt, ingenio præpollentes Viri, ad rei naturam mihi multo magis accedere videntur, quàm qui in Dæmonē reijciunt. Permagna enim vis eſt Lunæ hoc in morbo gignendo, vt pleriiq; alijs etiā, qui illius motum inſequuntur. Tanta ſiquidem eſt ſupercæleſtium corporum in hæc inferiora vis, atque facultas, vt quælibet illorum immutatio nos ipſos non parum afficiat. Quā rem ſignificare voluit Ariſtoteles. 1. Meteor. dicens Mundum hunc inferiorem ſuperioribus lationibus contiguum eſſe, vt inde omnis eius virtus gubernetur. Cuius quidem contiguitatis ratio-

nem afferens D. Thomas in Com. tradit corpora cæleſtia inferioribus contigua eſſe oportuiſſe,quia impoſsibile eſt locum eſſe vacuum,necnon quia niſi ſe tangerēt huiuſcemodi corpora, ſuperiorum vis inferioribus non communicaretur. Oportet enim quòd agens corporale tangat paſſum,& motum ab ipſo.Horū verò corporum adinuicem connexio fit per aerem nos ambientem , qui à ſupercæleſtibus corporibus alteratus;nos quoq; alterat,immutatq; veluti ex temporum viciſsitudine,varia, diuerſaq; locorum natura,& demùm ex varia hominum forma,temperie,morumq; diſſimilitudine,pro varietate climatum, aſpectuumq; cæli cuius conſtare facilè poteſt. Quis eſt enim adeò mentis expers,qui continentem in ſuam craſim contentum immutare quotidie non obſeruet? Multi namq;motus,vel auctore Philoſopho 8.Phyſ. in hominibus fiunt a continenti,hoc eſt ab aere ,& cælo. Quam rem optimè vidit Hippocrates in De aere,aquis, & locis, vbi etiam hæc verba profert. Deprehendes vt plurimum hominum formas , & mores ſequi naturam regionis.Quò alludens Iulius Maternus lib. & cap. Aſtronom. 1.Quædam gentes,ait,à cælo ita formatæ ſunt . Quare etiam hinc factum fuiſſe quidā volunt,vt apud Scythas vnus tantum Philoſophus euaſerit,nempe Anacharſis,Athenis contra plurimi. Attica enim Regio , affirmante Platone in Timæo ab initio , ob aeris temperiem prudentiſsima ingenia,omniumq; virtutum genere prę cæteris excellentia procreat. Talis eſt enim ſpiritus vocatus animalis , qualis qui nos ambit aer , nam eius generatio ab aere quoque pendet , qui ſpiritus pro craſſiori , vel tenuiori aeris qualitate,ita ſegnior, aut vegetior ad animæ opera præſtāda euadit,exemploq;ſint nobis duæ contrariæ temporis conditiones,auſtralis nempe,& borealis,in vna quarum animantes hebetiores, in altera acutiores ad quasuis cùm animi,tùm corporis actiones obeundas efficiuntur. Sic ergo ingenij præſtantia multo magis antecellunt hi, qui in tenui degunt cælo, vt Athenienſes,quàm qui in impuro,vt Boeotij.Vnde Galenus;Scimus,inquit 6.Epid. Com.8. Thebis craſſum, vt in tota Boeotia, Athenis tenue cælū fuiſſe,ideò ingenio acutos Atticos, craſſo Thebanos fuiſſe commemorant. Hinc Pindarus cum vellet ſuam Poeſim ornare laudibus, quòd eā calumniam ægrè ferret infligi Thebanis de ingenij tarditate, ac

pro-

proinde Boeotij ſues dicerentur, ita loquitur: Boeotiũ vitabimus ſuem. Sed hæc pauca obiter, ad Lunam reuertor. Quæ quidem inter cæleſtia corpora maxime omnium (excepto Sole) in terrenis rebus afficiendis, ac permutandis principatum obtinet, tribus præ ſertim de cauſis à Ptolemæo relatis; prima eſt propter viciniam, ſecunda quia in Luna virtutes omnes mouentium ſuperiorum continentur, tertia demùm quia, ex lumine a Sole accepto, quaſi Sol alter efficitur: quarum quidem cauſarum quæ poſtremo loco adducitur, probabilior mihi videtur: lumine enim potiſsimùm agit in noſtra corpora, quod a Sole ipſo accipit, vnde Luna ab Ariſtot. minor Sol appellatur. Imò idem cẽſet 4. De gener. animaliũ c. vlt. Lunã calefacere, & ſiccare, vt Sol ipſe, eo verò minus, quo repercuſſum lumen recto debilius eſſe par eſt. Hinc merito luminis fit, vt Luna humiditatibus præeſſe dicatur, quæ quidem augentur, & minuuntur, prout augetur, & minuitur Lunæ lumen. Quare Auicẽna lib. 1. Fen. 4. c. 21. augetur, inquit, cerebrum augeſcente Luna, decreſcit decreſcente; flumina quoque, & maria, quæ alterne fluũt, ac refluunt, creſcente lumine Lunæ intumeſcunt, detumeſcunt decreſcente. Qui de Agricultura ſcripſerunt, vnanimiter omnes agricultoribus præcipiunt, vt arbores decreſcente Luna putent, quòd eo tempore minus humiditate ſcateant, qua etiam cauſa ligna tũc inciſa minus ſentire cariem teſtantur. Conchylia pariter ad Lunæ lumen variari tradit Mirandulanus in Prænot. ipſaque docet experientia. Nam per Lunæ coniunctiones, & humor, & calor per exiguus in illis eſſe fertur, quæ augeri, & pingueſcere tunc ſanè incipiunt, cùm Luna circa quadraturas verſatur, poſt quod tempus magis etiam augentur vſque ad Lunæ plenitudinem. Quam rem pariter fatetur Ariſtoteles 4. De gen. animalium, & cum eo Plinius lib. 2. cap. 41. qui ad hunc modum loquitur: Iam quidem lunari poteſtate oſtrearum, conchyliarumq; & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui conſtat. Aelurorum ſimiliter oculi ampliores fiunt, augeſcente Luna, vt Gellius refert, apud quem Lucillius

Luna alit oſtrea, & implet echinos
Muribus fibras, & pecudi addit

Itaque conſtat humorem omnem cum Luna moueri, nimirum

S 2 illa

illa augeſcente, augeri, decreſcente verò, deficere: ſed hoc intelligendum eſt de omni humore vtili, ac alimentali, quem ſemper auget Lunæ lumen: moderatum enim calorem rebus afferens nutritionem fouet, alimentiſq; replet, id quod efficit cùm lumine lucet, tempore verò interlunij, cùm luce prorſus caret, imminuuntur quidem vtiles, ſed inutiles procreantur ſucci, humiditaſq; excrementitia tunc magis redundat, ob defectum caloris, vnde muliebria decedentibus menſibus potiſſimùm apparent. Notum eſt enim vi luminis, quod a Sole accipit, Lunam calefacere, rerumq; omnium calorem fouere; lumine quidem non per ſe, ſed ex accidenti, quatenus videlicet luminis comes eſt ignis ob analogiam. Ex quibus facile eſt intelligere vnde ſit quod qui Epileptico affectui ſunt obnoxij, interlunij tempore ferè ſemper a morbo aggrediuntur, & fortaſſe etiam ratio elici poteſt, quamobrem interlunio concepti, editiue comitiales euadant, ſi modò vera eſt nonnullorum de huiuſcemodi re ſententia. Quandoquidem Luna tempore, quo lumine exuta, atque orba eſt, quod alij interlunij, alij ſilentis Lunæ appellant, calore cuncta priuat, quem alijs temporibus ad res omnes fouendas, & nutriendas per lumen immittit, ideò frigus adaugetur, fiuntq; in nobis crudiores humores, quales ſunt pituitoſi frigidi, & humidi, à quibus etiam lædi ſe tunc ſentiunt, qui rheumatibus obnoxij eſſe ſolent, qua in re ſanè primas ipſe fero, adeo imbecille cerebrum à primordijs ſortitus ſum. Sic ergo comitiali morbo ab humore pituitoſo addicti, in Lunæ cum Sole coniunctione, quam ſæpè acceſſione tentantur, frigida illa, excrementitiaq; humiditate in cerebro adaucta, ac in eiuſdem ventriculos elapſa. Quòd verò eodem tempore vel in vtero concepti, vel in lucem editi, talem ægritudinem reliquo vitæ tempore patiantur, vt Serenus Medicus his verſibus teſtatum reliquit:

Ipſe Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ
Conceptum talis, quem ſæpe ruina profudit;

non in prauam aliquam, & occultam Lunæ facultatem referendũ puto, ſed in eandem potius cauſam, nempe luminis Lunę priuationem, cuius gratia fit, vt tunc omnia quæ ſub Luna iacent, maximis afficiantur alterationibus, veluti quæ per id tempus fiunt frequentes, magnæq; mutationes, & crebri, qui ſentiuntur, ventorũ flatus,

vehe-

vehementeſq; pelagi tempeſtates apertiſſimè oſtendunt. Ex Ariſtotele modò conſtat 4. De gener. animalium varias temporũ mutationes, ob diuerſos ventorum flatus, ad immutandam in deterius rationem conceptus, vim maximam habere, vt etiã varia menſiũ, nedum annorum tempora, quæ quidem ad animantiũ generationem commutandam, inſignem facultatem obtinere, ex eo manifeſtum eſſe tradit, quòd non parum refert, an Luna creſcẽte, aut decreſcente conceptio fiat. Quare non eſt à ratione alienum in interlunio, quo tempore tã varia, tamq; naturæ noſtræ inimica tẽporis conditio incrudeſcit, infantis vel in vtero concepti, vel recens editi cùm membra alia, tùm caput in primis debilius reddi, quod poſtea vitæ curſu præ imbecillitate excrementitios humores tùm congerat, tùm etiam aliunde a fortioribus mẽbris tranſmiſſos facilè recipiat, qui cerebri ventribus communicati Epilepſiam pariũt. Hęc de interlunio ſatis probabilia mihi videntur, ad plenilunium conuertatur oratio. Siquidem hoc tempore etiam Epileptici inſultus exacerbantur, multiq; morbis è fluxione laborant, veluti nos ipſa docet experientia. Cõtra tamen (ſi licet ſenſum ratione impugnare) non vulgaris ratio ſtare videtur; nam ſi Luna à lumine vim habet calefaciendi, profectò quò plus luminis habet, eo plus etiã caloris in inferiora refundit, quod Ariſt. pariter affirmat 4. De part. animal. c. 5. plenilunij noctes tepidiores eſſe ſcribens, calor aũt humiditates abſumit potius, quàm adauget, ergò in plenilunio, quo tempore vberiorem ex ſe lucẽ Luna refundit, nulli videntur gigni poſſe frigidi, & humidi affectus, nedum Epilepticus. Reſpondendũ Lunam per lumen calefaciendi, & ſiccandi vim habere, quare eo diminuto, aut ablato meritò augẽtur humiditates, defectu ſcilicet ignis, quod in interlunio contingit. Verùm hoc non impedit quo minus eadẽ etiam plena humidas paſſiones augeat, non quòd frigida, & humida, vt perperam quidam volunt, qui Lunæ naturam frigidam, & humidam eſſe cenſent, veluti Saturnũ frigidum, & ſiccum, Martem calidum, & ſiccum, ac Iouem calidum, & humidum, ſed quòd Lunæ luminis vtpote reflexi tepidus ſit calor, vnde plenilunij noctes tepidiores; talis autem calor plus fundere, ciereq; humores ſolet, quàm abſumere, atq; ita humores auget, ac mouet, vt tepidum balneum, & verni temporis calor concretam humiditatẽ

eliquare ſolent, & in hoc differt Lunæ calor à Solis calore, quòd hic calidior cum ſit, non plus fundat, quàm abſumat, atque reſoluat. Quam rem Plinius de Luna diſſerens, lib. 2. cap. 9. his verbis explicauit; ideò mollior, & imperfecta vi ſoluere tantum humorē, atq; etiā augere, quē Solis radij abſumant. Quò reſpiciēs Hermolaus Barbarus In comp. natur. ſcien. lib. 2. quid quod, ait, idem aſtrum diuerſas vires habet, & repugnantes propemodum? Luna enim & lumine calefacit, vt in plenilunio experimur: tunc enim calor eſt auctior, & humectat maximè, atque refrigerat; Quamobrem hoc etiam Lunæ aſpectu comitiales a morbo aggredi non eſt rationi diſſonum, eliquatis à tepido Lunæ calore cerebri humiditatibus. Illud quidem prætereundum nullo modo eſt, cum duplici ab humore per eſſentiam, verèq; talis Epilepſia oriatur, pituitoſo nimirum, aut melancholico, plenilunij tempore eos potiſsimùm cadere, quorum morbus ab ipſa melancholia pendet, in interlunio verò eos, quibus ex pituita contingit affectio; ſic & in fœminis melancholico ſanguine refertis purgationes in plenilunio magis irritantur, ac fluunt, in pituitoſis verò, quibus ſanguis crudior eſt in interlunio, ratioq; affertur, quoniam pituitoſi humores frigidi adeò ſunt, vt niſi magno calore, qualis Lunæ nō eſt, nō fundantur, frigore verò intenſo magnopere augeantur; melancholici autem cum adeò frigidi non ſint, quippe qui per calorem tales euadunt, vel moderato calore funduntur, & eliquantur, frigore autem non augentur, ſed compeſcūtur potius, atque ſedantur, vnde fit, vt qui huiuſmodi humoribus abundant, deterius habeant in plenilunio, qui verò illiuſmodi in interlunio. Perſæpè tamen accidit, vt hoſce Lunæ aſpectus Epilepſia non expectet, vt nec menſium exitura, quam multis ter in menſe citari compertum eſt, pro ſuperflui ſanguinis copia, & qualitatis ratione, irritata facultate expultrice naturali, nam & Epileptica inuaſio pro copia pituitoſi, atriue humoris in cerebro ex praua victus ratione redundantis, nullo ordine iam expoſita Lunæ tempora inſequens frequenter apparet. Ita vt demùm, qui hanc Lunę facultatem in comitiali morbo promouendo inter externas, & procatarcticas cauſas hunc affectum præcipuè excitantes connumerant, ſummoperè commendem, contra verò non parum reprehendam, qui Epilepſiam quoquo

tem-

tempore, & modo fit, Lunæ ſyderi acceptam perpetuò referunt. Atque hic imponatur præſenti Lectioni terminus.

De proximis Epilepſiæ cauſis. *Lect.* XIIII.

HACTENVS explicitæ ſunt cauſæ vniuerſaliores Epilepticæ ægritudinis, nũc verò ad eiuſdem proximiores accedendum eſt, è quibus verę eliciuntur curandi indicationes. Vniuſcuiuſq; igitur affectionis duplex eſſe cauſarum diſcrimẽ ſtatuit ipſe Galenus 1. Meth. quorum alterum eſt cauſarum, quæ in animalis corpore reperiuntur, internas vocant, quarum etiam duplicem conſtituunt differentiam, aliæ enim efficientes, aliæ præparantes dicuntur; alterum verò eſt cauſarum, quæ forinſecus adueniunt, externæ appellantur, ac procatarcticæ, quæ quidem in ordine cauſas vniuerſaliores paulò ante allatas ſtatim inſequi debuiſſent, ſed inferius, vbi de curatione huius affectus agetur, ſermonem de illis facere opportunius viſum eſt. Nunc enim ad internas efficientes orationem conuertam, quibus diligenter expenſis, atque examinatis, de pręparantibus diſſerere difficil e non erit. Cum duæ verò ſint efficientes, immediatæq; Epilepſiæ cauſæ, quarum altera primariò fieri in cerebro ſolet, alia conſortij lege quadam, vel à ſtomacho, vel ab alia corporis parte enaſcitur, ab ea nunc exordiar, quę cerebrum afficiendo per eſſentiam morbum gignit. Statuo igitur vnà cum Galeno, Paulo Aegineta, bonaq; Medicorum parte, efficientem Epilepſiæ cauſam nullam aliam eſſe, quàm frigidum, craſſum, ac omninò viſcidum humorem cerebri ventriculos medium, maximèq; poſtremũ affatim, ac derepente obſtruẽtẽ, vt ſpiritui animali, quo minus expandi poſſit, aditus intercludatur. Obſtructio enim, Galeno auctore 3. De ſan. tuen. c. 10. ex lentis, craſſiſq; excrementis oritur, cùm cõfertim aliquò ruunt. Quemadmodum namq; Auer. 3. Col. c. 40. haud fieri poſſe Epilepſiam probat, niſi a vapore, quia citò fit, & citò etiã deſinit; ſic vice verſa Galenus tradit eam neceſſariò fieri ab humore frigido, & craſſo, quia citò fit, & citò quoq; ſoluitur, de qua & infra vberius cùm Auerrois opinio examinabitur. Quoniã

verò craſſi, frigidiq; humores in duplici ſunt differentia, pituitoſi nempe, & melancholici, ideò rectè dictum eſt à Galeno 3. De loc. aff. c. 6. quòd vt craſſus pituitæ ſuccus, ita & is, qui atræ bilis naturam poſſidet, Epilepticum morbum ſolet efficere, vbi in meatibus ventriculorū cerebri retinentur, ſiue is medius ſit, ſiue poſtremus. Quare idem Auctor 1. Aph. 45. affectionem hanc cum apoplexia conferens inquit: Epilepſia proxima quodammodo eſt morbo, quē apoplexiam vocant, cum idem locus in vtroq; patiatur, idemq; humor in cauſa ſit: frigidus enim, & craſſus eſt humor ambobus. Cōſtat igitur Epilepſiæ per eſſentiam ortæ efficientes cauſas pituitam in primis eſſe, ac melancholiam, eo quia ſua craſſitie, & viſcoſitate obſtruendo, replendoq; ventriculos cerebri, ſpiritibus viam intercludunt, quominus in omnia corporis membra deferantur. Quæ tamen ventriculorum obſtructio ſic intelligenda eſt, vt non ex toto ventres illi oppleantur, ſed maiori ex parte, aliter enim apoplexia potius, quàm Epilepſia fieret, veluti ſuperius in prioribus Lectionibus demonſtraui. Nunquid autem ex ſanguinis etiam, ac bilis ad cerebri ſinus affluxu fieri poſsit Epilepſia, quemadmodum ſentire videtur Auicenna 1. ter. tract. 5. c. 8. dubitatur à plurimis, quòd morbum hunc efficientes humores frigidos eſſe, & craſſos neceſſe ſit. A ſanguine tamen ſincero extra venas effuſo gigni aliquando poſſe Epilepticam paſſionem prȩter Auic. ſcriptum quoq; reliquit Hippocrates 1. Pror. 38. neque id puto negaret Galenus. Sed hoc fieri non niſi rarò crediderim, quoniam ſanguis non ita frequenter è venis egreditur, & ſi egreditur, ac in cerebri ventres tranſmittitur, grauiora potius ſymptomata inuehit, nimirum omnimodam ſenſuum, motuſq; priuationem, animales ſpiritus omninò corrūpens. Sanguis enim ſtatim ac è venis egreditur, amplius in ſui natura non permanet. Inſuper ſanguis abſq; pituita, aut flaua, aut atra bile fluens, tenuis eſt, talia autem obſtructionem parere apta non ſunt. Probabilior tamen eſt hac in difficultate Mercati opinio, de qua alibi. Quòd verò etiam bilis ipſa per ſe hunc affectū producere queat, vix adduci poſſum, vt cum Auicenna cenſeam. Nam præterquam quod huic ſententiæ repugnat Hippocrates ipſe lib. De ſac. morbo qui bilioſis Epilepſiam nunquam contingere ſcribit, quamplures etiam afferri poſſunt rationes, quibus talem

ægritu-

ægritudinem ab humore bilioſo ſincero haud fieri poſſe conſtat. In primis enim bilis, nec frigida eſt, nec craſſa; ſed calida, ſicca, & tenuis, vt videre eſt apud Galenum pluribus in locis 1. De temp. 9. De morb. cau. c. 6. Calidi verò proprium eſt, quæ eiuſdem ſunt generis coniungere, quæ diuerſa diſiungere, & ſegregare, apud Ariſt. non vno in loco 2. De gen. & corr. t. 2. & Meteor. 4. Quare ſi ad cerebrũ perueniret bilis, tolleret potius quæ ipſi cerebro aduerſa eſſent, quàm vt eadem augeret, ab eo nempe humores ſegregando alienos, & quia etiam calidum craſſa extenuat, concoquit, diſcutit, atque diſſoluit Galeno affirmante 5. Aphor. Com. 22. Inſuper ſi cerebrũ petit huius generis humor, affectus ab Epileptico omninò diuerſos producit, vt sũt vel Phrenitides, vel cephalalgias cerebri meninges ſua tenuitate, ac mordacitate vellicando. Cũ. n. huiuſmodi humor partium ſit maxime tenuium, fieri haud poſſe videtur, vt partes cerebri laxiores ita affatim occupet, vt Epilepſiã pariat; nam ratione ſuæ tenuitatis obſtructioni reſiſtit, quam quidem ex craſſis, lentiſq; humoribus, aut excrementis oriri ex Galeno ſupra oſtendimus, quæ verò tenuia ſunt, & calida, tantum abeſt vt obſtruant, vt potius reſerant, atque deobſtruant. Quin etiam bilis ex ſua proprietate habet, vt in membra molliora non impingatur, quod ex Galeno patet 4. De præn. ex pulſibus cap. 8. Demùm ex iam relatis abundè conſtat Epilepſiam fieri ab humoribus cerebri ventriculos obſtruentibus, quod pręſtare non poteſt bilis ratione ſiccitatis ſuæ, quia ex mente Philoſophi humiditas eſt, quæ craſſitudinem efficit. 1. De gener. & cor. t. 2. Sed bilis potentia non eſt humida, quamuis ſecũdum ſpeciem humida appareat De different. morb. 2. propter quod iure proditum legitur a Galeno, De plenit. c. 11. ſola bilis nullum plenitudinis inſeparabile ſymptoma, vt neq; tumorem, & grauitatem efficere poteſt. Ex quibus manifeſtè patet quàm vehementer lapſi ſint Rondeletius, Hollerius, & cum his alij pariter, vt Riolanus Medicus Pariſienſis, penes quẽ forſitan religio fuit a viris Gallis diſſentire. Fallitur etiam Valleſius qui 7. Epidem. Com. 83. ſcribit apoplexiam ab omni fieri humore, cum a bile flaua, quæ tenuis humor eſt, gigni nullo modo poſſit, vt nec etiam Epilepſia. Non ergo a bile ſincera comitialis ægritudo fiet, licet ab Auicenna dictum ſit, ab omnibus, quibus

con-

conſtamus,humoribus illam progigni.Niſi forſitan pro Auicenna dicatur non ſimpliciter eius verba accipiẽda eſſe, ſed per illũ fieri ſymptoma hoc ex cunctis noſtri corporis humoribus, nõ propriè, & ſingulis per ſe,verùm potius inuicem commiſtis; & bilẽ profectò cæterorum humorum eſſe veluti vehiculum , quo tam in cerebrũ, quàm in alias corporis partes promptius,ac celerius deducantur, Medicorum ambigit nemo.

Auctorum magni nominis de cauſa efficiente Epilepſiæ ſententia refertur, & confutatur.
Lect. XV.

QVænam ſit proxima,imò efficiẽs idiopathicæ Epilepſiæ cauſa,nõ multò antè à me oſtẽſũ eſt,dùm ex mente Hippocratis,& Auicennæ ſanguinem nõ niſi raro,plerumq; autẽ, iuxta Galeni,Pauli, aliorũq; dogmata frigidos,craſſos,viſcidoſq;humores pituitoſum nempe, ac melancholicum, vbi ſpirituum meatus in cerebri ventriculis offarciunt,comitialem inſultum procreare affirmaui. Verùm contra hanc ſententiam acerrimè ſtat ampliſſimorum Virorum auctoritas, de cauſis immediatè Epilepſiam producentibus, aliter, ac fecerit Galenus,diſſerentium. Hi verò ſunt Ariſtoteles,de quo inferius,eius Commentator Auerroes,Auctor lib. De flatibus, ac demùm Fernelius, qui omnes in eo potiſſimùm mihi videntur diſſentire a Galeno, quòd quam ipſi afferunt cauſam , eam ſemper , & perpetuò Epilepſiam parere volunt,vt vna, eademq; huius morbi cauſa perpetuò de illorum ſententia,ſtatuenda ſit. Quæ opinio,vt pote quæ tùm Galeno , tùm cæteris omnibus Medicis repugnat , omninò eſt improbanda . Quare,vt ab Auerroe exordium ſumam, putat Phyſicus egregius Epilepſiæ cauſam eſſe, ita vocant,ventoſitatẽ fumoſam, cui pro materia ſint frigidi, & humidi humores , id quod de Epilepſia tam per eſſentiam, quàm per conſenſum genita intelligit . Sed Auetrois verba, ex quibus eius rationes eliciuntur, hùc afferre oportet;habentur autem ad hunc ſanè modum lib. 3. Coll. c.4. Et illud quod ſignificat nobis, quod non fit propter humiditatem

nerui

nerui, nec propter ipſius infuſionem, eſt propter ſubitam ipſius diſſolutionem, & de neceſſitate eſt, quod humor faciens hoc ſit ſubtilis, & quod paroxiſmus eius citò tranſit, ſicuti fit in ægritudinibus acutis. Sed quia videmus pro maiori parte, quod qui patiuntur hanc ægritudinem, ſunt frigidi, & humidi, ſicut pueri, aut frigidi, & ſicci, ſicut ſenes, & vniuerſaliter, quia hæc accidentia apparent ſuper frigidos pro maiori parte ſignificat, quod cauſa ægritudinis eſt humor groſsus, ſed contradicit nobis hoc, quod humor groſſus non citò diſſoluitur, ſiue decurrat per ſtrictos meatus, ſiue per latos, ſicuti dicit Galenus, quia diſſolutio non eſt aliud, quàm dominatio naturæ ſuper humorem, ipſum decoquendo, vt retineat quod eſt conueniens nutrimento, & aliud expellat, & hoc non fit in humore groſſo, nec in eo quod eſt groſſus niſi longo tempore, ſicut teſtatur experientia in ægritudinibus, & nos videmus quod citò diſſoluitur hic humor, & ob hoc dicendum eſt, quod hæc ægritudo non fit niſi propter fumum qui generatur in ipſo cerebro, vel in alio membro, quod ipſum ei tranſmittit. Sicut dicit Galenus de iuuene illo, qui ſentiebat quod quaſi quidam fumus factus aſcenderet ab vno membro ad cerebrum, & quando perueniebat illuc, cadebat Epilepticus, & hoc accidens ſufficiens eſt ad probandum quod cauſa huius ægritudinis eſt ventoſitas fumoſa, ſed iſta ventoſitas neceſſariò communicat humoribus frigidis, & humidis, & iſti humores iſti vento ſunt veluti materia, & propterea curatur hæc ægritudo euacuando illos humores. Hactenus Auerroes. Herodotus verò, ſeu quiſquis ille fuerit libri De flat. Auctor, nam Hippocratem non eſſe, hac potiſſimùm cauſa adducor vt credam, ab aere nos ambiẽte morbum hunc perpetuò fieri ſcripſit, dùm aer ſcilicet plurimus per omne corpus vniuerſo ſanguini fuerit permixtus; tunc enim, ait, multæ fiunt oppilationes multifariã per venas omnes, cumq; in craſſiores, & pleniores sãguine venas aer prodierit, progreſſuſq; diutius maneat, ſanguinis curſum prohibet, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat; alicubi adhuc tardius; qua ſanè inæqualitate tranſitus ſanguinis per corpus facta omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt. omne enim corpus vndequaq;

deq; ac q; contrahitur, ac turbatur, nimirum corpore partes ſuas ad tumultum, & conturbationem ſanguinis ſubminiſtrante, contingunt que ex ſanguinis peruerſione totius corporis ſubuerſiones. Eo enim, quo corripiuntur a morbo, tempore, neque ſentiunt quicquam, neque audiunt quæ dicuntur, neque vident quæ fiunt; neque vllos aliquos dolores percipiunt. Sic namque aer conturbatus ſanguinem turbauit, ac conſpurcauit. Hæc ille.

Poſtremò Ioannes Fernelius venenatam qualitatem, quę totius ſubſtantiæ inimicitia cerebrum acriter feriat, ſemper Epileptici affectus cauſam eſſe, experimentis quibuſdam oſtendere nititur. Inquit enim de cauſa Epilepſiæ loquens 2. De abd. rerum cauſ. c. 15. Non alia profectò videtur quàm eius, quę per conſenſum. Vt enim aliquando obſeruauimus è ſummo capitis vertice, in quo ſub pericranio vitiatus, venenatuſq; humor cohercebatur, vaporē manifeſto ſenſu intrò ſubire, qui Epilepſiam concitaret, hancq; poſtea à cauſtico medicamento perſanatam, ita proculdubio exiſtimari debet intus, vel circum meninges, vel circa cerebri ſubſtantiam, vitium contineri veneni æmulum, cuius ex interuallis impetu facto Epilepſia ſuſcitetur. Aperto Epileptici Philoſophi, qui deceſſerat, capite, qui vehementiſſimo, eoq; ferè perpetuo dolore vix digitum lato circa ſinciput torquebatur, deprehendimus craſſiorem meningem ea ſede caluæ oſſi adhæreſcere, pauculo humore putri interiecto. In altero cerebri ſubſtantiā humorem fętidiſſimum, eumq; exiguum continere. Vtriuſq; tamen ventriculos, & meatus omnis humoris, omniſq; obſtructionis expertes. Multos ipſe ſcio vidiſti inde Epilepticos euaſiſſe, quòd in curanda lue venerea dùm vnguentis ex hydrargyro illinerentur, nonnihil in aurem, & in cerebrum penetraſſet. His ne quæſo dicas cerebri ventriculos humore multo impleri, & obſtrui? Minimè quidem, ſed ipſum corrupti hydrargyri pernicie laceſsiri. Talem igitur & in omni alia Epilepſia cauſam exiſtimato, atque ſi quid aliquando putridi humoris ineſſe deprehendatur, non ex ipſa putredine, ſed ex venenata, quam concepit, qualitate hoc mali ſuſcitari. Itaque quocumque in loco corporis is fuerit, venenatus illinc vapor in cerebrum ſublatus, id ipſum, meningeſq; totius ſubſtantiæ inimicitia acriter ferit.

Effer-

Effertur autem ex interuallis haud ſecus; atque in febribus intermittentibus,& in rabie,& in alijs pleriſque morbis, quorum eſt ſtata recurſio. Cerebrum proprij veneni offenſione interdum ab omni mentis,ſenſuumq; functione vacat, vti & cor in ſyncope, interdum ſe ipſum,vniuerſumque corpus quatiens adnititur offenſionem excutere, non aliter quàm cor palpitans. Hucuſque Fernelius. Supereſt modò ſummorum Virorum rationes expendere, & veræ ne ſint, an non, diligenter inquirere. Animaduertendum igitur eſt Epilepſiæ cauſam, quam ipſi afferunt, eſſe quidem veram,at non ſimpliciter,& vſquequaque,vt Epilepſia cuiuſcunq; ſpeciei exiſtat, ab vna, eademq; cauſa proueniat. Non ſimpliciter autē dixi propter Auctorem lib. De flatibus; Nullo etenim modo,vt ab eo nūc exordiar,aerem per ſe morbum hūc producere poſſe crediderim. Siquidem cum tres Epilepſiæ differētiæ tradantur,quarum alia eſt à cerebro,exiſtente in ipſo affectione,alia à ſtomacho,propter vapores ad caput aſcendentes, alia demùm à parte aliqua corporis propter auram maligniorem,veneni que æmulam,ſurſum per partium continuitatem elatam,ab aere ambiente nulla ex relatis Epilepſiæ ſpeciebus procreari poteſt. Non ea quæ primogenio affectu in cerebro naſcitur, quoniā tam Epilepſiæ obnoxios,quàm alios indifferenter huiuſcemodi affectio corriperet, omneſq; eodem morbo animantes, nedum homines torquerētur,quando cunctis animalibus aerem inſpirantibus, eodemq; viuentibus ſanguis ab aere venas ingreſſo conſpurcaretur. Nec ſanè obſtat quod aiunt, aerem eatenus huius morbi cauſam eſſe, quatenus in venas ſanguine pleniores ingreſſus, ibi diutius manſerit, quoniam ad diem multi plurimo ſanguine abundantes reperiuntur, quorum venas aer ingreditur, qui tamen Epileptici nunquam cadunt. Præterea quòd ambiens aer nullam ex alijs Epilepſiæ ſpeciebus progignere queat,vnicuiq; patet. Nam ea quæ cōſortij lege quadam a ventriculo procedit,à vaporibus ex illa parte in cerebrum delatis,quæ verò ab alia corporis parte fit,à ſpiritu quodam veneficam qualitatem adepto,per quandam partium cōtinuitatem eidem cerebro communicato, non ab aere nos ipſos ambiente generatur. Quòd ſi vnà cum Auctore lib. De flat. velimus aerem aliquem habere locum in Epileptico morbo producēdo,

do, quod etiam Rondeletius videtur concedere in Met. cur. morb. dicamus aerem idipſum non ſimpliciter efficere, ſed quatenus imbecilliori capiti extrinſecus occurrens modò frigidos, & humidos humores pro ſui qualitate adauget, modò eoſdem in cerebro contentos colliquat, eadem nempe ratione, qua, vt nos pulchrè docet Aphrodiſeus Probl. 1. prob. 86. Sol his, qui caput habent pituita plenum, ſomnum conciliat, humore videlicet fuſo, quo deinde cerebri ſinus replentur. Quod autem ad Auerroem ſpectat, profectò eius ratio nihil aduerſus Galeni ſentẽtiam cõcludit, vt mirer neotericos quoſdam magni nominis tantopere illius Viri auctoritatem hac in re commendaſſe. Tota enim vis argumenti ab eo allati in hoc poſita eſt, quòd morbi à craſſis, frigidis, lentiſq; humoribus, quales pituitoſi ſunt, ac melancholici, Epilepſiam de Galeni mẽte producentes, diuturni, longiq; temporis creãtur, a quibus propterea comitialẽ inſultũ, cuius velox eſt diſcuſſio, fieri nõ poſſe cẽſet, verùm potius à vaporibus genitis ab ea materia frigida, & craſſa, quæ obſtruere ex ſe non poſſet. Cui tamen ego pro Galeno reſponſum velim, rem multo aliter ſe habere, ac ipſe exiſtimat. Conſtat enim idcircò Epilepticam acceſſionem citò fieri, & citò etiam decedere, quòd à craſſis, viſcidiſq; humoribus cerebri ventres obturantibus gignitur, qui tamen breui temporis curriculo a valida cerebri concuſſione excernuntur. Tunc enim magnum naturæ conatum molitur, materiamq; infenſam a ſe longè nititur excutere Si quidem hoc in ſymptomate, vtpote à quo præceps mors imminet, natura præparationi non incumbit, vt prius cõcoquat, deinde ſecernat, tãdem impetum ad excretionem faciat, vt eidem mos eſt in alijs morbis, quorum ſalubris ſperatur euentus, qui quidem à frigida, craſſa, viſcidaq; materia in venis ſtabulante producuntur. In his enim excretio ante coctionem nunquam prodeſt, ſed quàm celerrime poteſt ad rei nocentis expulſionem impetum facit. A vapore autem generatur illa comitialis morbi ſpecies, quæ a ventriculo ipſi cerebro communicatur. Igitur non omnis Epilepſia erit à vapore, quemadmodum putat Auerroes. Accedo tandem ad ipſum Fernelium, qui omnem Epilepſiam venenatam eſſe cõtendit, ſed experimenta, quibus clariſsimus Vir ſuam de hac re ſentẽtiam fulcire conatur, nihil aliud efficere mihi vidẽtur, quàm illam Epilepſiæ

lepſiæ ſpeciē,quæ à parte aliqua enaſcitur,confirmare.Cuius mor bi tamen duæ aliæ tradūtur differentiæ, quarum altera ab ipſo ce rebro,a materia in eo mēbro cōtēta, altera verò à ſtomacho,propter halitus ſurſum adſcendētes,originem ducit. Nam quod affert vitiatum,venenatumq;humorem ſub pericranio coactum inueniſſe,ex quo vapor intrò ſubiret,Epileſiamq;concitaret,quis eſt adeò lippis oculis,qui non videat hoc pacto genitam Epilepſiam ad illā differentiam eſſe reducendam,quæ à parte aliqua corporis ortum habet? Fieri enim poteſt,vt in capite humor quidam putrefactus ac vitioſus,vel ex ſe,vt in alijs etiam noſtri corporis partibus ſæpiſſimè contingit, vel caſu, percuſſioneue aliqua coadceruetur, qui Epilepſiam accerſat,veluti de exemplis,ac obſeruationibus à Fernelio allatis dicendum omnino eſt. Addit etiam ad ſuam confirmandam opinionem,multos inde euaſiſſe Epilepticos,quòd in curanda lue venerea,dùm vnguento ex hydrargyro illinirentur,non nihil in aurem,& cerebrum penetrauit; cuius quidem hydrargyri pernicie cerebrum laceſſitur,& in Epilepticam acceſſionem incurrit,vnde conſtat,inquit,abſq; vlla obſtructione cerebri ventriculorum Epilepſiam gigni.Nos quoque,qui Galeni partes tuemur,nō negamus,ſi aliquid vnguēti ex hydrargyro parati in cerebrū per aurem,aut aliquam aliam partem intret, poſſe Epilepſiā venenata ſua qualitate concitare,ſed non ſine ventriculorum cerebri prę infeſta reuitanda, conniuentia, dicat quicquid velit Fernelius, cui neq; hac ipſa ratione vna tantum Epilepſiæ cauſa ſtatuenda erat, nam & hæc ad illam differentiam, quæ fit per conſenſum,referēda eſt.Abſit igitur, vt hæc omnem Epilepſiam venenatam eſſe confirment,veluti perperam autumat ipſe Fernelius. Vnde potius amplectenda eiuſdem Fernel.opinio,quā lib.6.c.3.De par.ſympt.affert: magis enim congruit cum Galeni mente. Nam cedit tres dari huius morbi differentias, in quibus præter cauſas manifeſtas, venenata etiam, & cerebri ſubſtantiæ grauiter infenſa qualitas reperitur. Quare hiſce omnibus ad hunc modum ſolutis, non video cur per ea à Medicorum Principe Galeno decedere debeamus, qui cuncta vſq; adeò doctè,& exactè rimatus eſt,vt qui contra loquūtur, etſi rectè ſentiunt,tamen propter audaciam à cœtu Medicorum excludi debeant.

Ari-

Ariſtotelis opinio de ſomni, ac Epilepſiæ cauſa expenditur. Lect. XVI.

DICTVM eſt ſuperius Ariſtotelem quoque Epileptici morbi cauſam vnam tantummodò eſſe ſignificare, cùm ſcilicet putauit in lib. De ſom. & vig. eandem eſſe Epilepſiæ cauſam, quã de ſomno tradidit, vapores ſurſum in caput elatos, qui ab ingeſto alimento euaporant, dùm ab altrice facultate, quæ ſomni tempore, ob caloris ad interna regreſſum, ſummopere viget, alimentum concoquitur. Qua in re Philoſophum videtur imitari voluiſſe Auerroes. Hanc autem Epilepſiæ cauſam ab Ariſtotele traditam, ſi quis vtiq; in omni genere Epilepſiæ veram eſſe contendet, magno in errore profectò verſabitur. Alioqui enim temerè à Galeno, alijsq; ſummis Medicis, quibus hac in re fidendum magis eſt, quàm Philoſopho, tres Epileptici morbi ſpecies conſignatæ fuiſſent. Quòd ſi aliquando ab huiuſmodi vaporibus hoc ſymptoma fieri cõtingat, ad illam Epilepſiæ differentiam referendum erit, quæ conſortij lege quadam à ſtomacho prouenit. Ita vt ſi ſummi Viri verba ſuperficiatenus intelligantur, iure proditum ſit ab Auicenna Fen. 1. ter. tract. 5. c. 8. Et vidit Ariſtoteles ventum groſſum retentum in tranſitibus ſpirituum, eſſe vnam cauſarum Epilepſiæ. Sed rem diligentius examinare, & Ariſtotelis ſententiam de ſomni, ac Epilepſiæ cauſa exactius expendere oportet. Ille ergo cogitat ſomnum fieri à vaporibus vi caloris in ingeſti alimenti elaboratione genitis, & ad cerebrum elatis, ibiq; in humorem conuerſis ab ipſius cerebri frigiditate, quod membrum tactu (vt ipſe autumat) frigidum ſentitur ea, prorſus ratione, qua pluuiam ex vapore ſurſum vi Solis attracto in aere frigido fieri conſtat, qui humor grauis factus, deorſum pellitur, ac per venas deſcendens calorem verſus cor repellit, illud ipſum refrigerans. Vnde per antiperiſtaſim ſomnus, inquit, oboritur. Ab hac eadem cauſa, & hoc eodem pacto fieri Epilepſiam innuere videtur, dùm eam ſomno ſimilẽ eſſe tradit, & propterea in ſomno magis, quàm in vigilia patientes adoriri, vt & pueros potius, quàm ſenes, quòd

ſcilicet in puerili ætate vniuerſum ferè alimentum in ſummas partes efferatur. Verùm iuxta Medicorum placita multifariam hac in re deceptus eſt Philoſophus. Siquidem falſum eſt quod ab alimenti euaporatione sẽper & ſomnus,& Epilepſia producantur, quemadmodum ipſe exiſtimare videtur. Vnde Galenus Philoſophũ hoc in loco claudicaſſe teſtatur 1. De ſymp.cauſ. c. 8. Quantũ enim ad ſomnum attinet, ſi Hippocratis, & Galeni præcepta inſequi volumus, ſomnum, atq; vigiliam non niſi pro caloris intus, foriſue motione fieri putandũ eſt, indeq; ſomni cauſam, non in alimenti euaporationem, ſed in caloris, ſpirituumq; reuocationem reijciendã, quod bona Medicorum pars tenet, vt qui calor, ſpirituſq; in vigilijs defatigatus, ac ferè conſumptus eſt, in ſomno reſtauretur, atq; reficiatur. Ita enim cenſent non modò Galenus, Auicennaq; ſed etiã Auerroes. Ita etiam Cardanus vocauit ſomnum ſanguinis, & ſpiritus quietem, qua in re non tam peſſimè ſe geſſit, quàm putauit Scaliger De ſubt.exerc.314. Ad quorum quidem opinionem corroborandã quamplures afferuntur rationes ab his, qui data opera hanc materiam explicandam ſuſceperunt, quamuis, vt ingenue fatear quod animo sẽtio, vapores etiã ab alimẽtorũ coctione elatos ad ſomnũ conciliãdũ neceſſarios eſſe crediderim, veluti ab ita ſentiẽtibus adducta argumẽta, quibus & ipſa fauet experientia, diffusè oſtẽdunt, cũ qua ſententia congruit etiã Gal. in lib. De plen. 11. & Aphor. 2. Com. 3. Idcirco ſumma cum ratione dictum eſt a Hieronymo Fracaſtorio 2. De intell. ſomnum ab vtraq; cauſa originem habere, aut ab euaporatione multa grauante, & opplente ſedem animæ, aut fatigatis membris, atq; ſpiritibus. Quãtum verò ad Epilepſiã ſpectat, in ſuperioribus Lectionibus ſatis ſuperq; probatum fuit, a vapore craſſo cerebro a ventriculo communicato eã ſæpè produci, at non perpetuò vapor Epilepſiã parit, vt, quocunq; tempore inuadit, a vapore ſemper gignatur, quando aliæ duæ traduntur magni morbi differentiæ, quæ à vapore non producuntur. Inſuper nec ea, qua Philoſophus cenſet, ratione vapor Epilepſiam progignit. Illud enim percipere vix poſſum, vapores, qui ſomnum, & Epilepſiam ſunt conciliaturi, in humorem prius verti oportere; nam fieri haud poſſe arbitror, vt huiuſmodi vapores in humorem à cerebro commutẽtur eo modo, quo pluuia in media aeris regio-

ne ex vaporibus fieri exiſtimatur. Quandoquidem aeris illa regio actu frigida eſſe perhibetur, cerebrum verò perperam ab Ariſtotele actu frigidiſſimum eſſe proditur, vt tale etiam tangentibus appareat. Siquidem veluti ſupra, vbi etiam tueri Philoſophum conati ſumus, ex Galeno, imò ſenſu ipſo, quem ob rationem dimittere, imbecillitas eſt intellectus, eiuſdem Philoſophi ſententia 7. Metaph. abundè oſtenſum fuit, nullum in cerebro viuentis animantis frigus exuberat, quinimò actu calidum perſentitur. Fieri ergo non poteſt, vt vaporem ſua frigiditate denſet, ac in humorem conuertat eadem illa ratione, qua pluuiam gigni affirmat. Quòd ſi Ariſtoteli concedatur, vapores ab alimentis in cerebrum elatos, inibi condenſari, vt in vaſe fit, quod vulgò alembicum vocant, in cuius cuſpide halitus coit, & in aquam vertitur, cũ tamen pars illa actu calida ſentiatur, non propterea dicendum eſt ſomnum, Epilepſiãq; ex alterius partis, quàm cerebri meatuum, per quos animales ſpiritus in ſenſuum domicilia effunduntur, obſtructione creari. Quæ quidem obſtructio ſi fit mediocris, ac ex vaporibus è ſucco vtili elatis ortum ducens, ſomnum; ſi verò nimium pertinax, magnaq; ac ex ſucco vltra modum craſſo excitata, ſenſuum ligationẽ præter naturam, ac minimè ſalutarem, vt Epilepſiam, apoplexiamque infert, pro maiori, minoriue craſſorum vaporum copia. Non miror autem Ariſtotelem de loco, in quo hæc fiunt, ſecus ac Medici fecerint, ſentire, quippe qui primum ſenſorium, cuius vinculum ab eodem ſomnus dicitur, in corde reſidere; contra communem Medicorum omnium ſententiam, qui ab experientia ipſa edocti illud in cerebro collocant, conſtanter affirmat. Ex quo variè poſito fundamento, oritur abſq; dubio de loco ſomni, Epilepſiæq; controuerſia, quam conciliari poſſe nunquam putauerim. Sed nemo eſt, qui hac ſaltem in re Medicorum ſententiam Ariſtotelicæ non anteponat; nam ſi ita ſe res habet, ac Philoſophus ipſe cogitat, cur obſecro remedia ad ſomnum conciliandum capiti, non cordi adhibentur? Quare meritò Galenus Archigenem reprehendit, quòd vt a Peripateticorum ſchola non diſcederet, cor commune, & primum ſenſorium appellabat; principe tamen male affecto, capiti, non cordi proſpiciebat. Quod verò tandem Philoſophorum Princeps ad patefaciendam ſimilitudinem ſomnum inter, ac Epilepſiã

ver-

verſantem, ſcribit noctu magis, quàm interdiu patientes affligere id mali genus, adeò quotidianæ experientiæ repugnat, vt in eam ſententiam venerim, illum non de Epilepſia propriè ſumpta loqui, ſed alio affectu potius, noſtro adeò ſimili, vt incipiens Epilepſia appellari poſſit. Hic autem à Græcis ephialtes, à Latinis incubus dicitur, quo malo correpti inuadi ſe ab aliquo, & magno pondere opprimi, & ſuffocari imaginantur. De cuius quidem ſymptomatis eſſentia, & cauſis, vt etiam affecta ſede in eodem, tot reperio ſententias, quot hi ſunt, qui de illo ſcripſerunt. Poſſidonius enim apud Aetium lib. 6. c. 11. à vaporibus craſſis cerebri ventriculos obſtruẽtibus, ideòq; ſpiritus animales per neruos ferri prohibentibus originem ducere putabat, à qua ſententia haud procul eſſe videntur Paulus, & Aetius. Sed horum Virorum auctoritati iuniores Medici minimè acquieſcentes, inter eos alij in venarum thoracis plenitudinem huius affectus cauſam inde referendam exiſtimant, quòd thorax totius mali origo videatur, grauiuſq; cæteris laboret. Sic Hollerius, & Rõdeletius. Alij potius, vt Fernelius acceptã referunt hãc ipsã affectionẽ craſſiori pituitę, aut melancholię circa pręcordia coactæ, qua præ crapula, & ventriculi cruditate turgeſcente, diaphragma, pulmoneſq; premuntur; craſſo autem vapore illhinc in fauces, & cerebrum elato, vox ſupprimatur, mens cum ſenſibus obturbetur, viſiſq; triſtibus offundatur. Alij demùm hiſce omnibus neglectis longè diuerſa de hoc ſymptomate pronunciant. Quidquid tamen ea de re ſit, illud certè conſtat incubum in limine ſomni ſemper inſæuire, quo tempore calor in intima reuocatus à ſubiecta materia vapores valentius educit, necnon etiam reſpirationem in eo oblædi, id quod nulla alia ex cauſa euenit, quàm ex ſpirituum animalium inopia, præ qua thoracis muſculi liberè eleuari, dilatariq; minimè poſſunt, vnde in grauitatis noxam, & ſuffocationis periculum thorax incurrit. Ex his ergò factum eſt, vt putauerim ego de incubo Ariſtotelem verba facere, nõ de Epilepſia. Ille enim re vera noctu magis, vt ipſe ſcribit, quàm interdiu fieri ſolet, non Epileptica paſſio. Inſuper alludens arbitror ad læſam reſpirationem incubo oppreſſi tradit multum ferri ſpiritum ſurſum; qui deſcendendo rurſum venas tumefaciat, indeq; meatum coarctari, quo ipſa fit reſpiratio; Verùm aliquis obijciet Philoſophum

Epilepſiam non incubum nominare. Sciendum à vobis eſt ſimilitudines vel ſapientiſſimos viros fallere. Vnde veriſimile fit Ariſtotelem quoq; deceptum fuiſſe hac in re, propter amborum ſymptomatum affinitatem. Memini enim me legiſſe apud Galenum in lib. De vſu reſp. ephialtam eſſe veluti quandam in ſomno Epilepſiam, cum eadem perpetiantur incubo affecti, dum quieſcunt, quæ comitiali morbo correpti, dum vigilant, Aetio, & Paulo teſtibus. Et hæc ſunt quibus ipſe adducor, vt cenſeam Ariſtotelē, quidquid dicat de generationis modo, & affecta ſede, non de Epilepſia, ſed de incubo affectu illi admodum ſimili, in iam allato loco ſermonem feciſſe, a qua ſententia ego antè non diſcedam, quàm quis probabiliorem excogitarit.

Epilepſiam & in acutorum, & chronicorum morborum ſeriem cooptari poſſe oſtenditur. Lect. XVII.

QVoniam à frigido, craſſoq; humore, qualis pituitoſus eſt, ac melancholicus Epilepſiam plerunq; fieri non multò antè ſtatuimus, iure aliquis veſtrûm inter chronicas, non autem cum Galeno 5. Aphor. Com. 3. incer celeres, & acutas paſſiones, hanc ipſam recenſendam fore exiſtimabit. Quandoquidem craſſos, frigidoſque humores diuturni temporis morbos, & qui non niſi longo temporis curriculo tollantur, vt è cõtra tenues, calidoſq;, breues, & qui ſua tempora celeriter permeant affectus producere, conſtanter omnes affirmant. Vt hi etenim præ ſui tenuitate leui negotio, ac breuì euincuntur, ita illi præ ſui craſſitie, atq; lentore partibus patientibus quàm tenaciſſimè adhærent, qui propterea ad hoc, vt concoqui, aut diſcuti omnino poſſint, multum tẽporis expoſtulãt. Hinc ſingulis morbis celeritatem æſtas, tarditatem hyems affert. nam bilis tenuior, calidaq; in ęſtu, pituita craſſior, & frigida in gelu abundat. Iuxta quam ſententiam dictum eſt ab Hippoc. 2. Aph. 25. Aeſtiuæ quartanæ breues, autumnales verò longæ, & maximè quæ hyemẽ attingunt. Ex his ergo aliquis fortaſſe cõcludet Epilepſiã in diutinarũ paſſionũ ſeriẽ cooptari debere: ſed rectius qui ea de cauſa potius, quia nõnullis vel ab ipſa infantia incipit, quos ad

vlti-

vſq; diem, per interualla tamen, diſtorquet, quam propterea diutinam paſſionem vocauit Hippocrates in lib. De ſac. mor. & Galenus 5. Aph. 78. & Celſus lib. 3. cap. 23. non modò longam vſq; ad mortis diem, ſed & vitæ haud periculoſam eſſe ſcribit. Ego tamen inter celeres etiam, & acutos morbos Epilepticum adhibendum fore crediderim, vt paulò inferius ratione, ac auctoritate fretus demonſtrabo. Interim enim, vt rem clarius explicem, de morborum acutorũ natura quędã pauca ſunt prælibanda. Acutos igitur morbos appellamus, quicunq; præterquàm quòd celeriter mouentur, ac ad proprium terminum properant, ſtatim etiam coniunctam magnitudinem habent. Quorum quidem acutorum morborum plures differentiæ traduntur a Galeno 2. De dieb. decret. 12. vnde eos diuidẽs tradit quoſdam acutos eſſe, quoſdã peracutos, hoſq; rurſus in exactè peracutos, quibus quarta dies fatalis eſt terminus, & peracutos non exactè, qui in ſeptimum vſq; diem proferuntur, idẽ ſubdiuidit. Præterea inter acutos tradit alios eſſe exactè acutos, qui quatuordecim diebus iudicantur, alios nõ exactè, qui vſq; ad vigeſimum producuntur. Alij quoq; morbi ſunt, qui nondum chronici, ſed neq; acuti, niſi ex decidentia vocantur, qui vel quadrageſimum diem attingere poſſunt. Quod ſi harum differentiarũ exempla optetis, vobis ea pluribus in locis ſuppeditat Hippocrates, qui exactè peracutorum mentionem fecit 1. Aph. 7. hiſce verbis: Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores; nõ exactè verò peracutorum, cùm dixit 1. De regim. acut. 44. Sorbitionem dare oportet, neq; multam, neq; craſſam, ſed poſt ſeptimã, vel nonam ſi validus ſit. De exactè verò acutis ſermo ab eodem fit adhunc modum 2. Aph. 23. Acuti morbi quatuordecim diebus terminantur. Acutorum non exactè meminit 3. Progn. 3. dicens: Itaq; primus impetus hunc in modum finitur, ſecundus verò ad ſeptimũ producitur, tertius ad vndecimum, quartus ad decimumquartum, quintus ad decimumquintum, ſextus ad vigeſimum. Eorum tandẽ morborum, qui ex recidiuatione, aut decidentia acuti appellãtur, mẽtionẽ facit per hæc verba. 1. Prog. tex. 25. Spirationis facilitatẽ exiſtimare oportet, perquam magnam vim habere ad ſalutem in omni morbo acuto, qui cum febre infeſtet, & quadrageſimo die iudicetur. Verùm non modò temporis præfinitione, ſed & motus

celeritate acuti morbi diffiniendi ſunt, quemadmodum nos docet Galenus 2. De dieb. decr. 12. vbi laudibus Archigenem extollit, quòd nõ ex ſolis nudis tẽporibus, ſed motu, & natura magis acutum, aut peracutum morbum vocauit. Quocirca non ex tempore tantum, ſed ex motu etiam morbos hoſce præfiniri iubet Galenus; quod ſimiliter proditum legitur ab eodem Auctore 3. De diebus decr. circa finem. Nam qui breui tempore terminatur morbus, nõ autem velociter mouetur, vt febris ephemera Græcis dicta, hunc brachicronion ideſt breuis temporis morbum, non acutũ vocant, cui contrarius eſt qui polichronios dicitur, quem diuturni tẽporis morbum Latini appellant. Acutus verò morbus licet breui tempore omninò terminetur, non hac tamen ratione acuti nomen ſuſcipit, ſed propter motus eius celeritatem. Ideò Galenus 6. Epid. ſect. 1. Com. 29. acutos, ait, morbos dicimus, quicunq; propria tempora vſq; in finem velociter pertranſeunt. Sed, vt ſuperius dicebam, acuti morbi non modò vigoris celeritate, ſed & magnitudine deſcribuntur, dicente Galeno 2. Aphor. 13. acutos morbos magnos eſſe, & ad ſummum vigorem celeriter feſtinare. At hic aliquis dicet, ergo mitis morbus magnitudinem habebit, quod à veritate alienũ videtur. Nã Galenus 1. De criſ. mitem morbum inter acutos enumerat. Scitote hoc eſſe aliquando veriſſimum, quod in praxi ipſa ſæpiſſimè apparet, vt qui paruus eſſe morbus videtur, magnus exiſtat; qualitate occulta potius, quàm vitio manifeſto patientes affligens, vt propterea dictum ſit à Galeno; febrium quieti haud eſſe fidendum, quoniam paruæ, ac debiles febres interdum valdè malignæ ſunt; quare non vndequaq; vera eſt mitis morbi definitio a Galeno tradita in Medicin. defin. nempe mitis morbus eſt, qui nequaquam hominem tollit, ſiue exitioſus efficitur. Plerumque tamen acuti morbi magnitudinem præſeferunt, vt in Epilepſia ipſa contingit, quæ quidem paſsio meritò inter acutas connumeratur, nam & celerem habet motum, & vnà etiam cõiunctam habet magnitudinem. Quod verò celerrimè iudicetur, ex eo conſtare poteſt, quòd Auicenna 1.4 tract. 1. c. 3. principium, quod in omni ægritudine inuenitur, in Epilepſia non aliter, ac in ſynocho febre, & apoplexia occultari tradidit. Quandoquidem dum primùm incipit horum affectuum acceſſio, ita ſtatim augmẽtum ſubit, vt iam

in

in ſtatu eſſe videatur. At ſecus rem ſe habere, ac Auicēna ſcribit, quiſpiam contendet, quoniam Galenus 1. De criſ. c. 4. Epilepticum morbum longi temporis principium habere teſtatur his verbis: Febris enim ardēs, & pleuritis, & peripneumonia breuis temporis initium habēt: Epilepſia verò, & iſchiades, & arthritis, & nephritis longi temporis. Si Auicenna de particulari Epilepſiæ principio, nimirum acceſſionis initio verba faceret, non autem de vniuerſali totius morbi, quemadmodum Galenus, facilis res eſſet ambos cōciliare, veluti non difficile eſt oſtendere eundem Galenum ſibi ipſi contrarium non eſſe, qui licet Epilepſiam longi temporis initium habere dixerit, eam tamen inter acutos morbos enumerat, quorū proprium eſt tempora quàm celerrimè permeare; nam illhic de vniuerſali, hic verò de particulari loquitur principio; quod quidē Epilepſia, vt quiuis alius affectus habet, ſed latens, & occultum adeò ſtatim ſubit incrementum. Verùm quia Auicenna quoque de vniuerſali morbi principio ſermonē facit, reſpondendum forſitan eſt, quòd quamuis tale principiū intelligat, & reuera illud habeat comitialis affectio, nihilo tamen habere non videtur; ſiquidem per acceſſiones incipit, quæ modò vehementes, modò mites, ac blādæ apparent, prout melius, deteriusue circa viuendi normā ſe geſſerit æger. Inde enim fit, vt præſentis ægritudinis tēpora metiri, & rectè percipere non poſſimus. Aliquando enim incrementum ſuſcipere, aliquando in ſtatu eſſe, aliquādo deniq; decremētū præſeferre videtur, nullumq; aliud Epileptici morbi tempus præter principiū comprehendi poteſt, idq; non alia profectò ratione, quàm ea, qua primæ acceſſionis initiū denotare ſcripſit Auicēna. Quod aūt Epilepſia, vt alij acuti morbi, magna ſit affectio, ignorat nemo, cui quoſnā morbos magnos Gal. appellet 4. Meth. 6. & alibi cōſpicuū fuerit. Trifariā. n. affectum magnū eſſe ſcribit, nimirū aut propter læſæ partis præſtātiā, aut propter affectus magnitudinem, aut demum quia cacoethes. Quibus omnibus magnus morbus vocari debet Epilepſia, nam cacoethes eſt, vt propterea inter Medicos non defuerint, qui à praua ſemper, & maligna qualitate illam fieri autumarint. Et Auenzoar ſanè peſſimum, ac horribilem humorem eſſe, qui hoc pathema efficit, memoriæ mandauit. Præterea eſt re vera magna affectio, vt indicant accidentia illam

concomitantia, quæ vel timorem ingentem aſpicientibus afferūt. In ſumma quis adeò vehemens & potens eſt affectus, qui huic in magnitudine faſces non ſubmittat? Vnde non immeritò Galenus 6. Epid. 6. Epilepſiæ Herculei morbi nomen à quibuſdam inditum iccircò putat, vt eius magnitudinem ſignificarent. Tandē magnus morbus dici meretur Epilepſia ob affectæ partis excellentiam; in quouis enim genere Epilepſiæ vtique cerebrum præſtantiſsima corporis noſtri pars, ac diuiniſſimum rationalis animæ domiciliū afficitur. Concludendum igitur eſt Epilepſiam tum chronicam, tum etiam acutam paſsionem poſſe vocari. Chronicam quidem non dicam materiei, ex qua plerumq; fit, ratione, ſed potius, quoniam quibuſdam ab ipſa infantia incipit, quos ad vltimum vſque finem inſequitur, acutam verò, quoniam acceſſio eius propria tem pora celerrimè percurrit, quoniamq; ſimul coniunctam magnitudinem habet, magna inuehendo ſymptomata. Et quia non leues afferri poſſunt rationes, quibus in acutorum morborum catalogum Epilepſiam haud referri debere videatur, quænam iſtæ ſint, & quomodo intelligendæ, in futura Lectione breuiter patefaciā.

Dubitationum contra habitam Lectionem ſolutio. *Lect. XVIII.*

IN proximè habita Lectione, Auditores, Epilepſiam non modò longum, diutinumq; ſed etiam acutum, celeremq; morbum appellari poſſe, plenè, arbitror, à me probatum fuit. Sed, vt adhuc plenius opinionem meam confirmem, obiectiones, quæ contra inſurgunt, Epilepſiam acutum morbum eſſe negantes, hac in Lectione quàm breuiſſimè ſoluam. Primum igitur illud obſtare noſtræ ſententiæ videtur, quòd de ratione acutorum morborum eſt, vt ſint cum febre continua, quemadmodum fatetur Hippocrates 1. De rat. vic. acut. 8. vbi tradit acutorum morborum neceſſariò febres eſſe continuas, ſed Epilepſia ſemper eſt abſque febre, licet quandoque cum febre ſuſcitetur apud Auic. Fen. 1. 3. trac. 5. c. 8. Id quod ſimiliter comprobari poteſt ex Galeno Prædic. Com. 3. qui ſcribit acutum morbum

magni-

magnitudine quadam intelligi, & febris aſsiduitate, quodque minimè tale repertum fuerit, & ſi quatuordecim diebus, aut his etiã citius terminetur, non eodem vocabulo cenſeri. Rurſus contra facit quod acuti morbi ex ſui natura periculoſi ſunt, & ſunt lethales vt habetur apud Hippocratem: atq; Galenum 1. Epid. t. 3. & 2. De dieb. decret. At Epilepſia, vt Celſus teſtatur, lib. 3. c. 23. non eſt vitæ periculoſa. Igitur in acutorum morborum numero reponenda non eſt. Demum dubitari poteſt in hunc modum. Epilepſia eſt ſymptoma; ergò neque acutus, neque chronicus morbus dici debet. Hæ ſunt tres haud omninò contemnendæ obiectiones, quibus aliquis in eam ſententiam deſcendere facilè poſſet, vt Epilepſiam ab acutorum ſerie diſpungendam fore cenſeret, id quod aſſertioni à me ſuperius allatæ prorſus aduerſari videtur.

Verùm nihil in oppoſitum concludere, nunc primùm, ordine mutato, paucis oſtendo. Futilis ſemper, & inanis eſt habita de nomine diſſenſio, perſpecta rei ſubſtãtia, vt propterea etiam num aliqua noſtri corporis affectio ſymptoma ſit, an morbus, diutius perquirere, ſuperuacaneum ſit. Quare ego ea tantum referens, quę ad rem facere videntur, dico Hippocratem, atque Galenum voluiſſe Epilepſiam eſſe ſymptoma, quæ tamen aliquando morbus, & ægritudo vocatur, vt ab Auicenna, Celſo, alijſque non paucis. Id quod ſcitote haud inconueniens eſſe, vt non eſt infrequens, morbum ſub generali ſymptomatis denominatione comprehendi. Eſt enim morbus ad quendam modum ſymptoma, & in hoc certè ambo conueniunt, vt ſint præter naturam, & in formis omnibus, quæ à naturali ſtatu ſunt immutatæ, conſiſtant. Quin certò ſcimus veteres Medicos ſub morbi nomine nõ ſolùm morbos ipſos, ſed cauſas etiã, & ſymptomata intellexiſſe. Ideò Philotęus in explanatione illius Aphoriſmi ſect. primæ, vbi legitur: Inſpicere itaque oportet tempus, & regionem, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat nec ne; ſcribit Hippocratem veteri conſuetudine morbi nomine intelligere cauſas, accidentia, & morbos. Hanc rem illud potiſsimũ roborat quod Gal. quos affectus vno in loco ſub nomine morbi appellat, eoſdem alibi ſub nomine ſymptomatis deſignat. Nam quodam in loco De ſympt. cauſ. cephalæam, quæ eſt diuturnus capitis dolor, difficulterq; ſolubilis, ſymptoma, tertio verò De loc. aff.

9. ce-

9. cerebri morbum vocauit. Vnde nec mihi vndequaq; probatur Alexandri Tralliani opinio cephalæam morbum, cephalalgiam ſymptoma eſſe dicentis: Vtraque enim paſsio licet hæc recentior, illa verò antiquior ſit, vtroque nomine iure comprehendi poteſt. Rectè igitur Epilepſia, & ſymptoma, & morbus dicitur, cuius aſſertionis alia quoque afferri poteſt ratio. Nam ſi Epilepſiam prout fit ex cerebri ventriculorum occluſione conſideremus, profectò erit morbus in via, quòd ſi prout in ea ablata eſt principalis cerebri facultas, inter ſymptomata generis noxæ functionum animalium reponenda omnino erit.

Ex quibus Epilepſiam meritò morbum dici abundè patet. Veniamus ergò ad aliam, quæ magis vrget, difficultatem, pro cuius ſolutione animaduertendum eſt, acutos morbos plerumque cum animalis internecione finiri, vt hac de cauſa Hipp. Medicum, qui in acutis excellat, magnopere commendet, dicatq; in hunc ſane modum De regim. acut. à principio. Maximè verò laudauerim Medicum, qui in acutis morbis, qui plurimos homines occidunt, præ alijs inſigniter ad meliorem partem excellat. Sed hoc non eſt ſimpliciter intelligendum de acutis omnibus, verùm de abſolutè, & exactè talibus, quos Hipp. acutiſſimos, maximos, grauiſsimoſq; appellat 1. Epid. Notum eſt enim tertianam febrem inter acutas ægritudines à quibuſdam non temerè connumerari, quæ tamē ex ſe periculo vacat; exactè ergo peracuti, nō autem ſimpliciter tales mortem plerumq; hominibus inferunt, qui fiunt parte aliqua principe phlegmone affecta, quales præcipuè ſunt pleuritis, peripneumonia, & angina, quorum morborum continuas eſſe febres Hippocrates cenſet. Epilepſia autem licet ſine febre inuadat, nihilo tamen aliquando adeò grauis, & vehemens eſt, vt ſuis percrebis acceſsionibus, ac eorum, quæ in ea fiunt, magnitudine ſtatim hominem iugulet, vt habetur apud Aeginetam lib. 3. c. 13. Quo in loco ſimiliter tradit pleriſque longam eſſe ſolere, quæ ſi pubertate, vel menſtruorum initio, vel puerperio ſoluta non fuerit, vel ſi poſt hoc tempus remanſerit, ſæpè vſque ad mortis diem prorogatur, niſi congruam Medici curationem fuerit aſſecuta. De hac Epilepſia intelligendus eſt Celſus dum vitæ haud periculoſam eſſe ſcribit, cum tamen ſæpè Epilepſiam patientes, & pueros

præſer-

præſertim vt nos admonet Hipp.in lib.De ſac.mor.interficere ſoleat,vt hac de cauſa non rarò ſit maximè lethalis. Qua ratione Gal. acutum, Auicenna peracutum morbum Epilepticum vocauit. Poſtrema dubitatio ſoluitur reſpondendo,non ſemper acutos morbos à Galeno dici,qui cum febre aſſidua infeſtant, ſed & qui febre penitus caret,cuius rei cauſa inde,arbitror,emanauit, quòd ille modò Archigenē,modò Hippocratem hac in re ſequutus eſt. Nam,vt ex eiuſdem Galeni verbis elicitur,acutos morbos eos eſſe dicebat Archigenes, qui periculum breui temporis mora afferunt; Hippocrates verò qui febre non deſtituuntur. Ideò idem auctor tradit febres continuas (2. Aph. comm. 19.) acutos morbos aliquādo comitari,aliquādo autem,ſed rarò, eoſdem morbos ſine febribus reperiri,qualis apoplexia,ac,addo ego, Epilepſia. Quamobrem Gal. in comm.illius Aph. 5. Aphor. 31. Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi perniciosum; ſiue, inquit, abſque febre alius quiſpiam morbus acutus fuerit, qualis apoplexia,Epilepſia,conuulſio,tetanus, morbi tum magnitudini, tum vehementiæ par grauida eſſe non poterit. Contra obijciet aliquis,Galenus ipſe 1. Aph.comm.8. ſemper febres acutos morbos comitari fatetur. Pro reſponſione dicatur idem quod ſupra, nō eſſe cuiuslibet acuti morbi, vt ſit cum febre,iuxta Hippocratis, & Gal.ſententiam,ſed eorum tantummodò,qui abſolutè tales exiſtunt, qui & febris aſſiduitate, & ſymptomatum magnitudine diſcernuntur, de quibus Hippocrates, & Gal. intelligendi ſunt quoties eos cum periculo, & febre continua patientes aggredi affirmant. Præter quàm quòd Hippocratis auctoritati reſponderi etiam poteſt,verbum illud ἀνάκη græcum, quod latinè neceſſariò ſonat,haud eam præſeferre enunciationem,quæ quod impoſſibile ſit rem ſecus ſe habere omninò oſtendat, vt nos apertè docet Galenus in Comm.illius Aphoriſmi:Si omētum exciderit neceſſariò computreſcit.6.Aph. 58. ſed quòd vt plurimum, & magna ex parte ita contingere ſolet. Quo ſenſu non ſolùm hoc in loco, ſed vbi febres neceſſariò acutos morbos comitari tradebat 1. De reg. acut. alijſque in locis, eo vſus eſt vocabulo. Quibus omnibus dubitationibus ad hunc modum ſolutis, Epilepſiam in acutorum morborū numerum rectè fuiſſe cooptatam,cuiuis apertū eſſe reor.

De

De cauſis Epilepſiæ per conſenſum. *Lect.* XIX.

DE Cauſis Epilepticam paſsionem per eſſentiam producentibus, longa ſatis, atque prolixa paulò ſupra habita eſt oratio; quòd ſi perfectiorem eiuſdem morbi cauſarum ſcientiam tradere velim, eas quoque cauſas, quæ ab aliqua corporis parte enaſcentes ad cerebrum vſque pertingunt, proſequi opus eſt. Quamobrem hæ duæ ſunt tantummodo vapor, & qualitas, de quibus agendum à nobis eſt in præſenti, ſed ab ea, quæ frequentior eſſe conſueuit, exordiendum. Hæc autem vapor, ſeu vaporoſa quædam ſubſtantia exiſtit, quæ multiplici, varioq; modo affectionem progignit. Nam aliquando quantitate cerebri ventriculos obſtruente, aliquando verò manifeſta qualitate, aliquando demùm occulta, eaque venefica cerebrum vellicante. Copia ſeu quantitate vaporum per ſympathiam præſertim à ſtomacho affectus hic generatur, dum calor imbecillis tum ipſius ventriculi, tum & aliquando aliorum circumiacentium membrorum, inter quæ ita ſe vētriculus habet, veluti lebes inter ignes, (cum habeat iecur à dextris, lienem à ſiniſtris, poſtica parte venam cauam, & muſculos dorſales, antica verò omentum, quarum circumiectarum partium calore adiutus exactius alimenta concoquit) in materiā in eo ventre contentam debilius agit, quàm vt eam integrè conficiat. Idq; vel quoniam calor ſimpliciter imbecillis eſt, vel vt ad materiam refertur. Inde enim vapores multi cerebrum petunt, qui ſua multitudine, & (quod nonnullis placet) craſſitie illius ventres obſtruendo morbum pariunt. Non deſunt tamen qui conſtanter affirment Epilepſiam nunquam fieri ab obſtructione à vaporibus craſsis orta, & certè quanā craſsitie vapor impedire poſsit tranſitū ſpirituū, ego quoq; non ita facilè video. Multitudine potius occludendo, aut aliqua qualitate afficiendo cerebri ventres vapor Epilepſiam per conſenſum progignet. Qualitate autem manifeſta euaporatio à ſubiectis partibus eleuata ſymptoma hoc producit, ſi vel frigidior ſit, vel etiam, vt quibuſdam probatur, calidior, acriorq;: frigidior, vt ſi à ſanguine frigidiori,

diori,pituitoſo ſcilicet,ac melanholico,calidior, acriorq; ſimul,vt ſi à ſanguine calidiori,eoq; bilioſiori initium habuerit. Non enim huiuſce vaporoſæ ſubſtantiæ materia alimenta ſolùm in quorundam ventriculo ægrè confecta ſtatuenda ſunt, verùm etiam humores;præcipuè tamẽ pituitoſus,ac melancholicus;Quod ſi quærat aliquis qua ratione frigida vaporis qualitas Epilepſiam per conſenſum producere queat, reſpondendum id nulla alia de cauſa fieri, niſi quatenus in contrariam qualitatem calidam cerebro inſitam, eidemq; vt alijs cunctis noſtri corporis partibus amicam valde ceu hoſtis agit, vnde expultrix cerebri facultas ad eam expellendam inſurgit, a quo ſimiliter frigidiori vapore leuem illam conuulſionem,quæ ſaltus ab Auicenna vocatur,ſæpè fieri experimur,nec diſſimili ſanè ratione Galenus 9.Meth.à gelidę aquę potu conuulſionem prouenire ſcripſit. Epilepſiam ab huiuſmodi cauſa ortam patiebatur iuuenis ille Galeni, cuius morbi origo à crure incipiebat, erat autem id quod ſurſum ferebatur ad caput, veluti aura quædam frigida, quam ad cerebrum adſcendere æger ipſe perſentiebat. Vnde Medici vniuerſo in primis corpore euacuato,medicamen ex thapſia,aut ſinapi parti adhibuerunt,ligato interim membro,ſupra eam videlicet partem, quæ primaria affectione affecta erat, quo pacto acceſsionem reuerti prohibuerunt. Mordax autem, calidaq; vaporoſa ſubſtantia comitialem inſultum gignere poteſt, partes illas ventriculorum cerebri mordicando, vt expultrix facultas ab ea ſuſcitetur.

Venefica demùm,& occulta qualitate prædita hæc materia halituoſa Epilepſiæ cauſa cenſetur,veluti ſi in aliqua corporis parte, præcipuè verò in ventriculo,vtero, ac inteſtinis ſuperfluitatum, quæ putreſcere aptæ ſunt, receptaculis excrementum aliquod putredinem acquirat, contra quod eiuſdem cerebri facultas inſurgat. Epilepſiam huius generis incurrunt ſæpè mulieres, quibus præcipuè menſtruæ purgationes fuerint ſuppreſſæ; tunc enim ab vtero praui, imò venenati halitus ſurſum in caput efferuntur, qui ægritudinem hanc parere ſunt apti. Huius generis Epilepſiam ſæpè etiam pueri ob lactis in ventriculo corruptelam pati videntur, vt etiam ob lumbricos, dum teter vapor ex illis vel emortuis putreſcentibusq; vel viuentibus quidem,ſed materiam vitioſam,putrefa-

trefactamq; , ex qua & ipſi orti ſunt, commouentibus, cerebrum adſcendit,quo ſenſu intelligendus eſt,arbitror, Aegineta lib. 4. c. 57. dum ex inteſtinis ob vermes illa occupantes comitiales acceſſiones fieri prodidit,in quibus quidem inteſtinis talia procreantur animalia, ob ſuperfluos humores in ipſis moram trahentes, & potiſsimùm ob materiam pituitoſam,crudam, atque craſſam;quæ dum non eſt apta in ſubſtantiam aliti conuerti ; nec etiam tantæ eſt putredinis,vt ex tota ſubſtantia putreſcere poſſit, natura, quæ nititur in melius,calidi innati ope adiuta, illum diſponit, vt vitæ ſpiritum accipiat, & ſic procreati vermes viuunt,mouentur, nutriuntur,& augentur,qua de re legendi ſunt Hippocrates 4. de morb. Gal. 3. Aph.Com.26.atque Manardus in Epiſt. Med.lib.3. epiſt.1.Hactenus de prima cauſa Epilepſiæ per conſenſum.

Ad aliam modò cauſam accedamus. Hæc autem pura qualitas eſt omnis ſubſtantiæ, & quantitatis expers, de qua ſcriptum eſt ab Auicenna,ad cerebrum eleuari qualitatem puram,ſine ſubſtantia. Cumq; duplex ſit hæc qualitas, venefica vna,dolorifica altera, de hac ipſa prius breuiter loquar. Hæc fit igitur dum bilioſus humor è corpore ventriculi os petit ſupernum, in quo leuem continui ſolutionem acri,erodentiq; qualitate inducens,euadit cauſa doloris,qui cerebrum alteratis per neruorum communitatem partibus in conſenſum trahit. De qua quidem Epilepſiæ per conſenſum cauſa locutus eſt Galen. lib.De loc.aff.3.c.3.dum refert ſibi ipſi per huiuſmodi conſenſum videnti aliquando laborantē ſine vehementi conuulſione cōcidere,ſimul atq;per interual la breuibus quibuſdam motibus quateretur,probabile viſum fuiſſe, quemadmodum ſingultum fieri cernimus affecto ventriculo, ita hanc quoq; affectionem euenire,non ſecus profectò,ac de ſe ipſo narrat, quem illicò, ſi piperis quantitatem ingeſſiſſet, ſingultus inuadebat; Proinde eiuſdem Galeni ſententia exiſtimandum eſt, ſimilem aliquem cerebro motum contingere,qualis interdum ventriculo à re quapiam moleſtato euenire ſolet, quippe cùm à ciborum mole grauatur, aut vbi corruptis cibis mordicus infeſtatur, tum ſingultu affici conſpicitur. Quinimò acrem humorem non ſingultum modò affecto ventriculo, verùm etiam conuulſionem per vniuerſum corpus efficere ſæpe numero vidimus, quæ deinde,

vomi-

vomitu eiecto eo, quod mordicabat, ſtatim quieſcebat, quominus igitur mirandum eſt, ſi neruorum principium huiuſmodi motu concutiatur, dum feſtinat à ſe propellere quidquid fuerit id, quod à parte primùm affecta ad ipſum fertur. Cuius ſpeciei Epilepſia Grammaticus ille Gal. corripiebatur, quoties vel nimis vehementer doceret, vel cogitaret, vel inediam ſuſtineret, vel demùm iraſceretur. Nam ob hæc omnia læditur ventriculus, præſertim verò propter ipſammet inediam, ratione cuius in eo ſucci praui, ac excrementitij, maximè verò bilioſi acres coguntur, iuxta Gal. & Auic. ſententiã 3. De facul. nat. & 3. primi, qui ſua leuitate os vẽtriculi petentes, illud ita afficiunt, vt & cerebrum ipſum ducatur in conſenſum. Quem quidem Grammaticum priſtinæ ſanitati Galenus reſtituit proba coctione prius accuratè procurata, & recta viuendi norma inſtituta, ac quolibet anno bis, terue amaro ex aloe medicamento illi exhibito, quod ſanè ventrem à ſuperfluitatibus expurgat, & ad proprias actiones roborat; vt alibi idem Galenus exarauit, In Lib. Quod animi mores ſeq. temp. corp. necnon Dioſcorides lib. 2. c. 23. qui tradit aloem adeò amicam eſſe ipſi ſtomacho, vt alijs commiſta medicamentis purgantibus præſtet quominus partem illam offendant, licet contrarium cenſeat Meſue, qua de re infra in praxi agetur vberius. Sciendum verò dolorificam hanc qualitatem, quæ comitialem pariat, ab ore ventriculi ſuperiore potiſſimùm gigni, nam cæterarum partium dolor non videtur æquè potens ad Epilepſiam producendam, quandoquidem os ventriculi ſupernum admodum exacto ſenſu præditum eſſe fertur, miramq; cum cerebro ſocietatem habet, ob neruorum à ſexta cerebri propagine ad os illud deſcendentium magnitudinem per quos ventriculo facilè cerebrum compatitur. A qua cerebri cum vẽtriculo affinitate Galenus 1. De ſympt. cauſ. 7. varia ſymptomata fieri tradit, nimirum demorſus, Epilepſias, deliria, ac melancholias; ad quam etiam ſocietatem reſpiciens Serenus de ſtomacho loquens cecinit.

Quin etiam niſi cura iuuat vitiare cerebrum
Fertur, & integros illhinc auertere ſenſus.

Hùc tamen etiam facit illa Epilepſiæ differentia, quam multis ex coli dolore concitari refert Aegineta. Hæc de qualitate dolo-

rifica

rifica dicta ſint ſatis; Quantum verò ad veneficam ſpectat, ea ſanè fit Epilepſiæ cauſa, dum alteratis per continuitatem partibus ad cerebrum vſque attingit, non alia certè ratione, qua putant aliqui res quaſdam ſolo tactu per qualitatis vim ea, quæ ſibi contigua ſunt, alterare poſſe, vt ex marina torpedine abundè conſtat, cui tam vehemens eſt potentia, vt per piſcatoris tridentem tranſmiſſa ad manum alteratione, totam derepente torpidam reddat. Ex quo videmus rem vel paruæ molis tactu ſolo maximas alterationes inducere. Tale quidpiam in noſtro corpore accidere aliquando poſſe Medicorum ignorat nemo. In eo enim corruptio aliqua, quæ veneni tum qualitatem, tum vires adæquet, omnium cõſenſu naſci poteſt. Quod quidem etiam Pelopi Galeni Magiſtro admodum probatur, cui poſſibile viſum fuit in corpore ſimilem aliquam veneno generari eſſentiam, nulla accedente cauſa externa, quæ vbi neruoſam partem occupauerit, ad neruorum vſque principium alteratis per continuitatem partibus, vim ſuam tranſmittat. Sic ergo Epilepſiam indicibilis hæc, prauaque qualitas, vt alios etiam ſæuiſsimos caſus parere poteſt.

De præparantibus Epilepſiæ cauſis internis. Lect. XX.

IN ſuperioribus Lectionibus cum de efficientibus Epilepſiæ cauſis agerem, de præparantibus etiam, diſponentibuſue internis eiuſdem morbi cauſis, quæ ſunt, ætas, ac temperamentum, me verba facturum promiſi. Quare in præſenti pollicitis ſtandum eſt, & de huiuſmodi cauſis peragendum. Clarum eſt igitur pro ætatis, temperamentique varietate, homines in varia morborum genera incidere, vt alias in vna, alias in altera ætate, ac temperatura ægritudines perpeti cogantur, nam quamuis morbos omnes quibuſuis ætatibus, ac temperamentis, ob vitæ intemperantiam, innumeraq; in viuendi genere errata commiſſa, contingere poſſe crediderim, nonnulli tamen in quibuſdam magis fieri ſolent; veluti de anni temporibus tradidit Hipp. 3. Aph. 19. Cuius quidem rei cauſa eſt, quoniam, vt ex vulgo iactato Ariſtotelico axiomate conſtat: In habentibus ſymbo-

ſymbolum facilis eſt tranſitus 2.De gen.& corr.25.Hinc ideo fit, vt frigidioribus morbis ſenes, calidioribus iuuenes corripiantur. Quò alluſiſſe videtur Hippocrates dum acutas febres non ſimiliter accendi in ſenibus, ac fit in iuuenibus, memoriæ prodidit 1. Aphor.14.frigidum eſt enim illorum corpus, nec non cùm dixit, in morbis eos minus periclitari, quorum naturæ,vel ætati morbus conuenit 2.Aph.34.Ea propter in ætatum,morborumq; ipſis contingentium explicatione diligens fuit, vt in Aphoriſmorum libris videre facile eſt. Quid ergo de Epilepſia dicendum? Ipſa quoque poteſt in omnibus fieri ætatibus, ac temperaturis,propter prauã, inordinatamq; in victu rationem; ſed quòd in peculiari ætate inſæuire magis ſoleat,& in puerili maximè,ex eo patet, quòd Hippocrates hanc ipſam ægritudinem in pueris obortam, ob illorum cerebri humidiorem naturalem temperiem, ætatis mutatione ſanari perſcripſit 2.Aphor.45. Nimirum aliarum quidem ætatum, ſed iuuentutis potiſſimùm ingreſſu, cuius ætatis temperies,cum ad ſiccum vergat,puerili opponitur. Nemo enim non nouit contrariorum contraria eſſe remedia. Inter ætates igitur puerilis in primis Epilepticos patitur inſultus; a quibus etiam non raró commoritur, propter innatam cum cerebri, tùm vniuerſi corporis intemperiem humidiorem.

Sed hinc oritur dubitandi occaſio, an ex ſola intemperie gigni poſſit hoc mali genus,nulla prorſus interueniente materia, quæ res omnino ijs,quæ à me ſupra ex Galeni mente fuere ſtatuta, repugnat. Quare antequam vlterius progrediar, hanc ipſam dubitationem perſoluere oportet. Conſtat ex Galeno intemperiẽ modò cum affluxu vitioſæ ſubſtantiæ,vt sãguinis,pituitæ, ac vtriuſq, bilis,modò ſine affluxu,ſed ſola qualitatum alteratione, noxam inferre.Videtur igitur Galenus 6.Epid. Com.1. exiſtimare ſolam intemperiem abſq; materia morbum hunc producere, dico autem intemperiẽ propriam ipſius cerebri,dum in hũc modum loquitur: Epilepſia oritur ex innata humida intẽperie cerebri in puerulis. Vbi etiam antè ſcripſit eam generatim fieri a frigida intemperie cerebri,ſæpè quoq; humiditati adiuncta. Contra hanc ſententiam ſtat idem Galenus his verbis 2. De cauſ. ſympt.c.7. Apoplexia & Epilepſia ob pituitæ in cerebri ventribus aceruatæ multitudinem

accidere videntur, proinde horum ſymptomatum cum generatio, tum ſolutio ſubitanea eſt, quod propter corporum diſcraſiam, ſeu intemperiem fieri haudquaquam poteſt. Idem repetit lib. 3. De loc. aff. c. 7. de apoplexia loquens. Quin etiam in Aphoriſmorum Commentarijs tradit neminem fieri podagricum, aut Epilepticũ ex ſola partium eupathia, ſeu patiendi procliuitate abſq; humorũ redundantia. Ex quibus verbis ſine materiali cauſa Epilepſia non erit. Quod Auerr. minimè ignorauit dicẽs. 3. Coll. c. vlt. Habet paroxiſmos, ergo non a mala complexione abſq; materia, quæ non citò recedit. Dicẽdum eſt igitur pro ſolutione Galenum ſolam intemperiem frigidam, & humidam Epilepſiæ cauſam immediatam eſſe non ſignificare, ita enim cum ſibi, tum rei veritati contradiceret, ſed illam, ſeu innata ſit, ſeu adquiſita, præcedentem, ac veluti diſponentem cauſam eſſe, qua ſcilicet facilè aggreget ſibi qualitate ſimilem humorem, qualis pituitoſus eſt, a quo plerunq; morbus; non autem quòd ipſa intemperies immediatè per ſe affectum pariat. Contrarium dicet aliquis videtur ſtatuere Galenus, qui de morbis ab intemperie ſola promanantibus per hæc verba loquitur, De diff. morb. c. 5. Cum verò morbus frigidus eſt, calido quidem contrarius, in extremis quandoq; partibus vſq; adeò patens diſpoſitio cõtingit, vt emortua decidãt membra. Nec minus vniuerſum aliquando patitur corpus, ſicut iter agentibus in valido frigore accidit. Nam pleriq; ex his in ipſa via commoriuntur; pleriq; verò antequam animam expirent, domum ad hoſpitium ſemianimes, gelidiq; deferuntur. In morbo autem attonito, & comitiali talis ſæpè accidit paſſio: nã & ij, quos in itinere vſq; ad mortem frigus oppreſſit, talibus rigoribus corripiuntur, quales Græci emproſthotonos, opiſthotonos, ac tetanos appellant. Nonnulli autem his paſſionibus, quas congelationes nominant, affliguntur. Alij quodpiam apoplexiæ ſimile patiuntur. Idẽ Galenus non multò poſt veluti perorans, hunc ſermonem tali modo concludit. De morbis igitur & calidis, & frigidis nulla confluente materia iam dictum eſt. Ex hoc loco manifeſtum fit Galenum ſibi ipſi nequaquam conſtare. Tuetur enim ſententiam priori oppoſitam, nimirũ apoplexiam, quod etiam de Epilepſia dici poteſt, ab intemperie ſola præter affluxum materiei fieri. Ad horum locorum cõtrouer-

ſiam

ſiam dirimendam, aſſerendum eſt Galenum in De morb. diff. de intemperie frigida extrinſecus accedente verba facere, ea videlicet ratione, qua præ externo, eoq; vehementi frigore cerebri corpus, aut eius ventriculi tam arctè comprimuntur, & conſtringuntur, vt in cerebro fiat στέγνωσις, quæ eſt quando corpora in ſe ipſa concidunt, aut ab aſtringentibus coacta, aut a frigore conſtricta, aut ab exiccantibus areſacta. In alijs verò locis ſermo eſt Galeno de intemperie cerebri, vel capitis interna, quæ nec ſubitò fieri, nec ſubitò deſinere, vt nec etiam de repente adeò acutos morbos gignere poteſt, vt apoplexiam, & Epilepſiam fieri cernimus. Eſt enim huiuſmodi interna intemperies veluti cauſa diſponens ad comitialem morbũ. Nam quemadmodum qui podagra laboraturus eſt, pedes habeat imbecilliores oportet, ita cerebrum infirmius, qui Epilepſiæ futurus eſt obnoxius, neutrum tamen his affectibus corripi eſt neceſſarium, ſi nihil in vita peccauerit, nempe ſi praui ſucci alimentis vſus non fuerit, eaq; non patrauerit, ex quibus generentur, & aceruentur in corpore ſuperuacanei, recrementitijq; humores, qui in partes imbecilliores delapſi affectus præter naturam progignant. Quæ quidem pedum, capitiſq; imbecillitas pro diſponente cauſa, non efficiente habetur podagræ, aut Epilepſiæ. Alioqui enim, vbi humor non confluat, ex ſola partium patiendi procliuitate, nec quiſpiam podagricus fiet, nec Epilepticus. Quod verum eſſe ex intermedio acceſsionum tempore diſcere apertè licet, in quo prorſus non infeſtantur, quamuis naturalis adſit imbecillitas. Intemperies igitur tam in pueris, quàm in alijs omnibus, vt præcedens, atq; diſponens Epilepſiæ cauſa cenſeri debet. Quod ſimiliter de ætate intelligendum eſt, quoties hæc huius ſymptomatis cauſa pronunciatur. Puerilis verò inter ætates maximè omnium nos ad hunc morbum pronos reddit, cui ſanè adeò familiaris eſt, vt, vel in vtero fœtu exiſtente, ſæpiſſimè oboriatur, & fiat, Hippocratis aſſertione in lib. De ſac. morbo. Cur autem ætatem illam præcipuè infeſtet tam ſæuum, horrendumq; ſymptoma, iam dictum abundè eſt, nimirum ob naturalem cerebri illorum temperiem humidiorem, neruorumq; imbecillitatem, quam idcirco affectionem in his plerunq; ætatis mutatione deſinere Hippocrates affirmat. Humidiorem enim naturam cum

ſicciori mutant . Animal namq; à ſui prima conſtitutione humidum creatur, temporis verò progreſſu tantò ab humido temperamento declinat, quantò ætate proceſſerit. Poſt pueros occupat etiam adoleſcentes, ac iuuenes, minimè verò ſenes, & decrepitos, quemadmodum Paulus apertè docet, cui ſubſcribit Aurelianus lib.1.c.4. Hæc de ætatibus, quæ etiam de temperamentis aſſeuerari omnino poſſe quis ignorat? cum pro ætatis varietate diuerſæ induantur naturæ. Pituitoſis igitur, & melancholicis temperaturis continget id mali genus, conſanguineis perquam rarò, an verò etiam bilioſis, ambigua res eſt, niſi conſortij gratia à ventriculo, aliave corporis parte progignatur; Sed quoniam aduerſus hæc ferè omnia vndiq; ſtare videtur haud negligendæ rationes, & argumenta, propterea in proxima Lectione quantum in me erit, cunctis ſatisfacere conabor.

Dubitationes omnes ex anteacta Lectione inſurgentes perſoluuntur. Lect. X X I.

PERMVLTAE ſunt, magniq; faciendæ obiectiones, quæ ex ſuperius diſputatis euidenter inſurgunt, quæ quidem ferè omnia radicitus euertere prima facie videntur. Quapropter eas, quantum in me erit, hac ipſa in Lectione diluere contendam. Quod igitur Epilepſia è frigidiori, eaq; craſſiori materia, qualis pituitoſa eſt, ac melācholica, producatur, quodq; idcirco in pituitoſo, ac melancholico temperamento prędîtis maximè fiat, abundè ſatis à me demonſtratum fuit. Sed primùm aliquis in contrarium arguet. In quibus caloris viget plurimum, ijs Epilepſia haudquaquā contingit. Huiuſmodi ſunt pueri, & iuuenes, ergo. Oppoſitam nihilominus ſententiam tuētur cum Paulus lib.3.c.13. tum etiam Hippocrates 3. Aphor.29. qui ambo & pueris, & iuuenibus id morbi genus accidere ſcribunt, quanquā alibi Hippocrates De ſac. mor. (quod ad iuuenes referendum eſt) bilioſis hominibus morbum hunc neutiquam euenire tradidit. Quam rem nos quoq; ſupra docuimus. Quod verò quicunq; plurimum habent caloris, nec Epilepticum ſymptoma, nec

alias

alias huius generis affectiones pati debeant, inde veriſimile fit; quoniam calidi eſt affectus frigidos, quorum in ſerie habendus eſt comitialis, perſanare, non contra efficere, & generare. Calidum enim, Galeno auctore, craſſa extenuat, concoquit, ad melius alterat, diſcutit, atque euacuat. Pueris autem, iuuenibuſque plurimum ineſſe calorem, illis quidem innatum, blandum, ac vaporoſum, his verò adſcititium, inſuauem, ac terreum, clarius eſt, quàm vt demonſtratione indigeat, nec latet quempiam veſtrûm quæſtio illa, vel antè Galeni æuum inter Medicos agitata, de iuuenum, puerorumq; caloris exuperantia, de qua inter veteres Galenus, lib. 2. De temp. c. 4. & 1. Aph. Com. 14. & Auicenna fen. 1. primi c. 8. inter recentiores Conciliator differ. 26. Franciſcus Valleſius lib. 1. Contr. cap. 8. alijque non pauci copiosè diſceptarunt. Præterea ſi pituitoſa temperamenta magis obnoxia per me ſunt huic ægritudini, quàm cætera omnia, hac ratione fœminę multò frequẽtius, quàm mares, & ſenes, quàm pueri in comitiale ſymptoma incurrent. Mulierum enim temperatura frigida eſt, & humida, velut ipſorum ſenum. Aliter tamen de mulieribus tradit Celſus, cui & ipſa fauet experientia. In his enim vix hæc affectio gignitur, & ſi forte fortuna generatur, per conſenſum potius ab vtero, aut ab alia corporis parte originem trahit. Ipſe verò de Epilepſia eſſentialiter in cerebro genita ſermonem facio. Senibus etiam hoc mali genus non contingere aſſerit Paulus loco citato, dum minimè ſenes, decrepitoſq; occupare prodit. Cuius tamen ſummi Viri aſſertionem refellere illud videtur quòd ſi apoplexia, & Epilepſia de Galeni mente, in eo inuicem conueniunt, quòd eundem locum affectum, & eundem humorem habent mali auctorem, iure dici poteſt, quemadmodum apoplexia circa ætatem ſenilem maximè accidit, eodem Paulo auctore lib. 3. cap. 18. quo propterea morbo nullum magis ſenibus familiarem eſſe Galenus affirmat 3. Aphor. 31. ſic pariter Epilepſiam in ſenibus frequenter fieri debere. Rurſus quiſpiam nobis obijciet: Quicunque robuſtiores habent vires, magis reſiſtũt alterantibus cauſis, difficiliuſque à morbis corripiuntur: ideo mares, qui robuſtiores habent vires, quàm ipſæ fęminæ, minus quàm fœminæ ægrotabunt. Ex qua re concludi poſſe videtur comitiale

V 3 malum

malum ſæpius mulieres, quàm viros ſolicitare. Quod enim fœmina ſit mare imbecillior, & languidiores habeat vires, notiſſima res eſt; mulier enim, quæ virago non ſit, natura frigidior, & proinde etiam viro imbecillior exiſtit: Quò alludens Hippocrates 7. Aphor.43.dixit,mulierem ambidexteram non fieri, ob naturæ imbecillitatem. Quam ſententiam corroborat non parum belligerarum Amazonidum conſuetudo, qua ab incunabulis mammam ſibi dexteram adurere conſueuiſſe tradit idem Hippocrates De aere, aquis, & locis, & Galenus in Com. mox cit. Aphor. vt ſcilicet copioſiori alimento ad propinquam manum perueniente, maior ipſi firmitas accederet, tanquam natura infirmæ, ac debili. Eandem ob cauſam alibi quoque dicit 5. Aphor. 48. Mares quidem in dextris, fœminæ verò magis in ſiniſtris. Quod enim mas validior ſit, & ſanguine calidiori præditus, in cauſa videtur eſſe, quia locus, in quo concipitur, talis etiam exiſtit 2. De ſem. cap. 3. Ideo perquam rarò contingit, vt in dextro vuluæ ſinulo concipiatur fœmina, mas contrà in ſiniſtro, Galeno auctore: Empedocles: Mas in calidiori terræ loco fuit, & ob id viri nigri,robuſtioreſque,& capilloſi magis.Quare diſpungenda omnino,atq; delenda ſunt illa verba, quę temerè in eiuſdẽ Hippocratis librũ De morb. mul. à principio irrepſerunt. Fœmina calidiorem ſanguinem habet, quàm vir, propterea eſt viro calidior. Niſi fortaſſe dicatur mulieres eſſe viris calidiores, perinde ac dici ſolet pueros calidiores eſſe iuuenibus.Pueri namq;calidiores ſunt iuuenibus extenſiuè, quia magis innato calido blãdo, humidoq; abũdant. Iuuenes verò pueris intenſiuè, quoniã eorum calor ſicciori materię inhęret.Vt propterea etiam Galenus de coctione loquens quæ pueris fit in ventriculo dixerit 3. De ſympt. cauſ. 3. Atque in coctionibus, quæ ad ventriculum pertinent, ſi humida, molliaque ſumpſerint,ea perinde, ac iuuenes coquere poſſunt, dura verò deterius conficiunt. Vbi, ni mea me fallit opinio, Galenus non vult iuuenes æquè coquere mollia, ac pueri, cum pueri tamen dura perinde, ac iuuenes conficere nequeãt; ſed qua ratione probat iuuenes dura, & ſicca melius concoquere pueris, eademmet oſtendit pueros melius perficere mollia, & humida iuuenibus. Humidiora enim corpora humidiora, ſicciora

ciora autem ſicciora alimenta exactius elaborant, ſed hæc cata parergon. Sic ergò dici poteſt mulieres calidiores eſſe viris extenſiuè, quoniam radicale humidum natiui caloris pabulum, atque ſubiectum mulieribus laxum ineſt, ac molle, puerorum humido conſimile. Tandem aliquis contra Hippocratem dubitabit, quomodo ab illo ſcriptum ſit 2. Aphor. 45. Quicunque iuuenes comitiali morbo laborant, mutatione maximè ætatis, ac temporum, & locorum, & victuum liberantur. Quo in loco iuuenes Epilepſia laborare tradit, in quibus tamen ætatis, vt pariter temporum, & locorum, victuſque mutatione deſinat. Alibi verò, dico lib. De ſac. mor. morbum hunc poſt vigeſimumquintum annum haud amplius homines detinere, niſi fuerit à pueris connutritus, exarauit.

Iuuenum enim ætas, vt proditum nobis eſt a Galeno 3. Aphor. 30. & 9. anno vigeſimoquinto orditur, & in trigeſimum quintum extenditur. Qua ratione igitur ſcripſit Hippocrates iuuenes Epileptico morbo laborare? aut quomodo poſt vigeſimum quintum annum nemini id mali contingere dixit, niſi a puero inceperit? Inſuper alio in loco ad hunc modum loquitur: Quibuſcunq; Epilepſia ante pubertatem fit, mutationem recipit, quibuſcunq; verò vigeſimo quinto anno cõmoritur. Quamobrem ſi florens iuuenilíſque ætas vigeſimoquinto anno incipiens ad trigeſimum quintum protrahitur, & ex Hippocratis ſententia qui vigeſimo quinto anno ab Epilepſia aggrediuntur, ad mortem vſque morbo illo affliguntur, aſſerendum eſt iuuenes neutiquam ætatis mutatione hoc ab affectu liberari poſſe, quoniã qui vigeſimum quintum annum fuerint prætergreſſi, comitiales amplius non euadunt, ijs exceptis, quibus ab infantia connutrita ſit affectio, & quæ in vigeſimoquinto anno Epilepſia fit, hæc hominem ad vltimum vſque diem concomitatur. Ad ſingularum dubitationum ſolutionem deuenio. Quantum igitur ad primam attinet, reſpondetur, non ſemper calorem frigidos, & humidos affectus ſanare. Id ipſum eo tempore ſolùm præſtat, quo ſiccitas eidem adnectitur; in pueris verò calor quidem plurimus eſt, ſed vaporoſus admodum, ac multa cum humiditate aerea coniunctus. Cali-

do enim, humidoque temperamento puerorum corpus eſt, quoniam incrementum in aliud temperamentum incidere non poteſt, Galeno auctore De ſalub. diæta Com. 7. Cuius quidem calidi, & humidi temperamenti gratia fit, vt in illorum cerebro humiditas multa, multaque pituitoſa excrementa coaceruentur, quæ in ventriculos prolapſa Epilepſiam pariunt. Qua de cauſa puberes etiam, & adoleſcentes ab hoc morbo prehenduntur, adauctis in cerebro humoribus, ob temperaturæ videlicet ſimilitudinem. An igitur falſa dicunt Hippocrates, & Paulus, qui iuuenibus etiam accidere id mali ſcribunt? Iuuenes enim calidi omnino ſunt, & ſicci temperamenti, qui autem huiuſmodi ſunt, non frigidos, humidoſque, ſed calidos, & ſiccos morbos pati ſolent. Sibi enim cognatis quiſque, & familiaribus morbis promptius corripitur. Hùc mentem profectò direxit Hippocrates in De ſac. morbo, dum bilioſis hominibus Epilepſiam haud euenire ſcripſit. Quamobrem reſpondendum eſt pro Hippocratis, Paulique tuitione, iuuenes ſæpè in morbos incurrere, non quidem ſecundum ætatis naturam, ſed ex accidenti, propter ipſorum ſcilicet in viuendi ratione intemperantiam; qua de cauſa ſcriptum reliquit idem Hippocrates 2. Aphor. 39. Magnam partem ſenes iuuenibus minus ægrotant. Fit ergò Epilepſia in quibuſdam iuuenibus quibus antea in alijs ætatibus minimè acciderat, propter vitam, quam degunt, intemperatam, vt ſi humi cubent, Soli, imbribuſque ſe exponant, ac alia his conſimilia perpetrent. Quare concludendum ex accidenti iuuenes in comitiale ſymptoma labi, non primùm, neque ætatis ratione. Quoad ſecundam obiectionem, nemo non fatetur, pituitoſo temperamento prædita corpora comitiali affectioni magis eſſe obnoxia cæteris omnibus, quo temperamento fœminæ conſtant potius, quàm mares, ſed non propterea aſſerendum eſt mulieres magis Epilepſia corripi, quàm viri. Id enim & Celſus negat, & a vero alienum eſſe, experientia demonſtrat. Qua tamen in re notandum eſt hoc ipſum intelligi de mulieribus, quibus menſtrua ſtatuto tempore apparent, nam quæ tempus menſium adhuc non attigerunt, tam comitiales euadere poſſe cenſeo, quàm mares ipſi. Quod verum eſſe,

vnus

vnuſquiſque, qui medendi artem exerceat, pro comperto habet. Ita hoc affectionis genere plures puellas laborare conſpexi, vt jn ſumma non magis mares, quàm fœminæ, dum in humida illa, tenellaque ætate reperiuntur, comitiales euadant. Quam rem etiam ratio ipſa confirmat. Nam iccirco pueri Epileptico morbo patent, quoniam copioſa humiditate abundant, & quoniam cerebrum, vt etiam neruoſum genus imbecillum habent, vnde ætatis proceſſu plerunque ab affectu liberantur. Sicciorem enim, ac fortiorem ſingularum partium temperaturam nanciſcuntur. Modò eadem partium humiditas, eadem cerebri, & neruoſi generis imbecillitas in fœminis, quæ puellæ ſint, dubio procul adeſt. Itaque concludendum eſt, non minus in fœminis, quàm in maribus in puerili ætate conſtitutis gigni poſſe Epilepſiam. Pubertatem verò egreſſæ mulieres nulla alia, vt puto, de cauſa minus, quàm viri hoc morbi genere laborant, niſi quia ab eo tempore ſemel in ſingulo menſe, & nonnullæ etiam ſæpius a pituitoſis, omnibuſque alijs excrementitijs humoribus, quibus illarum cum cerebrum, tum vniuerſum corpus abundat, per vterum expurgari incipiunt. Ideo ſi fortè menſes cohibeantur, ijſdem Epilepſiam non modò per conſenſum ab vtero, ex venenatis halitibus, ſed etiam per eſſentiam, ex pituitoſis, aut melancholicis humoribus, contingere poſſe crediderim. Quibus adde ex Hippocrate mulieres atrabilarijs vitijs non laborare. Quod quidem ſic dictum velim ab Hippocrate, vt non de omnibus loquatur, ſed de maiori parte, & iuxta innatam mulierum naturam, quæ ad frigidum, & humidum vergit. Epilepſiam autem non ſolùm ex pituitoſo, ſed etiam ex melancholico humore oriri, copioſè ſuperius demonſtratum eſt. Senes autem frigidi eſſe, humidique temperamēti literis exarauit Hippocrates ad hunc planè modum; De ſal. diæta tex. 7. Senes verò ſiccior victus plerunque decet, quod id ætatis corpora humida ſint, mollia, & frigida; ſupra tamen oſtenſum eſt, ſenes eſſe frigidos quidem, ſed ſiccos. Veruntamen ſenibus non item, ac pueris hæc paſſio accidit, quoniam cerebri expultrix facultas in illis haud ita vigilans, & ad rem inſenſam percipiendam parata, vt in pueris ipſis, adinuenitur.

Quam

Quamobrem mirandum non eſt, ſi in ſenibus apoplexia magis fiat, quæ a copioſiori gignitur materia, in pueris verò Epilepſia, quæ a minori.

In his enim virtus potens, validaque in cerebro tam copioſam materiam cogi non permittit, contra quam poſtea inſurgere nequeat, quod ætate prouectis non contingit, in quibus ab affluentiũ humorũ copia virtus affatim obruitur. Vnde propterea ſeniores apoplexia, pueri, & adoleſcentes Epilepſia magis affici videntur. Non diſſimili cauſa lapidem pueris in veſica, ſenibus verò in renibus colligi quotidie videmus, licet ſenes multi calculum habeant in veſica; nam craſſa, & viſcida (materia lapidis) quæ cum vrina feruntur, in pueris quidem caloris multitudine, & expultricis robore fuſa, ad vrinarios meatus, & veſicam traducuntur; in ſenibus verò, aut ætate conſiſtentibus, in quibus naturales vires tantum roboris minimè obtinent, renes haudquaquam expurgantur, ibique diu moram trahens materia concreſcit, ac lapidis formam adipiſcitur. Ex his igitur tam ſecundæ, quàm tertiæ aduerſus Aeginetam dubitationis dilutio elici poteſt. Quarta autem obiectio breuibus euincitur; nam & eius ſolutio ex iam traditis colligitur. Quandoquidem licet mulieres virium, partiumque imbecillitatis ratione, morbo huic multò magis, quàm viri obnoxij eſſe deberent, nihilominus ad id generis affectus euitandos ſingulorum menſium exitura ſummopere conducit. Ad quintam, ſeu poſtremam dubitationem ex locorum Hippocratis cõtradictione ortam deuenio. Pro cuius quidem ſolutione dicatur Aphoriſmum illum: Quicunque iuuenes; non rectè, neque ſecundum auctoris ſententiam, à Leoniceno Græcarum literarum, vt etiam Latinarum alioqui peritiſſimo, latinitate fuiſſe donatum. Græcum enim illud νέοσιν Leonicenus ipſe iuuenibus interpretatus eſt, cum potius nuper natis, aut pueris vertere debuiſſet. Ita enim etiam νέος ſignificare prodidit Heſychius. Quare Gulielmus Plantius rectius ad hunc modum Aphoriſmum interpretatur. Epilepſia laborantes pueros cum loci, victuſque, tum maximè ætatis mutatio liberat.

Quo

Quo reſponſo Hippocratem ſibimet conſtare facimus; alioqui vix tueri poſſumus Virum ſapientiſſimum, cum alio in loco comitiales ante pubertatem ætatis mutatione ab affectu etiam liberari docuerit, qui ſi vltra vigeſimum quintum annum, iuuenilis ætatis initium, ab Epilepſia corripiantur; curari magna ex parte non poſſunt. Omnibus in hunc modum perſolutis dubitationibus, ad alia eſt properandum.

Libri Quinti de Epilepſiæ cauſis Finis.

DE

DE EPILEPSIA, SEV COMITIALI MORBO LIBER SEXTVS.

Quàm neceſſaria ſit ea Pathologiæ pars, quæ de ſignis morborum pertractat σημειωτικὴ dicta.

Lect. XXII.

PRIMARIA illa Medicinæ pars, Viri nobiles, παθολογικὴ vocata, quæ humani corporis præter naturã affectus expẽdit, in varias & ipſa partes deduci poteſt, in vna quarum morbi definitio, eiuſq; probatio afferuntur ὁριστικὴ nuncupata, in altera cauſæ enarrãtur αἰτιολογικὴν appellant, quam ſtatim inſequitur σημειωτικὴ ſigna cũcta præterita, præſentia, & futura amplectens, rurſus hanc Τεραπευτικὴ dicta, quæ morbos triplici inſtrumento, manu, victu, & medicamentis debellari docet. Quamobrem cum vni, & alteri parti hucuſque, ni me philautia cæcutientem reddit, abundè ſatisfecerim, ad tertiam, & vltimam transferenda oratio eſt. Nunc igitur parti, quæ inſalubria ſigna percurrit, ſummo ſtudio, ac diligentia incumbendum à nobis eſt, à qua omnis rectè curandi ratio ſuppeditatur. Cum Ars enim medẽdi nulli certæ demonſtrationi, ſed probabili tantùm coniecturæ innitatur, vnde non ſine ratione in numero earũ cenſetur, quas Plato ille diuinus in Philebo στοχαστικὰς nominat, quæ artificiali coniectura veritatem indagant, propterea ne clauſis oculis cum morbis pugnaremus, Andabatarum more, inuentum eſt quoddam tertium, cuius ope coniectura ipſa ad certiorem notitiam deduci poſſit, nam de occultis morbis opinione

potius,

potius,quàm arte iudicatur; hoc autem omnino eſt illa Patholo-giæ pars,quæ de ſignis ægritudinum pertractat,cuius quidem ex-acta penitus, ſi fieri vnquam poſſit, cognitio eſt habenda nobis, cum per eam in affectæ ſedis, cauſæ, & ſpeciei, & euentus morbi cognitionem Medici deueniant, vt non immerito in Medicis fini-tionibus definiatur ſignum eſſe id, quo cognito, aliud etiam co-gnoſcitur,quod ignotum prius erat. Hinc morbi omnes per pro-pria ſigna dignoſtica nobis innoteſcunt, quibus in hunc modum perſpectis,non difficile admodum eſt obuiam ire, contraria ex ar-te adhibendo. Quam rem non ignorantes Hippocrates, & poſt eum Galenus 1.De off. med.10. Meth. c.6. tradunt ineunda Me-dico eſſe artis opera,initio ab affectuum dignotione accepto, cu-ratio enim dignotionem, prænotionemq; conſequitur, nam & di-gnoſcat quod præſens eſt, & prouideat quod ex eo futurum eſt oportet, qui notabilis efficaciæ remedio vti voluerit. Poſt cauſas autem de ſignis mox agere aggredior,quoniam a cauſis veluti ef-fectus,qui continuo ſuas cauſas inſequuntur,ſigna ipſa procedunt. Ideo quidquid ab aliquo tanquam a cauſa deriuat, id etiam illius eſſe ſignum docuit Galenus 5.de Loc.aff.7.& 6. Aph.16.quo etiã auctore de Opt. ſec. 8. pleruṅq; ſymptomata cauſarum ſigna di-cuntur. Vnde ex ſymptomatibus morborum non modò indicia, ſed etiam propriam, eſſentialemq; formam perſæpè colligimus. Verùm multiplex eſt ſignorum diſcrimen, alia enim quæ ſunt cor-pori euentura prænuntiant, ab aliquibus non temerè ſub progno-ſticis comprehenſa: nam ex Galeno ipſo 7.Art.medic.prognoſti-ca ſigna duplicia conſtitui poſſunt,quædam futurum,vel imminẽ-tem morbum, quædam eiuſdem præſentis exitum prædicentia;cu-ius diſtinctionis mẽtio fit etiam apud Petrum Foreſtum lib.9. Ob-ſeruat.4. Alia verò iam præſentem ægritudinem demonſtrant, ab omnibus pathognomonica appellata,quæ a morbo non ſeiungũ-tur,ſed perpetuò illum concomitantur. hæc enim cùm adſunt,vnà etiam & affectus adſunt,cum verò ceſſant,morbi quoq; ſoluuntur. Alia non affectionem, ſed affectionis differentiam denotant, aſſi-dentia vocata,quæ non ſemper,nec neceſſariò,ſed vt plurimũ mor-bis eueniunt, quæ propterea communia ſunt, ac ſeparabilia mor-borum accidentia,vt illa propria,& inſeparabilia. Alia ſigna pa-

riter

riter traduntur, quæ in morbis perpendi ſolent, vt quę cruditatem, aut coctionem ſignificant, & quæ ex virium cum morbo collatione deſumuntur; ſed hæc potiſſimum obſeruantur in morbis qui cũ febre infeſtant, de quibus ego in præſenti ne verbum quidẽ. Quare iam dicta ſolùm accidentia, ſiue ſigna percurram, quæ quidem aut ad prognoſin, aut ad diagnoſin ſpectant, quarum quidem partium quæ, & quanta ſit vtilitas in morbis omnibus ex arte curandis, perbellè docuit Galenus in Medico c. 7. hiſce verbis: Adnotatrix ſignorum pars Medicinæ curationi morborum per victũ ſummè eſt neceſſaria, nã præterita, & præſentia ſymptomata ad morbi cauſam inueniendam diligenter inſpicimus. Inſuper maxima eius neceſſitas eſt ad præſagiendũ, mors ne, an ſalus expectãda ſit. Pari modo Medicina quæ manu medetur, tum illa quæ medicamentis auxiliatur ſine indiciorum obſeruatione non abſoluitur, quippe præſagia eodem modo deſiderant, quibus ſcias, quæ curationem non admittunt, quæque eam recipiunt quidem, ſed vehementer aut offendunt ægrum, ſi curẽtur, aut è medio tollunt. Ex quibus patet cum dignoſtica, tum prognoſtica ſigna vnicuiq; morbo profligando ſummè eſſe neceſſaria, quæ propterea a Medico magni ſanè facienda ſunt. Quę cum ita ſint, æquum omnino eſt, vt prius quàm ad comitialis morbi Therapiam deueniã, eiuſdem ſigna cum dignoſtica, tum prognoſtica examinanda ſuſcipiam. Verùm quia tria ſunt tempora, quæ in Epilepſiæ obnoxijs obſeruantur, vnum antequam a morbo adoriantur, alterum quo acceſſio ipſa inualeſcit, poſtremum quo humi iacent immoti, ab inuaſione liberi, pro quorum quidem temporum varietate varia etiam accidentia comitiales adfligunt, idcirco operæ pretium me facturum puto, ſi ordine ſeruato ab his primùm exordiar, quę malum Epilepticum tam primogenio cerebri affectu, quàm conſortij lege ab alijs partibus genitum antecedunt, & minimè longè abeſſe prænunciant, deinceps ad illa ſermonẽ conuertam, quæ cum morbo incipiunt, & cum eo deſinunt, demùm ad ea quæ ſymptomate finito apparent. Quibus cùm prognoſticum addidero, vniuerſa, quæ ad Epilepſiæ Theoriam ſpectare poſſunt, abũdè pro tempore abſoluiſſe mihi videbor.

De

De ſignis imminentem Epilepſiam per eſſentiam prædicentibus, eorumque cauſis omnibus.

Lect. XXIII.

QVAE Signa, Auditores, quæ ſymptomata comitialẽ acceſſionem antecedere ſolent, quæq; illam breui hominem aggreſſuram eſſe prænunciant, nũc primùm aperire incipiam, initio ſumpto ab his, quæ ſunt eius mali generis, quod in cerebro per eſſentiam gignitur. Quare inter cætera ſigna hanc Epilepſiam prædicentia, quantum ex veterum monumentis colligere potui, ex Paulo lib. 3. cap. 13. Cælio Aureliano lib. 5. Chron. cap. 7. Hippocr. in Coac. præn. & Auic. lib. 3. fen. 1. trac. 5. cap. 9. præcipuè numerantur hæc omnia, quæ mox adduntur, vertigo, ephialtes, corporis, animiq; ſtatus minimè arbitrarius, triſtitia, & eorum, quæ iuxta ſunt, obliuio, turbulentæ inſomniorum imagines, capitis dolor, eiuſq; repletio continua, ob iracundiam maximè pallor faciei, inordinatus linguæ motus, quam etiam nonnulli commordent. Quibus addatis aurium tinnitum citra febrem, vocis tarditatem, manuum, vel alterius partis, aut potius vniuerſi corporis torporem, noctis, quæ acceſsionẽ antecedit, inquietudinem, & demùm ſomnum venereum, quem Græci Onirogonon appellant, in quo inanibus viſis phantaſiæ oblatis ſeminis lapſu vexantur. Quæ omnia ſigna ea ſunt, quæ tam horribilis tempeſtatis aduentum haud procul abeſſe ſignificant, quorum ſingulas cauſas more noſtro expendamus. Quantum igitur ad vertiginem ſpectat, hæc præindicat futuram Epilepſiam, tam quæ primaria affectione in capite generatur, quàm quæ à vẽtriculo conſortij lege prouenit; nam ſi vertiginis generationẽ inſpicimus, ipſa quoq; vt plurimum eſt ab vtraq; parte, Galeno auctore 3. de Loc. aff. c. 8. cũ videlicet craſſiores flatus ab humoribus aut in ore vẽtriculi, aut in cerebri ſubſtãtia cõtentis eleuantur, dũ calor diminutus in eoſdẽ agit humores. Sic ergo non ſemel fit, vt ſi materia illa, a qua vertigo, magna in copia augeatur, & in cerebri ſinus mediũ, aut poſtremũ repat, vice vertiginis Epilepſia ſucce-

dat. Vnde cũ vertigini obnoxij percurãdi nobis offerũtur, vt prõptius pareant, grauius hoc ſymptoma, quod ſæpè ſolet vertiginoſis obuenire, minamur, adeò affines ſunt hi duo affectus loco patiente, & efficiente cauſa. Vnde Galenus paſſim 3. Aph. 17. & 4. de Vict. rat. in acut. 27. vertiginem Comitiali morbo proximam eſſe perhibet; & veteres, vt prodidit Aurelianus, ſumma cum ratione μικρὰν ἐπιληψίαν τὸ σκότωμα nũcupaſſe dicuntur. Ephialtes, aliàs incubus quoddam veluti Epilepſiæ præludium dicitur ab Aetio. Inter hoc enim ſymptoma, & Epilepticum tanta eſt affinitas, & ſimilitudo, vt a Galeno in lib. de Vſu reſp. ephialta quædam in ſomno Epilepſia vocetur; nam quæ comitiales interdiù, eadem ephialtici dormientes noctu patiuntur. Quare mirandum non eſt, ſi inter primaria Epilepſiæ ſigna incubus enumeretur. Sed ab ipſa rei natura iſtud modò oſtendamus. Fit ergo ephialta omniũ ferè Medicorum conſenſu a vapore craſſo, ſpinalis medullæ exortum ita opplente, vt facultatem liberè per neruos tranſire prohibeat, in qua propterea ſenſus, & motus vnà cum reſpiratione oblæduntur, quod ſymptoma in his frequens cernitur, qui cruditatum colluuiem in ventriculo coaceruant, quos ſomni tempore inuadit, quia calor tunc in viſcera reuocatus, ſubiectam materiam decoquendam vndiq; circundat. E qua tamen, vt copioſiore, quàm vis caloris perficere omnino poſſit, diminutè concocta vapores multi, & craſſi in caput expirant, qui aut iam dictum ſpinalis medullæ initium, aut cerebri ventriculos, vt Poſſidonius autumat, obſtruendo facultati animali viam intercludunt, qua intercepta, muſculi thoracis difficulter adeò mouentur, vt præfocationis imago phãtaſiæ offeratur, ac velut ingruentis, opprimentiſq; alicuius occupatio patientes detineat. Hoc affectionis genus perbellè deſcripſit Hippocr. in lib. de Inſomn. his verbis: Cum pugnam committere, atq; extimulari, aut vinciri videmur, tunc aliquid ſuperflui corporis functionibus aduerſari deprehenditur: Et Vatum ſapientiſſimus cum ait.

in medijs conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec mens, nec verba ſequuntur.

Quo quidem ſymptomate diutius perſeuerãte, & noctu iugiter inuadente,

vadente, magnopere timendum de grauiore malo: denunciat enim Epilepſiam, & Apoplexiam. A multa namq; diuturnaq; infernarum partium euaporatione cerebri humiditates augentur. Sed interim Iſtrum aliquis ſecutus Fernelium, & Rondeletium, De part. morb. & ſympt. lib. 5. cap. 3. in Meth. cur. mor. cap. 44. tranſitum ab Epilepſia ad Ephialtam vix poſſe fieri crediderit: Siquidem Viri illi alium modum generationis incubi commenti ſunt; nam hic ad plethoram venarum thoracis refert, ille verò ad craſſiorem pituitam, aut melancholiam non cerebro, ſed circum præcordia inhæreſcentem, quia ob crapulā, & cruditatem turgeſcente, diaphragma, pulmoneſq; premantur. Verùm hanc ipſam obiectionem reijcere, res ardua non eſt. Nam quantum ad Rondeletium attinet, miror ſanè alioqui ingenij acumine præpollentem Virè hac in re tam craſſum cæcutire. Qua enim ratione fieri poſſe arbitratur, vt illarum venarum plenitudo tam breui temporis curriculo vnà cum affectu, abſq; ſanguinis miſſione auferatur. Inſuper ſi plenitudo eſt in thorace, ſenſum grauitatis inducet in vigilia, non autem in ſomno, in quo mens aliò intenta eſt. Cuius Viri ſententia etiam ſi vera non ſit, dicendum tamen eſt, modo etiam, quo tradit, genitum incubum poſſe Epilepſiam nunciare, ſi plenitudo illa, vt ipſe refert, ad caput vſq; perueniat. Quantum ad Fernelium, quidquid ſit de loco, in quo primariò vult generari ephialticum affectum, ſat eſt mihi illum affirmare à materia in eo loco ſtabulante vaporem craſſum eleuari, quo in fauces, & cerebrum expirante, vox ſupprimitur, ſenſus, atq; mens obturbatur, viſiſq; triſtibus offunditur. Hoc pacto enim Epilepſiam præſagire poteſt. Non igitur iſtorum auctorum aſſertio impedit quominus incubus affectum hunc denunciet, ac ſæpè ingraueſcens in comitiale malum demigret. Quod autem (vt ad aliud me ſignum conferam, licet cum prædicto coincidere videatur) tam corporis, quàm animi ſtatus minimè arbitrarius Epilepſiam antecedat, in cauſa eſt nimia, ſuperfluaq; cerebri humiditas, ob quam huiuſmodi cum animi, tum corporis ſtatus neutiquam voluntarius progignitur. Corporis quidem, vt eidem in auſtrina conſtitutione contingere Hippoctates affirmat 3. Aph. 5. Cerebro enim humefacto, quod eſt ſenſus, motuſq; principium, ſenſus omnes, motuſq; voluntarios

X tor-

torpeſcere, ac ſegniores euadere oportet. Vnde veluti ſolutum ſe, & languidum ſentire hominem neceſſe eſt; Id ipſum millies in me ipſo ſum expertus, nam vt in aquilonari tempeſtate meum corpus cogi, firmariq; & ad motus arbitrarios promptius effici ſentio, ita ex aduerſo, flantibus auſtris, illud ipſum diſſolui, membraq; velut efflaceſcere videntur. Animi verò, quoniam vbi cerebrum humidius, quàm pro natura fuerit, neceſſe omnino eſt, vt præter conſuetudinem moueatur, illo autem, in quo animæ ſunt opera, commoto, neq; auditum quieſcere, ſed alios alia, & videre, & audire oportet, vt etiam linguam talia loqui, qualia ſingulis vicibus viderit, atq; audierit; tandiu enim homo ſapit, quandiu cerebrum quieuerit. Noui ego non paucos, quibus linguæ motus in voces articulatè proferendo liber, & expeditus non erat, ob immodicam cerebri humiditatem, id quod ebrijs potiſſimùm, accidit multo humore cerebro madefacto, eiuſdemq; copia prægrauato. Mœſtitia verò, ſi Epilepſiæ obnoxios magnopere angat, acceſſionem haud longè abeſſe demonſtrat. Siquidem cum alijs temporibus mœſti ſunt Epileptici, tum eo maximè, cui appropinquat acceſſio, triſtitia quædam illorum animos futuri mali præſagos excruciat, vt ego non ſemel olim in patruo, qui à tam ſæuo morbo detinebatur, & nunc in puerulo, & alijs non paucis qui à tali vexantur ægritudine, manifeſtè obſeruaui. Hinc tamen oritur dubitandi occaſio, vnde nam ſit quòd animi triſtitia afficiuntur comitiali morbo propinqui. Cuius rei afferri poteſt duplex ratio, veluti à gemino ſeu duplici humore per eſſentiam Epilepſia gignitur; nam ſi ſermo ſit de ijs, in quibus id mali genus ortum habet à pituitoſo, dicendum eſt, eos in animi illam triſtitiam incidere, quoniam cerebrum perfrigeratur, & cum eo ſpiritus ipſi, & cordis temperamentum, cuius membri paſſio eſt mœſtitia. Cerebro enim cor facilè compatitur. Si verò loquamur de ijs, quorum affectus ab atro, nigroue humore pendet, alia inſuper de cauſa triſtes, ac mœſtos comitiales euadere à nobis aſſeri poteſt; nam de comitialibus à tali hnmore dicendum, quod Hipp. de melancholicis 6. Aph. 23. Si timor, & mœſtitia longo tempore perſeuerauerint, ex eo melancholia ſignificatur. Quandoquidem, vt iam factæ melancholiæ timor, & mœſtitia manifeſta ſunt ſymptomata, ita venturæ

iam

iam iam Epilepſiæ, cuius cauſa ſit melancholicus humor, poſſunt eſſe ſigna, præſertim verò ſi ingraueſcant; nam huius generis Epileptici ferè ſemper timent, ac mœſtitia quadam præter cauſam, & rationem excruciantur, qui propterea etiam ſolitudines amant, ac deſerta loca perſequuntur melancholicorũ more, vt Bellerophontem melancholiæ vitio correptum olim feciſſe conſtat, de quo, vt citat Ariſt. Sect. Prob. 30. prob. 1. poetarum princeps Homerus ita Latinè cecinit:

Qui miſer in campis moerens errabat aleis
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Verùm adhuc explicata cauſa nõ eſt, ob quam adeò mœſti cernuntur Epilepſiæ melancholicæ obnoxij. An eadem quæ & pauoris à Galeno affertur? Eſt enim timor, quædam velut triſtitia futuri mali; triſtitia verò iam præſentis, aut cum omnino imminere præſentit animus, vt Epilepticis contingit. Galenus autem pauorem ijs, quorum cerebrum, vel ab humore, vel etiam vapore nigro tentetur, euenire tradit, non alia ratione, quàm pueris accidat expaueſcere in tenebris; Sua enim natura tenebræ timorem inijciunt omnibus, vt contra lux ſecuros omnes efficit. Melancholicis verò, quo nomine tum propriè dictos melancholicos, tum etiam Epilepticos ab humore melancholico factos intelligimus, vel in ipſa ſplendida luce pauores contingunt: nam ſedes animæ ab eo humore nigro ita afficitur, ac ſi locus omnis tenebroſus exiſtat. Sanè inquit 2. de Sympt. cauſ. cap. vlt. ac 3. De loc. aff. 8. quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferme hominibus pauorem inducunt, ſic atræ bilis color mentis ſedem tenebræ more obumbrans timorem gignit. Contra quam Galeni ſententiam obijciunt ferè omnes Auerrois locum, vbi ſic loquitur 3. Coll. cap. 40. Et qui dicunt quod anima terretur propter humorem melancholicum nigrum, ſicut terretur homo in obſcuro, dicunt verba cantatorum. Quibus verbis deridet Auerroes cauſam metus, & mœſtitiæ, quam Galenus colori adſcribere videtur, argumentaq; in medium affert, inter quæ illud contemnendum non eſt, quòd videlicet color nihil efficere poteſt, niſi ſentiatur; non eſt enim efficiens qualitas, ſed ſolùm poteſt inſtrumentum ſui ſenſus alterare, alterandoq; dolorem, aut voluptatem inferre. Ergò

nullo pacto humoris tenebroſitas metum pariet, aut mœſtitiam, niſi ſentiatur. Vnde nec etiam lumen externum (quo exemplo vtitur Galenus) exhilarat, nec tenebræ contriſtant, niſi videantur. Quare nigrities melancholici humoris illorum ſymptomatum cauſa ſtatuenda non eſt, cum non ſentiatur. Anima enim non videt ea, quæ in corpore, nec ab ijs mouetur, ſed ab ijs, quæ extra viſibilia occurrunt. Vt enim nemo ſe interna cerebri intueri experitur, ita nec profectò colores intuebitur. Itaq; Auerroes prædicta non colori, ſed intemperiei cerebri frigidæ, ac ſiccæ refert accepta. Reſpondent aliqui Galenum ab Auerroe nequaquam ea in re diſſentire, ſed quandam attuliſſe ſimilitudinem ad cauſam oſtendendam, cum mala complexio frigida, & ſicca ab humore melancholico, faciat hæc accidentia magis, quàm ab alia cauſa. Alij verò, &, ni fallor, probabilius affirmant ſpiritus animales, quibus anima pro inſtrumento vtitur ad ſuas obeundas operationes, ſuapte natura lucidos eſſe debere. Ab humoris ergo nigricie obſcurato ſpirituum ſplendore, mens deprauatè mouetur, vitiato ſibi proprio inſtrumento. Ideò etiam Auicenna Fen. 1. tert. cap. de melancholia dicebat, melancholiam, cuius paſſionis propria ſymptomata ſunt metus, & mœſtitia, fieri, permutato ſpiritu ſplendido ad tenebras. Sed rurſus oritur dubitandi locus, cur ſcilicet pauoris, triſtitiæq; cauſam in cerebro collocemus, cum ſint cordis, non cerebri paſſiones. Dicatis illas ex opinione mali originem habere, ſpiritumq; denigratum imaginationem deprauare, ita vt mali iam præſentis, & venturi opinionem excitet, eaque ratione metum, & triſtitiam inducere. Hac ergo ratione fit, vt comitialium animos non modò mœſtitia, vt Aegineta refert, ſed etiam metus paulò antè quàm ab exacerbatione adoriantur, ſummopere angat. Quod intelligendum eſſe videtur de comitialibus, quibus non à pituita, ſed ab humore nigro malum oritur.

Enarrantur cætera ſigna impendentis Epilepſiæ per eſſentiam in præhabito ſermone omiſſa. Lect. XXIV.

RELIQVA imminentis Epilepſiæ ſigna, quæ in antecedenti Lectione prætermiſſa ſunt, quorum nempe cauſæ, ne prolixior dicendo euaderē, minimè relatæ fuere, in hodierna proſequi mihi in animo verſatur. Quare ſignum, quod nunc princeps in ordine nobis ſe ſe examinandum offert eſt; eorum, quæ iuxta ſunt, obliuio, cuius quidem ſigni cauſa etſi percipi omnino poteſt ex abundè ſupra narratis lib. 1. Lect. 9. vbi rationem quærebam, cur hoc morbo detenti fatui ſint, ac immemores, nihilominus de eadem hîc pauca quædam adijciam. In corripiendis ergo comitiali ſymptomate, obliuionis cauſa ſtatuenda eſt frigida cerebri intemperies, quam ex pituitoſi, nigriue humoris copia contraxit. Hæc enim animæ actiones veluti torpeſcere facit, nam frigus nulli functioni earum, quæ humanum corpus regunt, atq; gubernant, ex vſu euadit, præcipuè verò animales actiones ſegniores efficit, vt ex animalibus per frigora deliteſcentibus, ac medicamentis, cibiſue natura frigidis aſſumptis diſcere apertè licet. Verùm præter frigidam, humida quoque cerebri intemperatura memorandi potentiā labefactat, quæ ſi vnà iungantur, & vehementer intendantur, ſoporem, ſtuporemq; inducunt, nedum rerum mox perceptarum obliuionem. Vnde ſi obliuio de repente hominem inuadat, ac diutius perſeueret, non minus ac ephialtes comitiale ſymptoma futurum præſagit. Ideo Auicenna; Et ſcias, inquit, quòd quando incidit cum ſanitate, ægritudines nunciat cerebri fortes, Apoplexiam, Epilepſiam, & Lethargiam. Sic nuper factum eſt, vt ſexagenarius quidam vir ex non ignobili familia oriundus, qui mecum ſæpè de amiſſa memoria, ac dolore quodam grauitatis ſenſum inferente circa occipitis partes conquerebatur, de repente in attonitum morbum inciderit, vitamq; cum morte dicto citius mutauerit. Turbulenta inſomnia Epilepſiam præſagiunt per Hippocr. in Coac. prænot. qui propterea etiam non vno in loco, ſeu

lib. de Inſom. 6. Epidem. & lib. de Humoribus tradidit, inſomnia, qualia quis viderit, ſpectandum a nobis eſſe; intelligit autem inſomnia vocata naturalia, quæ quidem, vtpote paſſionum animæ, & corporis indicia, a Medico contemplanda eſſe Ariſt. prodidit De ſom. & vig. Hæc enim vt humori dominanti analoga, ad morbos curandos non parum ſanè auxilij præſtant. Ab illorum namq; obſeruatione ſatis probabilem de morbi qualitate coniecturam inire, & qui humores intus lateant, quiq; ipſorum ſint defectus, aut exuperantiæ, dignoſcere ſolemus. Ita Galeni tempeſtate cuidam, cum inter dormiendum crus alterum ſibi factum lapidem viſum foret, præter omnium opinionem crus illud paralyſi obtorpuit, lib. de Præſag. ex inſom. Turbulentum verò inſomnium Epileptici affectus idcirco nuntius eſt, quia multitudinem vaporum in caput expirare manifeſtè oſtendit, a quibus quidem inordinatè, ac tumultuosè in cerebro vagantibus, imagines obturbantur, confuſèq; mouentur, cuiuſmodi ſunt febrientium, & eorum, qui ſe multo vino ingurgitarunt, inſomnia. Talia quoque pueris contingunt, iiſq; præſertim, qui natura ſunt helluones, quando ventriculus ſentiendi quidem vi pollet exquiſita; ſed imbecillitate naturali laborat, & in eo cibus corrumpitur; Experientia tamen non in puerulis ſolùm, ſed etiam in ætate perfecta, & grãdi cõſtitutis horrificas per ſomnum imaginationes fieri obſeruatum eſt, cum & multi, & vitioſi humores ventriculum, & ipſius os præcipuè grauarent, atque morderent. Rei autem, de qua loquimur, cauſam cum Ariſtotele aquarum exemplo patefacere poſſumus. Quemadmodum enim ſimulachra, quæ cernuntur in aqua immota, integrè, & clarè videntur, ex quo Vates:

Non ſum adeò informis, nuper me in littore vidi
Cum placidum ventis ſtaret mare

Quæ verò commota aqua apparent, mutilatè, & confusè cernuntur, ita profectò ſi a vaporibus, aut paucis, aut omnino placidis imagines moueantur, ſomnia tum quieta fiunt, veluti turbulenta, monſtruoſa, ac diſtorta, vbi à vaporum multitudine ſurſum in caput elata agitantur. Hęc igitur inſomnia, ſi alicui ſæpius eueniãt, Epilepſiam nunciare ex iam dictis fit rationi conſentaneum. Capitis dolor, ſi diutius aliquem, nedum comitiali vitio obnoxiũ

acriter

acriter feriat, Epilepſiam accerſit, vt non modò ſignum, ſed etiam cauſa huius ægritudinis eſſe poſſit. Dolor enim caput totum adeò afficit, imbecillumq; reddit, vt naturales eius vires proſternat, quibus deiectis, permagna ſuperfluæ humiditatis copia in capite cumulatur, quæ ventriculis impertita comitialem parit, vt etiam aliquando apoplexiam. Doloribus enim commune eſt prohibere mẽbra a ſuis operationibus, Gal. auct. 2. Progn. Com. 71. Verùm capitis dolor, qui Epilepſiam primigenio cerebri affectu conſtitutam antecedit, ab humorum copia oritur, vt inde elici poteſt, quòd talis dolor grauitatis ſenſum inuehit, quem perſentire Epilepticos à capitis repletione vnuſquiſq; nouit, ac Paulus etiam teſtatur, dum addit: eiuſq; repletio continua. Quia tamen qui a plenitudine infertur dolor per ſe fortis admodum non eſt, qualis a comitialibus aliquando perſentiri ſolet, dici forſitan poteſt, non a copia ſolùm humorum gigni, ſed a frigiditate ſimul humorum copiæ adiuncta. Permagno etiam capitis dolore excruciari viſi ſunt Epileptici abſceſſu, vel aliquo alio vitio in cerebro exiſtente. Cuius rei gratia liceat mihi quæſo hoc in loco paulisper immorari, hiſtoriamque iuuenis, ad cuius curationem accerſitus ipſe fui, in apertum breuibus proferre. Venetijs igitur vir quidam in ætate florenti conſtitutus, poſt acerrimum dolorem, quem in capite circa muſculi temporarij ſiniſtrę partis regionem diutius pertulit, in miſerandos Epilepſiæ inſultus, quales ego nunquam vidi, nec audiui, prolapſus eſt, vt vel octo ſupra viginti vicibus die ante vigeſimam quartam, quæ illi fatalis fuit, a tam horrifico ſymptomate aggreſſus fuerit. Quo emortuo cum caput eius ſecandum a conſanguineis exoraſſem, vocatus fuit Iacobus à Vidua anatomes admodum peritus, qui diligenter capite reſerato, ſtatim ad membranas ſe contulit. Vbi primùm dura matre detecta animaduerſum eſt, illam vna cum pia, ab ea parte, quæ è directo muſculo reſpondet, per quandam veluti calloſæ carnis portionem coniungi, adhæreſcereque, ablata autem pia meninge deprehendimus cerebri ſubſtantiam ſubter membranarum coalitum euidens ſatis abſceſſus initium pati, ex quo tetrum aliquem vaporem in cerebri ventres penetraſſe rationi conſentaneum fit, cuius cauſa Epilepſiam per conſenſum ab ea parte incurreret. Nulla enim ferè humiditas in ventriculis reper-

ta eſt, exiguaq; admodum cùm decidebat, ex ore ſpuma exibat, quamuis magnis inſultibus me vidente concuteretur. Hinc fortaſſe dolor ille diuturnus vitio potius membranarum, ob internatum callum, quàm vel ob plenitudinem humorum, vel aliquam frigiditatem in cerebro exiſtentē gignebatur. Vtcunq; tamen ſit de cauſa doloris, ſat eſt nobis iuuenem patientem poſt acerbum capitis dolorem in comitiale malum incidiſſe, vt talis capitis dolor perſeuerans Epilepſiam præſagire meritò credatur, quemadmodum etiam eiuſdem membri repletio continua, in qua quidem ab humorum copia grauari caput ipſum ſignificatur. Repletio enim materiei, præſertim pituitoſæ, aut melancholicæ, qua inter humores nulla grauior, ponderoſiorue exiſtit, ſenſum grauitatis affert, a qua in comitialibus dolorem plerunq; fieri dictum eſt. Continuæ verò repletionis cauſa, capitis videtur eſſe imbecillitas, propter quā vel ex leui occaſione abundè repletur humoribus, aut ibi genitis, aut in illud tanquam in imbecillam partem tranſmiſſis, ob quam plenitudinem fiunt grauitates tendinum, repletiones, ac diſtenſiones venarum colli, hebetudines, atque vertigines, quę omnia Epilepticum malum anteire tradit Aretæus 1. De cauſ. & ſig. acut. morb. Ob iracundiam maximè pallor faciei. Ex cutis colore præpollentis cuiuslibet humoris ſpeciem deprehendi, docuit ante omnes Hippocrates poſt quem Galenus 1. Aph. Com. 2. & 4. De ſanit. tuen. hæc protulit verba. At verò ex humoribus, qui redundet, ex colore conijcere licet. Color enim in cute ſimilis effloreſcit humoribus contentis, niſi intrò refluxerint. Quorum quidem imitatione Auicenna 2. 1. doct. 3. cap. 3. Mixti, inquit, colores mixtos quoque præſeferunt humores, & is ſuperat, cuius color ſuperior eſt. Colorē autem intelligimus cum Galeno c. 5.o. Art. med. quem totius corporis habitus, in illis maximè partibus, quæ primæ oculis ſubijciuntur, repræſentat. E facie autem de vniuerſi corporis habitudine in primis coniecturam inire ſolemus, vt etiam de omnibus, quæ introrſum in animo latitant, ideoq; non temerè additū eſt a Paulo faciei, iuxta illud Hippocraticum: Oculi vt valent, ſic & vniuerſum corpus. Quò reſpiciens, ego quoque quodam in capite mearum Ephemeridum, quas olim ferè puer, & antequam grauiora Medicinæ ſtudia deguſtaſſem, in lucem emiſi, pudoris ſedem in vultu, & præ-

& præſertim in oculis collocandam eſſe demonſtraui. In facie enim, quæ in internis negotiantur veluti in quodã ſpeculo repræſentantur; animaq; cum totum ſanè corpus teneat, in facie multò euidentius ſe prodit. Sic enim cordis affectus iram, timorem, mæſtitiam, & hilaritatem pars illa declarat, vt non citra rationem humani corporis platea vocetur ab Eccleſiaſtico cap. 12. Apud Iſaiam quoque, ſi rectè memini, legitur: Et aſpectus vultus eorum reſpondet eis. In eo namq; ſenſuum omnium inſtrumenta locata ſunt, omniſq; ad ſentientem animam pertinens negociatio eluceſcit. Quare Pythagoras auditorum animos, & ingenium ex vultu conijciebat, cuius partis mutationes Medici in morbis diligenter intuentur; notaq; omnibus eſt Hippocraticæ faciei deſcriptio. Si ergo, vt redeat oratio, vnde digreſſa erat, color, & præſertim faciei deliteſcentem prodit humorem, pallidus ſanè, qui ſolet eſſe excandeſcentium color, bilioſum, a quo ira, ſignificabit. Inter humores enim bilis ſola citrinum illum, ac pallidum colorem præſefert, quem Galenus fieri vult ex permixta aquoſo excremento pallida, & amara, & flaua bile; de Vic. acut. Com. 2. 22 nempe flauus humor quantum a rubro in albiorem ſecedit, tantum a flauo pallidus; licet eidem Galeno Epid. Com. 1. flaua bilis nõnunquam pallida dicatur. Comitiales igitur cum facie palleant, in iramq; prorumpant, bilioſi humoris prædominium habent, merito cuius in hoc ſymptoma incurrunt. Id quod ſuperius diſputatis omnino reclamat. An quod, vt ex Gal. colligitur 4. de San. tuen. c. 7. non quiuis in cute effloreſcens color prædominantis corpori humoris nota exiſtit? ſed tunc ſolummodo fuerit, cum nec ambientis violentia calidi, frigidiue, nec vlla animi ſubſit affectio. Ob hæc enim vel in cutem violentius irruunt humores, vel intrò ſe recipiunt, vt qui color tunc in cute cernitur, nequaquam inſpici debeat a Medico: non enim ſemper vera dicunt colores. Vnde etiam perperam nonnulli de ſimplicium, & compoſitorum medicaminum facultate, ac viribus argumentum a colore ineunt, exiſtimantes quæ medicamenta alba ſunt, refrigerandi vim habere, quæ verò nigra calefaciendi. Nam contrarium in plurimis animaduertere licet, vt in albo pipere, calce, & veratro albo ex vna; niue, ceruſſa, & lacte ex altera, quæ ſimul omnia coloris ſunt albi, & candidi, viribus autem

tem vel maximè pugnant; quam repugnantiam ſenſus ipſe dijudicat, vt exemplo niuis, & calcis docuit Galenus De ſimpl. med. facult. lib. 1. c. 2. Quamobrem vt color haud ſemper verum dicit iis, qui aut alicuius humoris corpori prædominantis, aut etiam medicaminum tam ſimplicium, quàm compoſitorum naturam inquirunt; ita pallidus faciei color in iã iã paſſuris Epilepſiam inuaſionem, non biloſi humoris eorum corporibus dominãtis nota euadet, ſed alia potius de cauſa fiet, ob iracũdiã ſcilicet, in qua præ ſanguine ad intima, & cor in primis reuocato, facies decolor remanet, pallidaq; impropriè vocatur, quod fortaſſe voluit Paulus, niſi aliquis contendat, in iracundia bilẽ efferueſcentem ſimilem ſibi in vultu colorem inducere. Sed qua de cauſa Epileptici iraſcuntur, cum in natura pituitoſos, aut melancholicos, quali plerunq; ſunt comitiali morbo obnoxij, vix ira cadat? In omnibus, qui iraſcuntur, duo ſunt notatu digna, alterũ eſt feruor quidã caloris ex ebullitione ſanguinis in corde, alterum vlciſcendæ iniuriæ cupiditas. Quicunq; enim iraſcitur, ex offenſa aliqua iraſcatur oportet, vnde nocendi appetitus illicò iratum inuadit. Cum igitur comitiales ab aliorum conſortio, vtpote deteſtabili morbo affines, arceri, omnibuſq; hominibus contemptui ſe eſſe cognoſcant, ingenti quodam animi dolore affliguntur, cuius vlciſcendæ iniuriæ cupiditate maxima tenentur in eos, a quibus ſe ſe offenſam paſſos eſſe iudicant. Hoc autem iram verè, ac propriè non eſſe, ſed cum ira potius aliqua ex parte conuenire, ad eamq; accedere, nemo non fatetur. Impropriè itaque iraſci dicuntur Epileptici, cum id illis accidat ob doloris ex contemptu percepti puniendi voluntatem. Inordinatus linguæ motus, nonnulli ipſam quoque commordent, poſtremum eſt Paulo ſignum, quo imminentem Epilepſiam præſagit, cuius quidem cauſam haud arduum erit adinuenire, ſi prius dixero inordinatum linguæ motum illud idem prorſus eſſe, quod Hippocrates incontinẽtem linguam appellat 7. Aph. 40. hiſce verbis. Si de repente lingua incontinens, aut aliqua corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt melancholicum. Vbi Galenus incontinẽtem linguam vocari refert, aut infirmam, incertam, ac titubãtem, adeò vt inexplanatam, nec integrè dearticulatam vocem edat, aut immotam, & omnino ſolutam; cuiuſmodi Epilepticis fieri quotidie

cernitur. Vnde verò id ipſum proueniat, minimè ignorabit is, qui, quo pacto a cerebro linguæ motus accedat, optimè teneat. Pleniſſimè autem hanc rem ipſam docuit Galenus 4. de Loc. aff. 2. ex quo apertè conſtat mouendi vim linguæ aduenire a ſeptima neruorum, qui a cerebro oriuntur, coniugatione, haud longè a ſpinalis medullæ initio; nam ex ipſa anatome luce clarius apparet neruorum a cerebro proceſſus ad faciem quidē a parte eius anteriore, ad partes verò totius animalis ſub facie omnes, ab altera parte, nempe poſteriore fieri. A qua etiam eorū neruorum, qui ad linguæ muſculos veniunt, coniugatio procedit, quibus ipſa motum ab electione perficit. Non abs re igitur cùm anterior duntaxat cerebri pars afficitur, ſola linguę motio vitio carebit, reliquæ verò faciei partes omnes in altera parte dextra, aut ſiniſtra, & ſenſum, & motum ab electione amittent. Quamobrē cauſa cur inordinatū linguæ motum comitiales patiantur, nimia erit cerebri humiditas, quæ neruos, & præſertim poſterioris eius partis humefacit, quominus lingua per ſuos muſculos ab electione moueri poſſit. Vnde inordinatè mouetur, qua etiam de cauſa fit, vt eam plurimi commordeant, id quod eo potiſſimùm tempore accidit, quo iam defatigātur a ſymptomate, cum in eo muſculi tam linguæ, quàm vniuerſi corporis præter ordinem, atque naturam moueantur. Quantum verò ad aurium tinnitum, ſibilumve ſpectat, ea prorſus ratione comitiales caſus præcedit, qua etiam vertigo. Ille enim ſimiliter fit a flatulento ſpiritu, qui aut a cerebri corpore, aut a ventriculo originem trahit, qui dum quietum illum aerem in auris cauitate congenitum, quod Ariſtoteli ſenſorium eſt auditus lib. 2. de Part. anim. c. 10. attingit, ipſumq; dimouet, plenas reddit ſonoribus aures. Secus tamen Galenus 8. de Vſu par. cap. 6. & cum eo Auer. lib. 2. Coll. qui volunt neruum a cerebro ad aures demiſſum organum eſſe auditus, eo quia aer non ſentit: Quidam tamen è iunioribus vnicuiq; ſenſui duo ineſſe ſenſoria, quorum vnum recipiat, alterū verò dijudicet, oſtendere nituntur. Obtulit ſe ſe curandum mihi Venetus mercator, qui continuo aurium tinnitu detinebatur, quo aliquando ingraueſcente in neſcio quos vertiginoſos caſus prolabebatur, qui Epilepſiæ incipientis naturā ſapere mihi videbantur, quod quidem non aliunde proueniebat, quàm ab adaucta in cerebro

bro

bro humidiori illa materia, a qua diminutus illius partis calor fla tulentum ſpiritum tinnitus cauſam excitabat, eaq; cerebri ventribus medio, aut poſtremo impertita. De vocis tarditate quid ſodes aliud proferam, quàm quod ſuperius in linguæ motu inordinato allatum fuit? quod etiam intelligi omnino debet de vniuerſi corporis torpore. Arguunt enim ambo nimiam neruorum principij humectationem; ob quam neq; lingua, neq; corpus totum liberè, & expeditè proprios motus edere valent. Verùm hæc ipſa ijs tantùm Epilepſiam præſagire poſſe videntur, qui a pituitoſo humore tale ſymptoma patiuntur. An verò etiam linguæ incontinentia, & pars aliqua veluti ſtupore attonita morbum iam iam venturum prænunciet ijs, quibus morbi cauſa eſt niger, aut melancholicus humor, non adeò clara, apertave res eſt. Quapropter non feſtinanti curſu percurrenda ſunt, quæ a Galeno, ac Philotæo afferuntur in explanatione illius Aphoriſmi, in quo ita loquitur Hippocrates 7. Aphor. 40. Si de repente lingua incontinēs fiat, aut aliqua corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt melancholicum. Fit nanq; obſtructio ſæpe numero circa apophyſes neruorum, quæ feruntur ad muſculos linguæ, manuum, aut alterius partis, præ qua quidem cum non amplius ſuppeditetur facultas; amittunt ſenſum, & motum lingua, & manus, quarum partium in hunc modum affectarum, hanc quidem ſtupore attonitam, illam verò incontinentem vocat Hippocrates. Parui verò refert, ſi quis dicat alias etiam corporis partes, præter manus, poſſe intelligi ab Hippocrate. Qua ratione autem linguæ incontinentia, & partis alicuius ſtupor melancholiam prenunciēt, & conſequenter ijs Epi lepſiam venturam præſagiant, qui tali vitio humoris nigri cauſa obnoxij eſſe ſolent, cum neutrum ſymptoma prædicta efficere poſſe videatur, ex Galeno ipſo colligitur, qui ſcribit, quòd quemadmodum in quartana febre ſuccum melancholicum ipſius circuitus cauſam eſſe dicimus; ſic etiam dictarum affectionum linguæ ſcilicet incontinentiæ, & paralyſis partis eundem eſſe auctorem dicamus oportet. Fieri ſiquidem poteſt, vt propter humoris craſſitiem tales conſequantur affectus, quales ex craſſa, lentaq; pituita ortum habent. Neutrum igitur humorem abſolutè melancholicum, aut pituitoſum eſſe dicemus, ſed pituitoſum, & melancholicum ſimul.

Nox,

Nox, quæ morbi inuaſionem præcedit, comitialibus non paruæ moleſtiæ eſſe ſolet, quod quidem ijs etiam cõtingere obſeruamus, in quibus futura ægritudinis iudicatio expectatur. Hanc enim antecedens nox difficilis eſt. Ideo Hippoc. 2. Aphor. 13. Quibuſcunq; criſis ideſt iudicatio fit, ijs nox grauis ante acceſſionẽ, quæ ſubſequitur; leuior magna ex parte exiſtit. Accidit enim naturæ quod athletæ, aut militi cum aliquo certaturo; nam vt hic impendente certamine pertubatur, & prius rectè accingitur, cum ſecum cogitauerit, qua ratione inuadendus, vel declinandus ſit hoſtis, ita natura prius turbatur, excitatq; ſuas ipſius vires ad expellendam, & alterandam materiam morbum facientem, & hac de cauſa laboratur. In nocte verò magis, quoniam eo tempore non ſine magna moleſtia ſomnus abrumpitur. Onirogonos demùm hoc eſt venereus ille ſomnus, in quo aliqua cum oblectatione ſemen elabitur, antecedens fit Epilepſiæ, vt etiam furoris, Græci maniam vocant, aut cuiuſcunq; ſimilis morbi, quoniam, vt prodidit Cælius Aurelianus lib. 5. cap. 7. Chron. vexationem oſtendere probatur, atque præmoueri corpus, ſiuè prætangi acceſſione ventura. Quibus omnibus non negligenter expenſis, ac enarratis, ad ea mox ſigna migrandum eſſet, quæ comitiale malum conſenſus gratia à ventriculo, alijſq; partibus genitum præſignificant; ſed antequam ad hæc ipſa deſcendam, quibus notis deprehendatur vter humor pituitoſuſne, aut melancholicus Epilepſiam per eſſentiam genuerit, in proxima Lectione pro viribus patefaciam.

Vter humor pituitoſuſne, an melancholicus Epilepſiam genuerit, quibus notis deprehendatur. *Lect. XXV.*

INITIVM benè medendi à cauſarum morbi cognitione deſumendum eſſe Medicorum nemo non fatetur. Cauſis enim cognitis, ac amputatis, vnà etiã morbi reſcinduntur. Cum verò cauſæ corpus alterantes, ſanitatemq; corrumpentes in externas, ac internas diuidantur, vix credam poſſe fieri, vt abſq; intrinſecis exteriores quidquã efficiãt. Loquor autem de extrinſecis corpori neceſſariò occurrentibus, quæ vel

auctore Galeno in Ar. med. per alias cauſas medias, quæ intrinſecæ ſunt, corpus immutant, ſanitatiſq; habitum corrumpunt. Sunt hę autem humores quatuor, elemenra ſecunda noſtrì corporis a Galeno de Nat. hum. com. 1. ab Aphrodiſeo hominis materia nuncupati, ſanguis, dico, pituita, geminaq; bilis, qui humores a forinſecus incidentibus promoti affectiones pariunt, hoc aſſerente Hippocrate de Morb. hiſce verbis. Morbi quidem vniuerſi fiūt ex his, quæ in corpore inſunt, tum à bile, tum à pituita, ab externis laboribus, vulneribus, & a calido, & ſupercalefaciente, a frigido, & ſuperfrigefaciente, a ſicco, & ſuperexiccante, & ab humido, & ſuperhumectante. Et bilis quidem, ac pituita vnà cum naſcentibus gignuntnr, & ſunt in corpore aut plus, aut minus. Morbos autem exhibent partim a cibis, partim a potibus & ſimilibus. Quomodo verò humores in nobis gignant morbos, hinc diſci facilè poteſt, quòd quemadmodum ſanus homo eſt, dum quatuor humores, vnde vniuerſa eius natura conſtat, tum quantitate, tum qualitate mediocriter inuicem contemperati ſunt, ita è contrario cogitur ægrotare, dum aut copia, aut facultate ſymmetriam non ſeruant. De priori modo loquitur Galenus in Introduc. 13. dicens: Sanus homo eſt primis, vnde conſtat, elementis, & ſecūdis, vnde formatus eſt, quatuor humoribus, tum quantitate, tum qualitate mediocriter inuicem contemperatis. De poſteriori, ac priori ſimul Hippocrates lib. de Nat. hum. per hæc verba. Corpus hominis habet in ipſo ſanguinem, pituitam, & duplicem bilem, flauam ſcilicet, & atram. Atque hæc ſunt ipſius corporis natura, atque per hæc ægrotat, & ſanus eſt. Sanus quidem maximè eſt, vbi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum, cum facultate, tum copia, & vbi maximè permixta fuerint: ægrotat autem cum horum quid minus, aut amplius fuerit, aut ſeparatur in corpore, nec fuerit reliquis omnibus contemperatum. Quamobrem cum morbi ferè omnes pro efficiēte cauſa, de qua potiſſimùm ſolicitus eſſe debet Medicus, quatuor habeant humores ex his, quæ intra corpus aſſumuntur, progenitos, & a me ſuperius, vbi de cauſis Epileptici affectus agebatur, ex Galeno, & alijs abundè oſtenſum ſit, pituitoſum, ac melancholicum humorem cauſas eſſe efficientes illius ægritudinis per eſſentiam ortæ, vter amborum humorum affectio-

fectionem progignerit, diligenti cura per ſua ſigna inquirendum eſt. Variat enim curatio pro varietate humoris morbum producentis. Ideo qui alium a peccante in corpore humorem cathartico euacuant, præterquam quod cauſam, & conſequenter affectũ minimè tollunt, in maximum etiam vitæ diſcrimen patientem deducunt. Qua in re legite Galenum ad Hippocr. Aphor. 2. lib. 2. & lib. 4. Aphor. 2. Vt igitur a pituita, a qua frequentius affectio huiuſcemodi prouenit, exordium ſumam, inita coniectura ex ſenſibilibus, per quæ intelligibilia apprehenduntur, excedentem in corpore pituitam arguetis ex albo colore in toto patiẽtis habitu apparente. A colore enim deliteſcentium in corpore humorum cognitio deſumitur: nam color ſimilis in cute effloreſcit ſubiectis ſuccis, niſi in profundum receſſerint, aut in ipſam cutem violẽtius irruãt; Quare ſi quiſpiam ad Epilepſiæ obnoxium accitus anceps, dubiusve ſit de humore morbum producente, attentè inſpiciat, an patientis corpus ad album, candidumq; vergat, an ſit comitialis ad ſomnum procliuis, & de capitis grauitate, vt etiam mentis, corporiſq; pigritia conqueratur. Hæc enim abundantis pituitæ indicium afferunt, vt ſimiliter mucoſa narium excrementa, ructus acidi, quando nimirum in ventriculo ſuperfluitas adeſt. Ad quam quidem dignotionem facilius aſſequendam confert non parum ætas, ac temperamentum, anni tempus, quod præſens eſt, regio in qua degit æger, eiuſdem ſtudia, & victus ratio. Hæc enim omnia inſpicieda ſunt a Medicis, qui exuberantis in corpore humoris indicia perquirũt, in his pręcipuè, in quibus humores retroceſſerũt, & non ſunt æqua portione per totum corpus diffuſi. Quantum enim ad ætatem ſpectat, cum quatuor humores, inquit Soranus, per quatuor ætates dominentur, in pueritia pituitoſus vnà cum parte ſanguinis vſque in annum decimum quartum, poſt quod tẽpus incipit pubertas, dominatur. Ideo Hippocrates De vic. rat. Puer calidis, & humidis temperatus eſt, quia ex his cõſtitutus eſt, & in his incremẽta accipit: humidiſſima igitur, & calidiſſima ſunt corpora proxima generationi, & augẽtur quamplurimum, & quæ his proxima ſunt eodemmodo. Puerorum, ait Galenus ibidem Com. 7. ætatem par eſt eſſe humidam, quòd incrementum incidere in aliud temperamentum poſſit nullum. Proinde etiam lectum

eſt

eſt apud Albertum magnum 2. De an. trac. 2. c. 6. augmenti tempus in ætate puerili potiſſimùm vigere, propter vicinitatem, quam habet cum tempore ſuæ met originis, quæ ex calido eſt, & humido. His adde inordinatam viuendi rationem, qua pueri ipſi vtuntur, nam præterquam quòd edaces ſunt, imò helluones, à cibo etiam ludentes, proſilientesq; mouentur; vnde crudis humoribus abundant, & crudas etiam vrinas emittunt. Concoctio namque fit corporis, vt etiam animi quiete. Multis humiditatibus abundant ſenes, diſpari tamen cauſa, & ratione. Ideo enim ſenes pituitoſa excrementa congerunt, quoniam alteratrix illorum facultas ingeſta alimenta debiliter concoquit. Quare in ipſis per accidens multa fit humiditas, non proprij temperamenti ratione, quemadmodum in pueris. Senectus enim natura frigida eſt, & ſicca. Hinc vigiles ſenes, quod eorum humiditati repugnat; quam rem doctè more ſuo enarrat Alexander Aphrodiſeus in Probl. cum ſcribit ſenes excrementis abundare, & nihilominus vigilijs affici: Illis quidem abundare tradit, quia frigidiores ſunt, & debiliores, & ad concoquendum ineptiores prelongi temporis ſpatio redduntur. Vnde in eorum corporibus foramina, & meatus excrementis redundant. Vigiles verò ſunt, quia ſicciores parte corporis ſolida efficiuntur. Quomodo autem ſenectus humida, & ſicca dicatur, docet Galenus De vic. rat. Com. 7. & 2. De temp. 2. Ex his ergo inferri quidam volunt tam ſenes, quàm pueros poſſe comitialem morbum pati. Rem hanc ſuperius explicaui in fine lib. 2. vbi quærebam cur pueri Epileptici, ſenes verò apoplectici magis euadant. Quod verò pueri, antequam pubertatis annos attingant, comitiali morbo obnoxij plerunq; ſint, experientia docet, & Hippocrates ipſe, qui talem affectionem in pueris obortam, pubertatis ingreſſu vt plurimum in ijs deſinere teſtatum reliquit. Quamobrē ſi patiens oblatus puer adhuc exiſtat, de humore Epilepſiam producente certam ferè, ac indubitatam ab illius ætate coniecturam inire omnino poteritis; idem præſtabit auxilium temperatura ipſa. Molles enim, candidi, & obeſi pituitoſum corpori humorem dominari ſignificant; tali temperamento præditæ ſunt mulieres plerunque, quæ idcirco Epileptico affectui propenſiores, quàm viri forēt, iuxta illud Galeni. 1. De dif. feb. corporis paſſuri habilitas

magnam

magnam in ægritudinum generatione partẽ obtinet, niſi per vterum veluti per cloacam ſingulis menſibus excrementa deponerẽt. Sed qui alicuius temperamentum ad vnguem noſſe cupit, vt per illud in exuberantis humoris cognitionem facilius deueniat, quoniam humanum corpus, vt ei plures facultates, functioneſq; conueniunt, ita plures partes diſſimili modo temperatas omnino poſſidet, ex vna illarum partium temperie coniecturam facere de toto corpore non debet, ſed adeundæ ſingulæ ſunt, æſtimandumque quo temperamento ventriculus, quo pulmo, quo cerebrum, ac reliquarum per ſe vnaquæq; ſeorſum ſit. Ita enim de vniuerſo hominis temperamento probabilius iudicium feretur. Quemadmodum enim totũ nihil eſt aliud, quàm ſuæ partes vnitæ, ac ſimul ſumptæ, ſic temperamentum totius nihil aliud eſt, quàm temperamenti partium omnium vnio. Sed quia cuiuſcunq; partis ſubſtantiam, atque temperiem velle ſcrutari, longum nimis foret, ad cerebrum in primis, cor, & iecur mens ipſa dirigatur, a quibus cum omnium animalis partium temperiei, tum etiam corpori prædominantis humoris probabiles notæ deſumũtur; ſi hæc enim membra in aliquo ad frigidum, & humidum inclinare ſignis a Galeno traditis in Ar. Medic. deprehendetur, in illius corpore frigidum, & humidum humorem, qualis pituitoſus eſt, peccare conſtanter affirmandum. Ab anni tempore etiam manifeſta ſumuntur indicia humoris ſuperabundantis. Communis eſt enim Medicorum omnium ſententia, quam vnicuique facile eſt videre apud Hippocratem lib. De nat. hum. vere ſanguinem, æſtate bilem, autumno melancholiam, hyeme pituitam creſcere, & corpori prædominari. Quare ſi hyeme aliquis hoc morbo corruat, aut etiam temporis conſtitutione, quæ hyemis naturam præſeferat, nempe quæ frigida ſit, & humida, ex hoc pariter aſſeuerabitis pituitam potiſſimùm eſſe huius morbi cauſam. Raro enim viſus eſt, in quo per æſtatem abundet pituitoſus humor, ſicuti per hyemem bilis flaua. Vere etiã pituita in corpore adhuc valida manet, vt ait Hippocrates loco adducto, iuxta illud eiuſdem Hippocratis 3. Aphor. 13. In pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, Epilepſiæ, & apoplexiæ. Quomodo autem in hyeme, quo tempore ventres ob caloris antiperiſtaſin calidiſſimi ſunt, pituita frigidiſſimus humor

adaugeatur, non vno in loco pleniſſimè docuit Galenus, non modò in Com. Aph. 15. lib. 1. ſed etiam De nat. hum. Com. 1. tex. 37. Regionem ſimul varios parere humores, hominumq; temperamẽta immutare, & conſequenter etiam mores, Hippocratis eſt ſententia De aere, aquis, & locis, quam Galenus tercentis in locis commẽdat 4. De virt. nat. in lib. Quod animi mor. ſequunt. temp. corp. & alibi ſæpè. Quod pariter fatetur Ariſt. ipſe 14. Probl. Ideo iure Hippocrates in morbis longis terram mutare præcipit 6. Epidem. vt etiam præſenti morbo detentis 2. Aph. 45. Loci nanque mutatio maximo perſæpè eſt Epilepticis auxilio, quando nimirum in calidiorem, ac ſicciorem locum migrant, quicunq; pituitæ vitio Epileptici fiunt. Verùm non per ſe regiones, & loca corpora immutant, ſed aeris, pro regionum varietate, alterati ratione, quam rem ſuperius quoque docuimus. Hinc diſcatis non immeritò apud Galenum De cur. rat. per ſang. miſſ. aeris temperiem in tempus, & regionem diſtributam fuiſſe. Quærenti ergò an pituitoſus humor Epileptici caſus efficiens exiſtat, conferet non parum inter alia conſiderare nùm regio, vel locus, in quo patiens degit, frigidæ ſit, ac humidæ naturæ, cuiuſmodi eſt pituita ipſa; augetur enim quilibet humor a ſimili. Certiſſima abundantis in corpore pituitæ indicia deprometis tum ex patientis ſtudijs, vt ſi ociosam, ac ſedẽtariam vitam degat; hic enim pituitoſum accervare ſuccum ſolet, tũ verò ex ipſa viuendi ratione, præſertim cibo, & potu, ex quibus tãquam ex humorum materia conſueuit Galenus lib. De plenit. lib. 3. de Loc. aff. Catatop. 10. redundantis ſucci notas excerpere, vt in dignoſcendis plethora, & cacochymia, ſanguine melancholico, & iſchiade. Quod certè multa cum ratione fieri dicẽdum eſt, cum in omnibus talis exiſtat ſanguis, quale eſt, quo vtitur, alimentum, quod propterea magnam corporis mutandi vim obtinere cuncti liberè fatentur, Galenus verò 3. De ſympt. cauſ. 3. & 3. De temp. 2. vbi dixit: Cibus, ac potus naturam aduentitiam efficiunt, maximè quidem in ventriculo, cum hoc verò, & in alijs partibus. Ad quam alimenti vim, & facultatem reſpiciens Hippocrates hæc ipſa memoriæ mandauit lib. De carn. & alim. facultas alimenti peruenit & ad oſſa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, in arteriam, in muſculum, in pelliculam, in carnem, in pinguedinẽ,

in ſanguinem,in pituitam, in medullam, & cerebrum,& ſpinalem medullam, & interanea,omneſq; ipſorum partes, & ſanè etiam in caliditatem,& ſpiritum, & humiditatem. Quare ſi comitialis potu,& alimentis vſus fuerit,quæ pituitam gignendi vim obtineant, quali natura ſunt frigida,humidaque, & plerunq; etiam craſſiora cibaria,meritò conijcere poteritis illum a pituitoſo ſucco Epilepſiam pati. A ſpuma deniq; Epilepticis circa os ipſum fluctuante haud irrationabiliter deprehendi poteſt, a pituitoſo humore ſymptoma progenitum eſſe. In quibus enim ab acceſſione correptis multa, craſſaq; circa os ſpumoſa apparet materia,his morbus a pituita originem trahit; nam etſi in alijs etiam Epilepſiæ generibus ſpuma fit, cauſis paulò inferius adducendis, veriſimile tamen eſt multò maiorem fieri in his, quorum cerebrum pituitoſo excremento magis abundat,quale omnino eſt patientium id mali genus pituitæ vitio. Hæc de pituitæ,ſeu potius Epilepſiæ pituitoſæ notis dicta ſatis erunt. Accedo ad ea ſigna,quæ melancholicum in corpore humorem abundare,& ab eo conſequenter Epilepticum ſymptoma oriri demonſtrant. Si patientis igitur color ad nigredinem tendat,nigrum in corpore ſuccum peccare aſſerēdum eſt,eo quod quæcunq; exuſta ſunt,nigriora fiunt,talis autem inter humores eſt melancholia,licet ea magis,quæ atræ nomen ſubit. Si terrore inter dormiendum,triſtibuſq; imaginationibus afficiatur, ſi vigiliæ potius,quàm ſomno deditus, a melancholia Epilepſiam illum pati affirmari poteſt. Cuius etiam humoris prædominium oſtendunt eiuſdem patientis tēperatura,ætas,& reliqua iam enarrata. Nam macri,& hirſuti,nec non quibus latæ exiſtunt venæ aptiſſimi ſunt, vt huiuſmodi in ipſis humor cumuletur. Habent enim hi iecur ad generandum hunc fæculentum humorem per quam aptum, quibus propterea niſi lien validior inſit, vt, quicquid de illo generetur,ad ſe trahere valeat, neceſſe omnino eſt,eorum corpora atro humore abundare.Inter ætates maximè atra bile detinetur, quæ eſt a vigeſimoquinto anno vſq; ad quadrageſimumquintum, hoc aſſerente Hippocr.De nat. hum. circa finem. Qui tamen videtur quoquo pacto contrarium affirmaſſe, dum de apoplexijs loquens ex ſola atra bile genitis,ita ſcribit 6.Aph.57.Apoplexiæ maximè fiunt a quadrageſimo anno vſque ad ſexageſimum. Reſponderi

forſitan poſſet quòd quemadmodum in æſtate melancholicus humor adaugetur, ob exuſtionem in humoribus factam ab aeris calore, cum tamen morbi à melancholia in autumno maximè fiant, ita etiam in iuuenili, ac vigente ætate, cuius initium eſt vigeſimus quintus annus, terminus verò trigeſimusquintus, atri, ſeu melancholici humores ab intenſo illius ætatis calore coaceruentur, qui nihilominus effectus ſuos pariant, non in ipſa iuuenta, ſed in primo ſenio, nempe à quadrageſimo anno, vſque ad ſexageſimum, quæ ętas autumno naturæ proportione reſpondet. Haud nego tamen tam in autumno ipſo, quàm hac in ętate aliquã humoris melancholici portionem gigni. Quantum ad anni tempus, quis ignorat morbos a melancholia pendẽtes in autumno potiſſimùm promoueri? ita vt, ſi Epilepſiæ obnoxius hoc anni tempore maximè ab illa corripiatur, dicendum ſit, ab atro potius, quàm vllo alio humore id ipſum produci. Sed ſi attentè perpendantur quæ prolata ſunt a Galeno in Aphoriſmorum Com. lib. 3. Com. 22. aſſerendum omnino eſt, in autumnali tempore nõ tantum ijs, qui ab atro, nigroue humore Epileptici ſunt, iſtud ſymptoma contingere, verũ & ijs quoque, qui pituitoſi humoris culpa comitiales euadunt. Explicans enim quamobrem Medicinæ parens ſapientiſſimus exarauit in autumno Epilepſiam generari, cauſam refert non in humorem melancholicum illo tempore redundantem, ſed potius in repentinam illius tempeſtatis in contrarium mutationem; nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis, atque matutinis, & veſpertinis frigus exuberat, nihil autem æquè Epilepticas acceſſiones gignere atque huiuſmodi mutatio poteſt. Ab hoc eodem melancholico humore excitatam eſſe comitialem inuaſionem regio pariter oſtendit, quæ quidem calida ſit, & ſicca. Talis enim regio atros, melãcholicoſq; humores progignit. Vnde veriſimile ſit melancholiæ vitijs patere magis Arabes, Mauros, Syros, & Indos, qui omnes feruida incolunt loca, quàm obnoxij ſint Galli, Britanni, Scythæ, Thraces, atque Germani, qui gelidis in locis habitant. Quare vt in illis comitiale ſymptoma ex melancholia, ita in his ex pituita magis fiet. Ideo cuilibet ipſorum mutatio in locum contrarijs qualitatibus affectum mirum in modum ad morbi liberationem conducet. Ex Epileptici verò ſtudijs colligetis etiam an

melan-

melancholicus humor affectionem progignat, nempe ſi motui, ac labori deditus fuerit. Labor enim melancholicum gignit humorem, præſertim ſi fuerit diuturnus. Quanto etenim longior, tanto erit ad atram bilem generandam magis idoneus. Omnis namque localis motus (ad quem labor, & exercitium reducitur) calefactiuus eſt, ea prorſus ratione, quam apud Ariſtotelem vidimus 1. de Cælo, & Mun. Nimirum, aut quia adducit calefaciens, vt cæli motus aſtrum ſupra hemiſphærium: aut quia per confricationem, aut concitatam medij diuiſionem producitur. Quæcunq; autem in noſtro corpore calorem adaugent, hæc ad atræ bilis generationem corpus ipſum aptiſſimum efficiunt. Demùm ex viuendi ratione, præcipuè verò ex cibo, & potu, ſi melancholicum humorem gignendi facultatem habuerint, indubitata ferè coniectura aſſequi poſſumus a tali humore morbum hunc progenitum eſſe. Quænam autem ſint cibaria atrum humorem aceruantia in Therapeutice abundè ſatis oſtendetur. Interim legatis Galenum 3. De loc. aff. cap. 17. Ex his ergò omnibus, non modò in comitiali, ſed in omni alio morbo, diligenter expenſis, ac examinatis, efficientem cauſam non difficulter inuenietis, qua cognita, & ablata vnà etiam morbi ipſi auferũtur.

De ſignis Epilepſiæ a ventriculo, cæteriſque corporis partibus progenitæ. Lect. XXVI.

AGAMVS iam quæſo, ſtudioſi Adoleſcentes, de ſignis, quæ comitiale ſymptoma conſortij lege non à ventriculo tantùm, ſed ab alijs etiam corporis partibus genitum prænunciant. Magni ſiquidem refert priuſquàm ad medica præſidia accedamus, non ignorare num affectio in cerebro per ſe ſit, an verò ipſi aliunde communicetur. Cuius quidem rei vniuerſalis aliqua nota inueſtiganda eſt, antequam ad particulares deſcendamus. Quamobrem ſignum vniuerſale per conſenſum eſſe Epilepſiam, actiones erunt cerebri haud profectò ita vitiatæ extra acceſſionem, vt in Epilepſia fit in cerebro per eſſentiam genita. Conſenſus enim propriam cerebri intemperiem, qua animales functiones omnes ma-

magnopere oblæduntur, per ſe non procreat. Exordiar autem inter particularia, a ſignis, quæ malum per conſenſum a ventriclo factum ſignificant, eaque referam ex Paulo lib. 3. cap. 13. ex Auicenna c. de Epilepſia, & Galeno 5. de Loc. aff. 5. Hæc igitur ſunt palpitatio ipſius ventriculi, tumultus, & eroſio: Inſuper ex inedia, ſeu cibo tardius aſſumpto excandeſcunt, quibus a ſtomacho vitium oritur. His adde cordis tremorem, capitis dolorem peracerbum, vociferationem, rugitum, ſtercoris, genituræ, & vrinæ defluxionem, lenem morbi acceſſionem, eiuſque facilem ſolutionem cum vomitu. Inter quæ ſigna recenſentur aliqua communia potius, quàm huius partis peculiaria. Quare hac in Lectione propria tantùm Epilepſiæ per conſenſum a ventriculo expendam, reliqua ſuo loco. Quantum ad palpitationem, quæ eſt partis quædam præter naturam dilatatio, retentricis facultatis ipſius ventriculi imbecillitatem præſefert, præ qua ſtomachus cibos amplectitur quidem, ſed cum vibratu quodam, atque tremore. Vnde concoctio debiliter peracta craſſiores generat flatus, qui dum exitum quærunt, palpitationis motum efficiunt. Itaque ſi Epilepticum huiuſmodi ventriculi ſymptoma præcedit, veriſimile certè ſit illum per conſenſum ab ea parte affectionem perpeti, ob quandam craſſarum partium ſubſtantiam ab eodem ventriculo in cerebrum expirantem. Sed illud hoc in loco prætereundum non eſt, palpitationem Epileptici morbi non modò a ſtomacho, verùm etiam ab alijs corporis partibus, quæ dilatari, diſtendiue poſſint, originem ducentis ſignum nobis eſſe: Quam rem pariter docuit Auicenna 1. ter. trac. 5. cap. 18. cùm ſcripſit, palpitationem comitialis morbi in præcordijs geniti notam exiſtere. Palpitatio enim fit, non in ventriculo ſolùm, ſed in omnibus corporis particulis, in quibus dilatatio, diſtenſioque accidere poſſunt, vt patet ex Galeno De ſympt. cauſ. lib. & c. 2. neque enim os, cartilagoue vnquam palpitant, cum dilatari nullo modo queant, atque hanc cuti ſubinde contingere ſæpè videmus, nonnunquam verò ſubiectis illi muſculis. Inſuper non ita rarò ventriculo, veſicæ, vtero, inteſtinis, iecinori, lieni, & ſepto tranſuerſo accidere poteſt, atque omnibus, quæ diſtendi, dilatarique valent, ita vt tum arterijs, tum cordi ipſi contingere

vi-

videatur, aliuſque in his præter pulſum motus exiſtat. Cum itaq; tot partibus palpitatio accidat, iure merito dicitur eam eſſe notam Epilepſię ab omnibus corporis particulis diſtenſionem admittentibus emanantis, non tantùm illius, cuius eſt à ventriculo prima origo. Illud ſanè prætereundum non eſt, palpitationem quę comitiale ſymptoma per conſenſum ab hypochondrijs genitum ſignificat, a melancholicis vaporibus creari. Proinde ſcriptum reliquit idem Auicenna, quòd ſi huiuſcemodi palpitatio diutius protrahatur, aut melancholiam hypochondriacam, aut Epilepticum morbum præindicat. Hæc de palpitatione, venio iam ad tumultum, quem effici tunc Galenus ipſe teſtatur, dum in ventre fluctuant ingeſti cibi. Elicitur hoc manifeſtè ex eodem Galeno De ſympt. diff. cap. 4. vbi fluctuationes cum ſonitu retentricis facultatis non probè vndique cibos amplexantis ſymptoma eſſe docet. nam tradit quòd cum retentricis, & complectentis facultatis agendi probitas in his duobus conſiſtat, vt tum nullus ab ea locus relinquatur inter vẽtrem, & cibos vacuus, tum complectendi cum concoquendi tempore exæquetur, vel altero tantum non probè actionem obibit, vel vtroque, ſymptomataq; conſequentur, imbecillo quidem complexui fluctuationes cum ſonitu, quas Græci clydonas vocant, & flatulentiæ; Iniuſto autem complectendi tempori excretio celer, & ciborum in inferiore ventre corruptela. Meritò igitur fluctuatio cum ſonitu, quam ſub nomine tumultus Paulus ipſe deſignauit, Epilepſiam per conſenſum à ventriculo prouenire nobis oſtendit. In tali enim ſtomachi vitio rationi conſentaneum eſt copioſam flatuum multitudinem in cerebrum efferri, quæ ventres obſtruendo Epilepſiam pariat. Huius generis eroſio quoque exiſtit. Sed hæc illius tantùm, ni fallor, Epileptici caſus à ventriculo originem trahentis nota euadit, qui non a craſſa aliqua vaporoſa ſubſtantia, ſed a biliofis, mordacibuſque ſuccis in os ventriculi confluentibus, leuemque ibi etiam continui ſolutionem efficientibus, produci ſæpè videtur, cuiuſmodi Epilepſia capiebatur Grammaticus ille Galeni 5. De loc. aff. 5. quoties nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut iraſceretur, aut inediam ſuſtineret. Spectat

huc comitialis conuulſio eorum, qui a cibo ſerius aſſumpto excandeſcunt, quales omnino ſunt picrocholi Græcis nuncupati; in quorum ventriculo, præſertim ſi iraſcantur, aut diutius, quàm illorum met conſuetudo ferat, inediam tollerent, bilioſi humores acres coguntur, a quibus membri illius ore ſenſus maximè exquiſiti affecto, mordicuſq; vellicato lenis Epileptica acceſſio inuehitur, vt conſtat etiam ex Gal. 2. De comp. med. ſec. loc. cap. 1. ob affinitatem nimirum, quam cum cerebro per ſextam cerebri propaginem ſtomachus ipſe contraxit. Hoc ſenſu intelligendus eſt Galenus ipſe De venæ ſect. contra Eraſ. cap. 5. cùm dicit Epilepſiam concitari ob ſtomachi inanitionem. Patientes id mali genus ventriculi vitio, cordis etiam tremor affligit, ſiue hoc dicatur de ipſomet corde, ſiue de ore ſuperno eiuſdem ventriculi. De vtroque enim rectè referri poteſt. Notum ſiquidem eſt vnicuique veſtrûm tam exacto ſenſu prẹditum eſſe orificium ventriculi ſuperius, vt in eius affectionibus cor ipſum affici videatur, hinc paſſio cardiaca, quòd καρδίαν Græci os ventriculi nūcupauerint, quoniam ſcilicet ipſo læſo, eadem ferè ſymptomata, eademque propemodum animi deliquia nos comitantur, quæ cordis læſionem conſequi ſolent. Verùm non ventriculus ſolùm, ſed pars quælibet, cui plurimus inſit ſenſus, facultatem habet animi deliquia, & ſyncopas inferendi, corde ipſo in conſenſum ducto. In digiti punctura hoc ipſum ſæpius accidere videmus. Hinc velim diſcatis ventriculum, non quia cordi propinquus, eidem proprias paſſiones communicare, ſed quia exactum poſſidet ſenſum. Nam quantumuis vicina pars ſit, vt pericardium, ni egregium habeat ſenſum, huiuſmodi accidentia afferre nequit. Non ſemel autem oſtenſum eſt vim hanc tam acriter ſentiendi ventriculo accedere a ſexto neruorum pari, à quo cùm primùm tum dexter, tum ſiniſter recurrẽs vocatus neruus ad orificium ventriculi iam dictum peruenit, in multos neruulos quaſi retis in morem diuiduntur, & os illud amplexantur, quam ob cauſam ſenſum tactus in ſuperno ore ventriculi maximè vigere ſcriptum reliquit Galenus lib. 5. De vſu par. cap. 9. quanquam alibi 3. De loc. aff. 9. dixit non in omnibus æquè exacti ſenſus os ventriculi reperiri, quod ſanè vt eſſe poſſit prima facie non intelligo, præſertim ſi de

ven-

ventriculi ore loquamur, qui ſecundum ſuam innatam habitudinem ſe habeat; cum in omnibus æquè neruorum iſte conſenſus exiſtat. Addit Auicenna peracerbum capitis dolorem præſentiri ab ijs, qui per conſenſum a ſtomacho affectionem hanc pati coguntur; Cauſa huius doloris nulla, vt puto, alia cenſenda eſt, quàm vapores a ventriculo eleuati, qui vel multitudine, vel acri qualitate cerebri membranas diſtendendo, aut moleſtè feriendo, ingentem capitis dolorem producunt. Sed quoniam talis etiam penè dolor ſentitur ab ijs, in quibus non à ventriculo, ſed per eſſentiam in cerebro ſymptoma hoc generatur, alia ſigna expendenda ſunt, quibus rem certius dignoſcere valeamus. Cætera ſigna ab Auicenna poſita omittuntur, quoniam partim communia ſunt alijs Epilepſiæ ſpeciebus, partim verò per ſe ſatis clara ſunt, atque perſpicua. Hucuſque de ventriculo, ad alias mòdò corporis partes tranſeundum eſt. Prouenientem ab interaneis Epilepſiam, ob vermes in ipſis latentes, indicabunt frequens ſaliuæ defluxio, lumbricorum,& aſcaridum emiſsio,& demùm punctio in imò ventre acceſsionis tempore percepta. Signa autem comitialis caſus per conſenſum ab hypochondrijs erit eadem prorſus, quæ melancholiæ hypochondriacæ adſcribuntur, ructus nimirum acidi, inflatio, rugitus,& dolor in ventre non ita breui tempore quieſcens propter materiei craſſitiē, quę plerunq; eſt melancholica, pituitoſaq; ſimul. Quandoq; etiam in tali Epilepſia perſentitur inflammatio in hypochondrijs ipſis ab humoribus calidioribus, vt biliosis, vel alijs ibidem concluſis. Ad hæc ſcribit Auicenna nonnunquam excitari dolorē inter vtraſq; ſpatulas, poſt cibi tamen aſſumptionem, qui dolor a celebrata concoctione quietem adinuenit, deinde nouo cibo aſſumpto reuertitur. Quod ſanè, vt puto, accidit, quoniam in ventriculo cibus ipſe corrumpitur, a quo acres, prauiq; vapores eleuātur, qui per œſophagum trāſeuntes ſpatulis, inter quas collocatus eſt œſophagus, dolorem inferūt. Si verò ab hepate pendeat Epileptici inſultus origo, deprehendetis ex dolore & grauitate illius membri, vt ſimiliter ex leui tuſſicula ſicca; quod ſi à ſplene, aderunt eiuſdem membri durities,& magna obſtructio, necnon etiam dolor,& rugitus in ſiniſtro hypochōdrio, præterquā quòd vniuerſi corporis color ad obſcurū,& melancholicū verget.

Signa

Signa Epilepſiæ per conſensũ ab vtero deſumemus ex menſiũ, aut ſpermatis, aut aliarũ humiditatũ, quę per pudẽda expurgari ſolẽt; vel omnimoda ſuppreſſione, vel etiã diminuta purgatione; quam quidẽ præcedit dolor in pectine, & in vtriſq; inguinibus, & partibus dorſi, quibus cum vterus colligatur, & grauitas in fundo ventris, aut alia demùm, ſi quæ ſunt, quæ illius partis læſionem atteſtantur. Eiuſdem comitialis morbi generis, quod a parte aliqua corporis mediantibus neruis originem trahit, cum duplex omnino principium exiſtat, alterum nempe extrinſecum, quale eſt ſcorpionum, veſparum, atque id genus animalium ictu venenum iaculantium morſus, punctioue, alterum intrinſecum, vtrumque ex noxij vaporis in caput delatione cognoſcitur. Tunc enim patientes ſentiunt veluti auram quandam frigidam eleuari, ſenſimq; in cerebrum adſcendere, a qua eorum oculi obtenebrantur, & mox in terram prolabuntur. Aretæus lib. 1. cap. 5. ſigna referens illius Epilepſiæ, cuius interna eſt mali origo, hæc ipſa in medium per interpretem affert. Nonnullos verò & corripit a neruis procul a capite poſitis incipiens, quicunque principium affectus in conſenſum inducunt. Itaque magni manuum, aut pedum digiti conuelluntur, vnde dolor, & ſtupor, & tremor ſequuntur, atque in caput impetum faciunt, ſi & malum ſurrepens caput inuaſit. His porro fragor quidam redditur perinde, ac ſi ab ligno, aut lapide verberentur, cumque ab humore ſurrexerunt, quædam, tanquam ſi ex inſidijs vapulaſſent, commemorant; hoc ſanè pacto illi, quibus malum id primò incidit, decipiuntur. Quibus verò familiare, & conſuetum eſt, ſimul atque morbus in digitum impetum dedit, aut inde exortus eſt, vſitatos, qui adſunt, adiutores inclamant, futuramque ab experimento calamitatem proſpiciunt, obſecrant quoque, vt membra, vnde oritur, conſtringant, reflectant, dirigant, quin etiam ipſimet ſibi ipſis affecta membra tanquam inde morbum eximentes trahunt, velluntq; atque ita ſibimet auxiliantes, nonnunquam & nos ad ægritudinis notitiam impulerunt. Quòd ſi ab Aretæo tradita exemplo ſunt confirmanda, quidam olim Venetus iuuenis comitiali conuulſione per conſenſum a minimo ſiniſtræ manus digito corripi per interualla ſolebat, a quo digito, præcipuè verò ab ea parte, quæ inter vnguis

radi-

radicem, & nodum verſatur; neſcio quid primum eleuari æger ipſe affirmabat, ita tamen vt antea vniuerſus digitus leui quodam motu palpitaret. Adſcendebat autem quod eleuabatur veluti pſalliendo per brachium in caput, vt patiens affectionis cauſam in cerebrum migrantem manu oſtenderet; qui iuuenis ab hoc ſymptomate perſanatus fuit corpore prius diligenter purgato, cerebroq; corroborato, & phœnigmo digito adhibito, ligatoq; interim ſtrictè carpo, vt auræ adſcendenti aditus intercluderetur. Qua arte etiam ſanatum fuiſſe iuuenem illum Galeni, cuius morbi origo a crure incipiebat, Medicorum nemo ignorat.

De ſignis Epilepticorum, quæ pathognomonica dicuntur. Et an oris ſpuma peculiaris ſit Epilepſiæ nota. Lect. XXVII.

PHILOSOPHI ſingularum rerum ſummas habent proprietates, quibus ſolis ſpeciem neceſſariò concludunt, vt riſibile hominis, hinnibile equi. Nam apud eos quicquid ridet homo, quicquid hinnit equus iudicatur. At Medici cum morbi propria non habeant accidentia, quibus ſolis morbi ſpeciem demonſtrare poſſint, ea propter ad ſignorum, quam vocant, ſyndromen confugiunt, vt ex illis ſimul iunctis, non ſegregatis mobi ſpeciem neceſſariò conuincant. Non enim protinus pleuriticus æſtimandus eſt, quicunque punctorium ſentit in latere dolorem, ſed ſi vnà etiam febriat, tuſſiat, ac difficulter anhelet, certò pleuriticus habetur. Huius generis ſigna appellant Medici pathognomonica, quaſi affectus demonſtratiua, quæ perpetuò morbum concomitantur. Ideo cum ipſo morbo incipiunt, & cum eo pariter finiunt. Hæc apud Medicos vim illam obtinere videntur, quam apud Philoſophos ſigna τεκμήρια vocata, ex quibus fit demonſtratio Ariſtoteli τεκμηριώδης dicta, ex ſignis neceſſariò concludens. Poſtulat autem iam incepti ordinis ratio, vt ſignis Epilepticum affectum præcedentibus propoſitis, ac enarratis, ad ea me ſigna conferam, quæ morbo præſente apparent, quæ non modò pathognomonica, ſed etiam alio nomine dignoſtica appellantur. Hoc in caſu, ex Paulo lib. 3. cap. 13. cum primùm inuaſerit, ægri concidunt, conuellunturq; tum impotens quædam vox interdum ſuboritur, ſed peculiaris admodum mali nota

eſt

eſt oris ſpuma. Non deſunt etiam quibus vrina,& ſtercus quoque præter voluntatem excernitur, nonnullis & genitura. Hæc Paulo præſentem faciunt morbum comitialem. Rhaſis verò 9. ad Alm. tria tantum ſigna proponit Epilepſiæ iam præſentis, nimirum cadere,contorqueri, & mentem intercipi; reliqua enim quæ ſubiungit, inter aſſidentia non neceſſariò morbum concomitantia enumerare videtur,quæ ſunt,ſpumam emittere, & excrementa alui,& veſicæ,& ſeminalium vaſorum excernere. Hæc enim, inquit, affectum grauiorem eſſe ſignificant. A Paulo in eo differt, quod inter ſigna non neceſſaria oris ſpumam collocauit. Celſus etiam dixit huius mali indicia eſſe, quando homo ſtatim concidit, & ex ore ſpumæ mouentur,deinde interpoſito tempore ad ſe redit,& per ſe ipſum conſurgit. His addatur ſpirationis difficultas, quam tamen Auicenna deteriori ſolùm Epilepſiæ adſcribere videtur. Hæc omnia iam relata ſymptomata non in omnibus Epilepſia correptis æquè cernuntur,ſed in his potiſſimùm,qui tali morbo eſſentialiter cerebrum occupante laborant,vt hinc conſtet haud parum erraſſe Auicennam, qui Epilepſiæ per conſenſum a ventriculo genitæ ſigna ſtatuit rugitum,ſtercoris,vrinæ,ac ſeminis inuoluntariã emiſſionem, quæ certè ſi peculiares alicuius Epileptici caſus notæ vocandæ ſunt, non alium quàm in cerebro per eſſentiam productum nobis indicabunt;qui namq; ventriculi, aut alterius infernæ partis conſenſu comitiales euadunt,vix concidunt,leuiterque conuelluntur, nec multa circa ipſorum labia ſpuma apparet, tantum abeſt, vt ipſis illa contingant accidentia, quæ ſcripta ſunt ab Auicenna. Concidunt autẽ in ipſo morbi inſultu comitiales ſenſibus,ac mente capti, nec non etiam contorquentur, ex ſubita meatuum ſpirituum obſeratione, &cerebri contractione: cadere enim,ſubitò deperditæ animalis facultatis in membris nota exiſtit, quod certè non aliunde prouenit, quàm ex repentina ventriculorum cerebri occluſione. Cõtorquẽtur verò Epileptici,motuſq;vniuerſi corporis vitioſos patiuntur, quoniã nerui cerebri motum imitantur, eandem noxam ſentiendo,qua cerebrum afficitur.Mens autem,hoc eſt omnis cognotricis animæ operatio læditur,imò aufertur,læſo maximè primo eius inſtrumento, ſpiritu animali, qui in cerebri ventriculis ſupra oſtenſis continetur, a quorum præcipuè occluſione

id

id genus morbi inuehi demonſtratum eſt. Quãtum attinet ad oris ſpumam Paulus, & poſt eum Altimarus contendit, eam eſſe peculiarẽ huius mali notam, vt alijs notis omnibus anteponenda ſit. Rhaſis verò inter aſſidentia ſigna enumerat, vt eam non ſemper in hoc morbo correptis apparere cenſeat. Atqui perſæpè viſi ſunt, qui Epileptico ſymptomate corruerunt, abſque aliqua oris ſpuma. Præterea eiuſmodi ſpuma recenſetur inter ſigna apoplecticorum; Ergò non erit propria, & peculiaris comitialium nota, vt Paulus, & Altimarus exiſtimant. Proprium enim vocatur, quod vni perpetuò conuenit. Quare ad controuerſiam hanc dirimendam, agendũ prius nobis eſt de generatione ſpumæ in vniuerſum, deinceps quomodo illam in Epilepſia laborantibus fieri cõtingat, & an pariter eius mali peculiaris nota ſtatuenda ſit, nõ difficulter docebo. Ad ſpumæ igitur generationem duplex efficiens, duplexq; etiam materialis cauſa concurrit. Pro materia namq; ſpuma humorem, & ſpiritalem ſubſtantiam habet, pro agente verò vel motum, vel calorem, vel vtrunq; ſimul. Probantur hæc omnia ex Galeno, qui de ſpumæ generationis modo, & cauſis loquens. 2. Aph. 43. tradit ſpumam duarum ſubſtantiarum permixtione perfici, quarum ſpirituoſa vna eſt, altera humida. Hæ autem inuicem permiſcentur in multas partes fractis vtriſque, & comminutis, atque plurimas inter collidendum paruas bullas excitantibus. Quod ſi ita fractus humor (cuius cum ſpiritu complexu bullas excitari contingit) craſſitudine viſcidus fuerit, tum inde nata ſpuma ſolutu difficilis, & conſtans euadit: cuiuſmodi maximè curſu fatigatis equis, atque iracundia permotis apris circa os colligitur. Subſtantiæ porro vtriuſq; comminutionis, & permiſtionis cauſa aliàs exiſtit, vel vtriuſque, vel alterius tantum motus violentus, aliàs calor vehemens, niſi quis fortè hunc ſuo quoque motu ſpumam excitare dicat. Verùm rei euidentiam ſecutis cautius, & certius fuerit, ſi duplici eius generatione conſtituta, in mari quidem vento vehementius ingruente, propter verberatum vehementẽ excitari ſpumam, in feruente lebete, ob calorem fieri dixerimus, ſicq; corporibus animalium per conuulſiones Epilepticas iactatione, & motus violentia, in apris calore ſpumã naſci ſolere: equorũ verò curſu vtriuſq; cauſæ vehementiam locum habere. Cum enim inter reſpirandum

aer

aer intrò, ac foras continenter feratur, tum ſaliuam ipſis tenuari, tum ex pulmonibus vaporis inſtar elatū quiddam, ipſi permiſceri, & complicari accidit; quod gignendæ ſpumæ adaugeat ſubſtātiā. Quæ cum ita ſint de ſpumæ generationis modo, & cauſis, nūc ſciēdum vobis eſt iure merito Paulū, ac Altimarum ſtatuiſſe oris ſpumam peculiarem Epilepticorū notam; quandoquidē prædictæ duæ ſubſtātiæ ſpirituoſa ſcilicet, & humida, ex quorum mutua mixtione, colliſioneq; paruæ multę excitantur ampullæ, & ſpuma pronaſcitur, in Epilepticis dubio procul exiſtunt. Humida quidem ex ſaliua, lioris humiditate, nec nō fortaſſe etiā ex humidiori materia, præſertim verò pituitoſa e capite promanante, originem ducit. Vnde ſuperius a me non ab re fortè dictum eſt, a copioſa ſpuma indicari pituitoſum humorem affectum generare. Copioſior enim ſpuma circa os eorum colligitur, quorum morbus a pituitoſis humoribus gignitur, quàm fiat in ijs, quorum mali cauſa ſit melancholicus humor (ſiccior enim eſt) aut aliqua alia cauſa a ſubiectis partibus in caput eleuata. Spiritalis autem ſubſtātia è pulmone adſcendit, quæ cum humida commixta, eamq; mutuo collidens, ſpumam & ipſa progignit. Hinc ne credatis Eraſto in hoc arguto magis, quàm docto, qui ex aerea hac ſubſtantia arguebat materiā comitialium acceſſionum eſſe omnino tenuem, imò flatulentam, vt Galeno contradiceret, qui Epilepſiam fieri vult ex cerebri ventriculorum obſtructione, quam craſſus, & lentus humor producat. Nam quæ vaporoſa ſubſtantia ad ſpumæ generationem in Epilepticis concurrit, non ex materia morbum generante excitatur, ſed a pulmone ſurſum expirat, quæ oris humiditati immixta, & a motu violento agitata, ſpumam efficit. Quare Eraſto cum ſuis argutiunculis prætermiſſo, dicatur tandem ambas ſubſtantias, quæ ad ſpumæ generationem vnà conueniunt, in Epilepticis eo ſane modo reperiri, quo dictum fuit, quarum cauſa in ipſis ſpuma generari conſueuit, non quidem ex immodico in illas agente calore, ſed propter motus vehementiam, inæqualitatem, ac violentiam, quæ omnia comitialibus propter cerebri, aliarūq; partium deprauatam motionem contingunt.

Meritò igitur peculiaris Epilepſiæ nota dicitur eſſe oris ſpuma, cenſeat quicquid velit Rhaſis: neq; enim contra facit quòd aliquan

do viſi ſunt Epilepſia correpti ſine ſpuma, nam hoc de ſpuria potius,& quæ tali nomine dignanda non eſt, comitiali inuaſione intelligere oportet, qualis omnino eorum cenſetur, qui abſque manifeſta partium iactatione procidũt, quæ neſcio an rectè Epilepſia dici poſſit. In legitima enim,& vera Epilepſia ſemper adeſt ſpuma, quam ex humida, & ſpiritali ſubſtantia excitat comitialium acceſſionum motus vehemens,& inæqualis. Quòd ſi quiſpiam obijciat apoplecticorum etiam ſignum ſpumam haberi, dicendum eſt mea ſententia, eatenus oris ſpumam inter apoplexia laborantium ſigna reponi,quatenus infauſtum illius morbi euentum portendit, iuxta illud Hippocraticum 2. Aph.48. Strangulati, aut ſuffocati, nondum tamen mortui ad ſe non redeunt, quorum circa os ſpuma collecta fuerit. Quamobrem diuerſa ratione in apoplexia ſpuma oris obſeruatur. In ea ſiquidem vt prognoſticum, in comitiali verò morbo,vt pathognomonicum ſignum conſideratur. Verùm aliquis quæret à me,cur ſpuma hæc pro lethali maximè ſigno in apoplexia correptis habeatur, non item in Epilepticis. Reſpondẽdum quoniam in apoplexia non ex magna muſculorum mandibularum,aliarumq; faciei partium concuſſione, quemadmodum in Epilepſia,huiuſcemodi ſpuma creatur, ſed omnino ex pulmone vehementer affecto, propter ingentem in reſpiratione læſionem; ob quam calor in corde magis, magiſq; efferueſcit,excremẽtumq; fuliginoſum adaugetur, quod totũ pulmo violenter ad exitum impellit, ſimulque cum eo humiditatis propriæ aliquid expellit. Quare in apoplecticis exitiale eſt ſignum oris ſpuma, vtpote violentiæ,quæ cordi, & pulmoni infertur, index, dum reſpiratione prohibetur animal. Sed hac in re legendus eſt Galenus Com. mox citati Aphoriſmi,vbi de ſtrangulatis ſermo fit,per quos etiam apoplecticos intelligit. Hippocrates verò de ſpuma Epilepticorum loquens lib.de Sac. mor. videtur eundem generationis modum ſtatuere,quo illam in apoplectis generari demonſtratum prius eſt. Hæc enim illius ſunt verba: Spuma ex ore prodit Epilepticis ex pulmone,cum enim ſpiritus non ingrediatur in ipſum ſpumeſcit, & ebullit,velut moriens. Auctor autem lib. De flat: qui vnam, & eandem omnium morborum originem eſſe, aerem nempe, aut ſpiritum contendit, cauſam ſpumæ Epilepticorum in hunc ſanè modũ

red-

reddit. Spuma etiam per os illis excurrit, neque id ab re eſt. Nam per iugulares venas aer tranſiens, penetrat quidem ipſe, adducit autem ſimul ſecum quod tenuiſſimum eſt in ſanguine, id ipſum cum humidum ſit multa permiſtione albeſcit. Tenues enim membranas purus permeans aer pellucet, quapropter & albę ſpumæ omnes apparent. Et hæc de ſpuma Epilepticorum ſufficiant. Impotens autem vox, quæ interdum auditur in comitiali inſultu arreptis, nil aliud certè eſt, quàm ſonus quidam extraneus abſq; vllo prorſus concentu, vel ordine proſiliens, ob difficilem aeris expirationem a muſculis intercoſtalibus conuulſis progenitus, qui boatus cuiuſpiam ſimilitudinem habet. Sed in Epileptico ſymptomate, præterquam in inuaſionis principio, vox omninò intercipitur, vt muti penitus comitiales euadant, vſque donec a paroxyſmo liberi reddantur, cuius rei cauſam docuit Hippocr. in lib. De ſac. morbo: per hæc verba: Mutus quidem eſt cum pituita de repente in venas delapſa aerem excluſerit, & non admiſerit, neque in cerebrum, neque in arterias cauas, neque in ventriculos, ſed occuparit reſpirationem. Cum enim accipit homo per os, & nares ſpiritum, primum quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmones, pars etiam ad venas. Ex his verò ad reliquas partes in venas diſpergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præſtat quod ad pulmonem venit. Qui verò ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingreſſus, & ad cerebrum. Atque ſic ſapientiam, & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit excluſus à venis aer præ pituita, eamque ſuſceperit, mutum, ac deſipientem hominem reddit. Quibus in verbis Hippocrates non modò vocis, ſed & reſpirationis impeditæ cauſam affert. Verùm de læſa reſpiratione in Epilepticis ſermo fiet in ſubſequenti Lectione.

De

De læſa reſpiratione Epilepticorum, & quamobrem ſenſus omnes in hoc affectu amittantur, probabilior cauſa affertur, quàm factum ſit in ſuperioribus. Pulſus, & vrinæ Epilepticorum qualesnam ſint. Lect. XXVIII.

INTER ſymptomata Epilepſiæ recenſetur & ipſa reſpirandi difficultas, quod præterquã quod experientia comprobatur, Galenus etiam apertè confeſſus eſt, dũ comitiali morbo correptos, vt ſimiliter, & ſopore, & catalepſi, atq; Lethargo, violenter admodum, ac vix reſpirare memoriæ proditum reliquit lib. 5. De loc. aff. 1. Neque enim vllò pacto dicendum ſibi non conſtare Galenum, quia alibi ſcripſerit lib. 4. cap. 2. Cum autem oſſe quopiam terebra perforato medius vẽtriculus fuerit attritus, caros hominem occupat; ſed neq; conuulſione, neq; difficili facta reſpiratione, quarum hæc apoplexiæ, illa Epilepſiæ propria exiſtit, haud ſecus, quàm catalepſi, & caro ſeruata ſecundum naturam reſpiratio. Quo in loco reſpirationem difficilem in Epilepticis negare videtur. Nam hoc ſanè verum non eſt, ſi ſummi Viri mens rectè intelligatur; quandoquidem cum cenſeat Epilepſiam medium quid eſſe carum inter, ac apoplexiam, ſententia illius eſt, non adeo integram ſeruari reſpirationem in Epilepſia, veluti in caro, nec adeo difficilem fieri, veluti in apoplexia. At hæc non repugnant ſuperioribus, quibus difficilem in comitialibus reſpirationem fieri docet, ſi tamẽ æqua libra ponderẽtur. Quod ſi Paulus de hac læſa reſpiratione non meminit, hoc ideo fecit, quia communiter alijs quoque affectibus accidat; ibi enim propria tantum Epilepſiæ ſigna proponit. Erit ergo in comitiali morbo ſpirandi actio læſa, de qua hunc in modum Aretæus. Reſpiratio verò ſuffocatio quædam eſt, veluti in his, qui laqueo ſtrangulantur. Sed hæc reſpiratio apoplexiæ magis, quàm Epilepſiæ conuenit. Quomodo autem ſpirandi actionem lædat Epileptica paſſio in præſenti Lectione aperire decreui; quoniam per huiuſcemodi potiſſimùm actionem haud penitus reſecatam, ſatis probabili argumento nonnulli oſtendere poſſe arbitrantur;

animalem facultatem hoc in ſymptomate ad membra mouenda influere nedum ad ſenſuum inſtrumēta, quod ego ſupra fieri poſſe negaui, cum dixerim virtutem animalē, ſi in Epilepticis influat, tantam non eſſe, quæ motum aliquem edere valeat, cum in ipſis deperdantur omnes ſenſus, qui minori cum facultate peraguntur; licet re vera cur in Epilepſia ſenſus minimè operentur, probabilior a me hoc in loco ſit afferenda ratio, quàm factum ſit in ſuperioribus. Sed antequam ad hæc ipſa deueniam, breuibus conſiderandum quî fiat reſpiratio. Primaria igitur organa, quæ ad reſpirationē efficiendā concurrunt, quatuor omnino ſunt, ſeptū trāſuerſū, alijq; thoracis & abdomini muſculi, pulmo, & cor ipsū, illa quidem vt agendi, hoc verò vt finis rationem habet. Ideo namq; fit reſpiratio, vt qui calor circa cor eſt ventiletur, eiuſq; temperamentum, ac ſymmetria conſeruetur, quæ vtilitas etiam a pulſibus ei, qui per totum animal diſperſus eſt, calori cōtingit. Aliter enim animantis interitus neceſſariò ſuccederet, cum neque breuiſſimo tempore vita proteletur, reſpiratione deperdita, vt exemplo Serui barbari conſtat, qui ſpiritu retento mortem ſibi conſciuit. Vnde meritò Galenus 4. De loc. aff. 7. & lib. 5. cap. 1. & 6. cap. 4. viuentem non ſpirare, & ſpirantem non viuere impoſſibile eſſe exarauit, adeò neceſſaria eſt vitæ reſpiratio. Diaphragma autem, alijq; thoracis muſculi cum pulmone in reſpirandi actione celebranda agēdi vim habere iccirco dicuntur, quoniam vbi diſtenduntur, inſpiratio, vbi contrahuntur expiratio gignitur, ex quibus reſpiratio ipſa conflatur. Diaphragma tamen in expiratione tendi videtur, in inſpiratione verò laxari, ſecus ac facit thorax. Pulmones autem ad thoracis motum vnà quoque mouentur, quod abundè Galen. De motu thor. & pul. vacui neceſſitate demonſtrauit, quamuis Ariſtoteles ſcripſerit 3. De part. anim. cap. 6. & lib. De reſp. cap. 4. pulmones ipſos originem ſui motus a corde trahere, qui etiam nullum diaphragmatis vſum agnouit, præter abiunctionem ſpiritalium membrorum ab inf erioribus: ſed Ariſtotele relicto, de cuius opinione, velut de alijs omnibus ad reſpirationem ſpectantibus diffuſius, ac opportunius, vbi de morbis pectoris agetur: illud potius breuiter, ac pro tempore enucleandū eſt, num partes enarratæ ad ſpirandi actionem præſtandam voluntariè moueantur, an

natu-

naturaliter, vel partim naturaliter, & partim voluntariè. Hoc enim ad faciliorem rei noſtræ ſolutionem magnopere conducit. Verùm ne longius præſens Lectio extendatur, quàm veſtra ipſorum, iuuenes egregij, humanitas fert, pro concluſione habeatur, Galenum, cuius ſub diſciplina militamus, voluiſſe reſpirationẽ eſſe omnino voluntariam, non partim voluntariam, partim etiam naturalem, vt inter alios ſentire videtur Conciliator. Suam verò de hac re ſententiam ex eo ſatis, ſuperq; probat, quòd cuilibet in manu ſit, reſpirationem cohibendi, vt pariter illam citius, aut ſerius, crebrius, aut rarius faciendi: Galeni verba habentur ad hunc modum: Etenim ſi quæ fiunt, ſedare potes cùm vis, & quæ non fiunt, facere, id eſt motus voluntarius. Si præterea citius, aut tardius, crebrius, aut rarius ea faciẽdi poteſtatem habes, non ne omnibus modis manifeſtum eſt actiones eas ſeruire voluntati? Arteriæ certè motum, & cordis, neq; cohibere, neq; excitare, neq; crebriorem, neq; rariorem, neq; tardiorem, neq, velociorem voluntas facere poteſt. Idcirco ne animæ quidem opera huiuſcemodi eſſe dicunt, ſed naturæ: motum autem crurum in ijs omnibus ratio regit; nam & ſedare, dum fit, & rurſus excitare quieſcentem, & velociorem, & tardiorem, & rariorem, ac frequentiorem efficere poteſt. Hæc eadem & in reſpirationis motu fiunt, quæ actio eſt quidem ſepti tranſuerſi, & muſculorum thoracis. Animæ autem, non naturæ eſt opus. Si quidem mouere muſculos, animæ officium eſt. Ex quibus Galeni verbis qui non videt reſpirationem eſſe voluntatis actionem? Quod enim ad libitum, & ex voluntatis imperio cohibere ſpiritum poſſimus, exemplo Serui barbari irati demonſtratur, qui ſpiritu retento voluntariè ſibi necem intulit. Non obſtat autem quod in oppoſitum de dormientibus affertur, in quibus ſeruatur reſpiratio, cum ſomni tempore ceſſent animales actiones: Nam Galenus hanc ipſam obiectionem primus omnium vidit, cui etiam eo in loco abundè ſatisfecit. Vnde magnopere errauit Conimbricenſe Collegium in Com. de Reſp. cap. 2. quod diſputans num reſpirationis motus magis voluntarius, quàm naturalis dicendus ſit, naturalem magis eſſe contendit, quàm voluntarium. Ab ipſa ergò voluntate pendet huiuſcemodi ſpirandi actio; vt reſpirationis cauſa nulla alia vocanda ſit, quàm vis animalis à cere-

bro thoracis muſculis communicata: quæ quidem ex voluntatis iuſſu partes illas mouet, quarum motum inſequitur & pulmo. Quæ cum ita ſe ſe habeant, iam conſtare vnicuiq; poteſt ſpirandi actionem vitiari, aut vitiatis partibus, quarum propria eſt, & peculiaris actio, aut animali tantum virtute læſa, nullo in eius organis manifeſto vitio exiſtente. In actionibus enim animalibus euenire ſoſet, vt abſq; proprio partis affectu amittatur actio; vnde aliquando viſio læditur, nullo prorſus in viſionis inſtrumento vitio apparente, læſo tantummodo ſpiritu animali, qui ad videndi actionem efficiendam a cerebro defluit. Quod ſi Galenus tradit. 1. De loc. aff. 2. nullam affici actionem, niſi pars, quæ illã facit, vnà etiam lædatur, ſciatis id ipſum maximè intelligi de naturalibus functionibus, in quibus ſemper ex læſione actionis membri, proprius eius affectus ſignificatur. Quamobrem in Epileptico ſymptomate ægrotantes difficulter admodum ſpirant, non quidem ab aliquam partium ſpirationi inſeruientium affectionem, ſed animalium ſpirituum, qui a cerebro thoraci mouendo impertiuntur, imbecillitatem, ob eiuſdem cerebri ventriculorum occluſionem, præ qua fieri ſupra dictum eſt, quominus functio animalis in ſenſuum domicilia effundatur, ne dum ad motum aliquem præſtandum, qui maiori ſpirituum affluxu indiget. Verùm negari haud vllo modo poteſt, ſpiritum animalem in Epilepſia ad partes cerebro ſubditas permeari, cum per eum reſpirationis motus celebretur. Quod veriſimile inde quoq; fit, quia ex ſemiobſtructione tantum ventriculorum huiuſcemodi paſſio procreatur, non integra, veluti apoplexia. Vnde relinquitur locus peruius ſpiritibus ad neruos, qui vim motricem ad muſculos thoracem attollentes deferunt. Quinimò etiam in apoplexia, in qua, facta comparatione cum Epilepſia, integram fieri obſtructionem aſſerimus, aliquo ex pacto ſeruatur reſpiratio, ſi adeo integra obſtructio non eſt, quæ ventres omnino occludat, aditumq; omnem ſpiritibus impediat, tum enim reſpiratione prorſus priuatum animal præfocatur. Vnde meritò Galenus magnitudinem periculi in apoplecticis a magnitudine noxæ reſpirationis conijciendam eſſe docet. Quanto magis igitur affluent in Epilepſia ſpiritus, in qua eorummet ſedes, ac domicilium magna ex parte patet? Hinc tamen arguendum non eſt comitialium

motus

motus a virtute mouente progigni, ac ſi ſecundum naturam eſſent, & voluntarij, quemadmodum præter Rondeletium, & Mercurialem, quorum opinionẽ iam impugnaui, Thomas etiam Eraſtus perperam contendit lib. 4. in Parac. nam motus Epilepticorũ magni ſanè ſunt, ac vehementes, ſed inuoluntarij, quoniam cerebri motum inſequuntur, quod membrum dum ſe contrahit circa rem noxiam, & infenſam ventriculos obſtruentem, aut vellicantem, ſicut in Epilepſia fit per cõſenſum, trahit vnà neruos omnes, nerui muſculos, muſculi verò per tendines membra ipſa, quare vniuerſalis partium concuſſio excitatur. Ideo Galenus loco citato; Cæterùm, ait, velox eius diſcuſſio craſſum humorem ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruentem hunc maximè affectum peperiſſe declarat, neruorum principio ſe ipſum quatiente, quo excutiat id, quod noxium eſt. Mirum autem videri cuiquam non debet, quod motorij ſpiritus ad thoracis partes mouendas deferantur, ſenſibus tamen omnibus careant Epileptici, cum minori ſpirituum copia egeant ſenſus ipſi. Nam in Epilepſia amittuntur ſenſus, non ab omnimodam ſpirituum animalium ad ſenſuum inſtrumenta prohibitionem, cum cerebri ventres ſpirituum ſedes integrè non occludantur, ſed magna ex parte ipſis ſpiritibus pateſiant, verùm potius quoniam ſenſuum alterationum perceptio a principe facultate excipitur, quæ cum in Epilepticis vltra modum vexata ſit, & occupata in re noxia a ſe quàm longe fieri poteſt, expellenda, ſenſibus oblatas alterationes minimè ſentit; ideo etiã ſi pungatis, vel exuratis ægrũ, non conqueritur; multò minus audiet, licet eum altius appelletis, & vidẽdi ſenſu exteriora obiecta percipiet. Colligitur hæc ratio ex Hipp. & Gal. verbis, dum comitiales, neq; recordari, neq; audire, neq, videre, neq; vllo in ſumma ſenſu vti ſcripſerunt, quoniam ſcilicet cum memoriæ viribus ratio pariter afficitur. Accidit enim Epilepticis quod mente ægrotantibus, qui etſi aliqua corporis parte doloris cauſam habent, dolorem tamen minimè ſentiunt, de quibus hunc in modum Hipp. Quicunq; parte aliquà dolentes, dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat. Reſpiratio autem propria muſculorum thoracis actio, ab animali virtute pendens, ſeruatur in Epilepticis, in quibus aliæ actiones animales feriantur, quoniam natura adeo ſolicita eſt de

vitæ animantis conſeruatione, vt hoc in affectu vim omnem, atq; conatum ad reſpirationis tutelam adhibeat, ſine qua viuere animal non poteſt, nam ſi eam alicui adimetis, quàm citò mortem afferetis, Galeno auctore De vſu reſp. cap. 1. Cordis enim temperamentum ſoluitur, quo fit tandem, vt animalis etiam neceſſariò ſuccedat interitus, eiuſdem Viri ſententia 5. de Loc. aff. 1. Id ipſum profectò mirandum magis eſt in apoplexia tentatis, in quibus alijs omnibus muſculis ſtupentibus, & immotis, ſoli thoracem attollentes, & dilatantes muſculi ſæpè mouentur, licet id vix, ægrèq; fiat. Quod ſanè, inquit Galenus 2. Aphor. 4. propter neceſſitatem reſpirationis vim neruis contentam excitantis ad actionem, accidere videtur. Ob eamque cauſam omnino in apoplexia, qui thoracem attollunt, muſculi omnes agunt, quamuis antè rarò omnes, exempli gratia, in vehementiſſimis corporis exercitationibus, agerent. Siquidem propter eiuſmodi motus violentiam reſpiratione opus eſt quàm maxima; ſecus habet in apoplecticis; neque enim quia reſpirandi aucta ſit neceſſitas, ſed propter virtutis imbecillitatem, mutuò auxiliari coguntur omnes muſculi thoracem diducẽtes; quemadmodum alioqui in ijs etiam, qui propter febres virtutem imbecillam habent, ſe ſe eadem de cauſa omnes mouere cogũtur, ſingulorum actiones in vnam ſummam colligentes illam quidem minimè contemnendam. Et hęc de læſa reſpiratione Epilepticorum, vt eorundẽ etiam ſenſuum amiſſionis cauſa ſufficiant.

Idẽ finis eſt naturæ in reſpiratione, qui & in pulſu, propterea aliqua etiam de hoc dicamus, per quem inſtantem acceſſionem, ipſamq; iam præſentem, & conſiſtentem dignoſcimus. Gal. igitur in Com. de pulſibus ad Tyrones cap. 1. & 4. de cauſ. pul. eoſdem comitialium, & attonitorum pulſus ferè videri ſcripſit ad hunc modum: Comitialium, & attonitorum pulſus perſimiles ſunt, quare quæ de comitialibus exponemus, eadem & de attonitis, ſed cumulatius dicenda ſunt. Siquidem dum natura modicè turbatur, & nondum affectus adeo inualeſcit, nullam eſt inuenire mutationẽ in magnitudine, vehementia, celeritate, frequentia, & duricie. Solum autem eſt conuulſis intenta iure vtrinque arteria. Sin autem genus ſit affectus, vt oneret facultatem, inæqualitatem quandam capit, ac tenſionem validam; ac minor, languidior, ra-

rus,

rus,tarduſq; efficitur. Si magnopere grauet, & facultetem opprimat,languidos,paruos,celereſq; creat.Ex vrinis quoque inſtans, & præ foribus, vt inquiunt, comitialis acceſſo iudicatur;quia tenues,& aquoſę cernuntur,craſſiori illarum materia in capite permanente.De qua quidem vrina ſic legitur apud Hippoc.in Coac. prænot. Comitiali morbo laborantibus vrinæ tenues, & crudæ, præter morem,ſine repletione, morbi inuaſionem ſignificant,tum aliàs,tum ſi quis dolor,aut conuulſio in ſummum humerum, aut collum,aut dorſum incidat,aut torpor corporis fiat,aut turbulentum ſomnium viderint. Denique audiendus eſt Lucretius præclariſſimus Philoſophus, qui ſymptomata cuncta Epilepſiæ iam patientem moleſtantis tam aptè,ac ex arte deſcripſit,& enarrauit,vt quemadmodum apud omnes ex his, quæ tam ingeniosè de natura diſſeruit,inſignis Philoſophi nomen adeptus eſt,ita mihi ex his quæ cum de alijs, tum de comitialibus adeo exactè cecinit, tanquam pereximius Medicus vtique commendandus videatur; Lucretij hæc ſunt carmina 3.de Nat.

Quin etiam ſubita vi morbi ſæpè coactus
Ante oculos aliquis noſtros, vt fulminis ictu
Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus:
Deſipit, extentat neruos, torquetur, anhelat:
Inconſtanter, & in iactando membra fatigat.
Nimirum quia vis morbi diſtracta per artus
Turbat agens animam. ſpumantes æquore ſalſo
Ventorum vt validis ferueſcunt viribus vndæ.
Exprimitur porrò gemitus: quia membra dolore
Afficiuntur: & omnino quod ſemina vocis
Eliciuntur; ex ore foras glomerata feruntur;
Quas quaſi conſuerunt; & ſunt munita viai.
Deſipientia fit, quia vis animi, atque animai
Conturbatur, & (vt docui) diuiſa ſeorſum
Diſiectatur eodem illo diſtracta veneno.
Inde vbi iam morbi reflexit cauſa, reditq;
In latebras ater corrupti corporis humor,
Tum quaſi vacillans primùm conſurgit, & omnes
Paulatim redit in ſenſus; animamq; receptat.

Quæ ſymptomata circa finem Epilepſiæ, & ea iam finita cernantur. An in paralyſin hic morbus deſinat, & quò materia illius cauſa trudatur. Lect. XXIX.

CVM mea ſit hodie intentio, Adoleſcentes, ſymptomata, quæ in comitialibus, iam finita acceſſione cernuntur, in medium afferre, minimè ab re fore exiſtimaui, ſi ea nunc quoque enarranda proponerem, quæ circa acceſſionis finem in plurimis Epilepticorum apparere ſolent. Hęc autem nil aliud certè ſunt, quàm vrinæ, geniturę, & ſtercoris inuitæ excretiones, quæ morbi remiſſionem non minus turpem reddunt, quàm eiuſdem inuaſionis initium terribile efficiant ſuperius tradita accidentia. Triſte medius fidius comitialis inuaſionis ſpectaculum, turpis & eius deſinentia cum ſemine, lotio, & ventris ſolutione, inquit Aretæus lib. 1. cap. 4. Horum verò trium ſymptomatum vnica tantùm videtur eſſe cauſa, nimirum totius corporis concuſſio, quæ verè comitiales perpetuò concomitatur. Nam quantum ad alui, & veſicæ inuoluntariam excretionem ſpectat, jn hunc prorſus modum fieri ſolet. Muſculus qui veſicæ ambit ceruicem, eam adeò ſtringit, vt nihil humoris è veſica in meatum ingredi poſſit; quam etiam actionem, ac vtilitatem præſtat muſculus, qui recti inteſtini extremam partem ambit. Ipſis ideo in Epilepſia muſculis conuulſis, neque vrinam veſica, neque ſtercora aluus retinere poteſt, & vtraque præter voluntatem excernuntur. Confert horum excrementorum ſolutioni muſculorum abdominis compreſſio à valida comitialium concuſſione producta. Genitura autem Epilepticis inuitè exit, ſpermaticis vaſis tenſis, atque contractis. Quemadmodum enim hoc in affectu nerui conuelluntur, ſic & vaſa ſeminalia, in qua conuulſione expellunt. Id quod ante nos vidit Matthæus Curtius in Anat. Mund. cap. 23. Verùm ſi vniuerſalis partium concuſſiuus motus in comitiali morbo tentatis generatur ex eo, quod nerui cerebri motum violentũ, muſculi neruorum, muſculorum tendines, horum verò membra inſequuntur, dubitabit aliquis num ſeminis excretio fieri poſſit,

quæ

quæ a vaſis tantùm ſeminalibus abſq; vllo muſculorum vſu celebratur, quamuis in naturali ſeminis eiaculatione muſculoſa quædam ſubſtantia circa penis meatum ſita, quam ſemel, & bis indicauit olim mihi in corporum diſſectione Flaminius Rota vir apprimè doctus, & apud Bononienſes Anatomes percelebris profeſſor, iuuet ad eiuſdem penis dilatationem; ne fortè conniueat, pro faciliori tum ſeminis, tum etiam lotij exitura. Perquam facilis eſſet reſponſio, ſi vera foret opinio affirmantium plurimam genituræ partem a capite per venas iuxta aures in fœmora, & teſtes deſcendere, auctoritate Hipp. lib. De genit. & De oſſ. nat. Sed quoniam hanc ipſam opinionem a vero alienam eſſe omnes Anatomes proceres teſtantur vnanimiter, dicendum potius eſt, mea ſententia, ſemen excerni in Epilepticis non muſculorum conuulſione, vt in alui, & veſicæ excretionibus accidit, ſed quia vnà cum alijs partibus corporis conuulſis, atq; contractis, vaſa quoq; ſeminis contrahuntur, comprimunturq; ex quorum compreſſione genitura ipſa excernitur. Cauſam hanc olfeciſſe videtur Aretæus, qui ſcripſit lib. 5. cap. 5. nonnullis etiam adſtrictis, compreſſiſq; vaſculis ſemen excernitur. Quod ſi aliquis harum trium excretionum cauſam in retentricis facultatis imbecillitatem referri debere contendat, non abſurda fortaſſe loquetur. Ob huius enim virtutis infirmitatem, neq; muſculus, qui veſicæ collum, neq; qui recti inteſtini extremam partem ambit, neq; demùm obliquæ vaſorum ſeminalium fibræ, quas ad retinendi officium natura deputauit, proprio fungi munere valent. Quam ſententiam illud confirmare videtur, quòd hæc ſymptomata niſi prope acceſſionis finem cernuntur, cum diu, multumque iam dictæ partes a magna concuſſione fuerint defatigatæ; nam veluti eneruatæ, quæ intra ſe continent, ſponte egredi permittunt. Hæc ad finem acceſſionis pati ſolent Epileptici, ea verò iam peracta veluti ſopor quidam illos occupat. Remanent enim tunc non modò ſenſibus, vt antea, ſed etiam omni motu deſtituti, imò tanquam emortui aliquo temporis ſpatio videntur. De hoc ſopore intelligendus Paulus lib. 3. cap. 9. qui carum inter, atq; Lethargum diſcrimina ponens, Carus, ait, aliquot alijs affectibus ſuperuenit, febrium exempli gratia acceſſionibus, comitialibus. Niſi de caro fortaſſe loquatur Paulus, quo

multi

multi è comitialibus infeſtari ſolent, priuſquam ab acceſſione tententur. Vidi enim ego cum alibi multos, tum præſertim Venetijs quadrimum puellum Bononienſem alto ſomno adeò oppreſſum, vt immobilis, omniq; deſtitutus ſenſu per binos ferè dies extiterit, pro cuius curatione vix remedia excogitare aggredior, dum illicò me præſente in comitialem demigrat affectum, a quo etiam vitali aura priuatus interijt. Quicquid autem Paulus intelligat; pro indubitato habendum, Epilepticis, inuaſione peracta, ſoporem contingere, grauiorem quidem jis, quibus per eſſentiam affectio orta eſt, leuiorem verò quibuſcunq; per conſenſum euenit. Vnde iure merito Auicenna 1. ter. trac. 5. cap. 9. prauæ Epilepſiæ notas referens, hæc profert verba: Signa verò eius, quæ prauior eſt, ſunt difficultas anhelitus, & prolixitas agitationis, deinde longitudo quietis poſt ipſam. Vbi per longam quietem quid, obſecro, aliud intellexit Arabum Medicorum princeps, quàm ſoporem, qui poſt tranſactum Epilepticæ exacerbationis concuſſiuum motum, patientes inuadit, non alia, puto, ratione, quàm longus, & profundus ſomnus eos, qui nimium vigilauerunt, ac diutius pondera, & labores pertulerunt occupare ſolet. Ideo nanq; eos occupat ſomnus, vt qui ſpiritus cum vigilijs, tum laboribus fuerint defeſſi, ac reſoluti reficiantur, denuoq; regenerentur. Galenus enim vigiliæ comparabat Epilepſiam, in qua etiam vehementiſſimo motu defatigantur ægrotantes. Verùm dicet aliquis perperam Auicennam longam quietem (ſi per eam ſoporem intelligit) inter prauas Epilepſiæ notas collocaſſe; nam qui ſopor ex longa vigilia, aut labore, ex ſpirituum defatigatione, reſolutioneq; originem habet, qualem etiam comitialibus ſuperuenire exiſtimandum eſt, ſuauis admodum, & naturæ perquam gratus eſſe conſueuit, quæ autem naturæ grata ſunt, eadem & vtilia, tantum abeſt, vt maius ex illis naturæ periculum impendat. Dicerem ego idcirco velle quietem longam, aut ſoporem eſſe prauæ comitialis acceſſionis notam, quia vehementem præceſſiſſe inſultum ſignificat, vt patientes niſi poſt longum tempus ad ſe redire, & proprijs vti functionibus valeant, amiſſis viribus, & ſpiritibus refecti, vt videatur dicendum quietem illam, vt ſignum grauioris prægreſſæ acceſſionis conſideratam fuiſſe ab Auicenna. Duo remanent diſcutienda, vt noſtra intentio

in

in hodierno ſermone abſoluatur. Vnũ, an in paralyſin finiatur Epilepſia. Alterum, quò extrudatur materia tam horrifici ſymptomatis cauſa. Quod ad primum attinet, in dubium ea de cauſa vocatur, quia Galenus in hoc non modò Auicennæ, ſed etiam ſibi ipſi contrariari videtur. 4. De loc. aff. 2. Siquidem apoplexiæ docens, Epilepſiæ, ſoporis, & cathochi differentias, tradit Epilepſiam ab apoplexia differre, quòd hæc in paralyſin finitur, illa verò non itẽ. Oppoſitam verò ſententiam tueri viſus eſt, dum ita loquitur. 4. De rat. vic. in acut. tex. 27. Nã quod eas, quæ ex apoplexia, vel Epilepſia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt, paralyſes; ideſt reſolutiones, Hippocrates ita appellet, eſt demonſtratum. Interdum quoque & facta abſq; conuulſione Epilepſia nonnullis morbos in partis reſolutionem finitur, qui paraplexia vocatur. Quod enim hoc in loco legendum ſit Epilepſia, non apoplexia, quemadmodum textus omnes præſeferunt, ſcriptum reliquit Mercurialis in Prælect. Patau. cap. de Epilepſia, ea forſitan de cauſa, quia ſine conuulſione apoplexia fit, & quia ferè ſemper, non interdum in paralyſin degenerat. Aliquandò autem Epilepſiam abſque conuulſione apparere, demonſtratum à nobis eſt in ſuperioribus. Patet ergò ſibi non conſtare Galenum, per quem finiri, & non finiri in paralyſin hæc affectio poſſe videtur. Inſuper Auicenna pr. 3. tract. 5. cap. 8. manifeſtè ſcribit Epilepſiam in paralyſin deſinere, hiſce verbis. Et quemadmodum apoplexia vertitur ad paralyſin, ita plurimũ Epilepſia conuertitur ad paralyſin. Et multoties, addit, reſoluitur Epilepſia ad paralyſin, & melancholiam. Pro controuerſia hac dirimenda reſponderunt aliqui in Auicennæ verba mendum irrepſiſſe, &, vbi multoties, reponẽdum, aliquoties. Sic enim Galenum Auicennæ conciliari poſſe exiſtimant. Mercurialis, cuius nuper facta eſt mentio, & quem ſemper ego ob ſingularem eius eruditionem magni feci, duplicem dari Epilepſiã refert loco citato, vnam quidem ſine conuulſione, alteram verò cum conuulſione, atque illam in paralyſin poſſe finiri, hanc verò non item; Cuius tamen Viri ſententia ea de cauſa mihi non vndequaq; ſatisfacit, quia Epilepſia quæ ſine ægrotantis conuulſione inuadit, non ab humore pituitoſo frigido, & craſſo cerebri ventres obſtruente, ſed a blando potius vapore à ventriculo in cerebrum

elato,

elato, aut etiam ab humore, qui tamen adeò paucus exiſtat, vt quemadmodum legitimam non parit Epilepſiam, ita nec vllo pacto paralyſin inducere valeat. Nam quantum ſpectat ad Galeni locum paulò ſupra allatum, vbi videtur affirmare Epilepſiam, quæ conuulſione careat, in paralyſin quandoque finiri, puto illum non continere mendum, &, ſi aliqua in parte correctionem expoſtulat, vbi interdum eſt, reponendum plerunque, aut multoties, iuxta ipſius Galeni mentem, qui alibi dixit 4. de Loc. aff. 2. Solutæ apoplexiæ creberrimè ſuccedit paralyſis. Vera nanque cauſa, ob quam non ſic in paralyſin terminatur Epilepſia, velut apoplexia, cum tamen vtraq; paſſio communem habeat vnum, eundemq; humorem, nulla quidem eſſe poteſt, quàm conuulſiua cerebri motio, dū noxium humorem a ſe protrudere nititur. Eo ſiquidem motu, & eſt alterum quæſitum, humor comitialis morbi cauſa ad nares, ad palatum, & ad ventriculum expellitur. Vnde non ſemel obſeruaui etiam intra domeſticos muros ex Epilepticorum ore pituitā multam vitream, craſſam, & frigidam excerni, quam ſi in longum trahatis, veluti filum ipſius multitudinem deducetis. Imò nec ſemel videbitis Epilepticum ab acceſſione liberari non poſſe, niſi illa prius excreta. Stertor præterea, qui aliquando in ijſdem perſentitur, non ne clarè oſtendit illius humoris partem in thoracem delabi, vt per œſophagū in ventriculū, eiuſdem cum nauſea, & vomitu excretio? Vt hinc pateat quàm leuis, inaniſq; ſit illa Fernelij ratio, qua conatur probare apoplexiam, & Epilepſiam haud eo nomine differre, quia hæc ex non integra obſtructione ventriculorum, illa verò ex omnimoda creatur. Inquit enim. Si hæc foret cauſa, in diſcuſſione paroxyſmi ſuccederet ei paralyſis, veluti ſuccedit apoplexiæ. Quandoquidem aſſeram ego idcirco paralyſin attonito morbo ſuperuenire, quoniam cerebri ventres in eo affectu integra obſtructione, occluſioneue laborant, ac tota eiuſdem membri ſubſtantia vehementer opprimitur. Ex qua re fit, vt obſtruentem materiam inſita virtus non modò non vndequaque trudere, vt in Epilepſia fieri cernitur, ſed ne contra inſurgere queat; quod maximè accidit forti apoplexia correptis. In his verò, qui non adeo forti laborant, ad alterum latus, quod eſt ſpinalis medullæ initium a cerebro ipſo materia, quāuis debilius,

excu-

excutitur, vnde paralyſis. Quamobrem de apoplexia loquens Rhaſis 9. ad Alm. 3. Cum alicui, ait, ob ſummam ſpirandi difficultatem ſpuma ab ore prorumpit, nullis remedijs ipſi ſubueniri poteſt: verùm ſi leniter ſtertit, & liberius æger reſpirat, morbus leuior, & mitior exiſtit. Et præſens quidem affectus, aut mox oppreſſum ſuffocationis modo iugulat, perimitq; , aut noxio humore à cerebro in neruos delapſo, in illorum reſolutionem deſinit. His ita diſputatis concludendum mea ſententia, in paralyſin nunquã terminari Epilepſiam, quæ talis verè exiſtat, hoc eſt quæ ex adeo magna ventriculorum obſtructione non pendeat, vt ad apoplexiæ naturam potius accedat, in qua propterea leuis fiat conuulſiuus motus, humoris multitudine penè obruta expultrice facultate. In huiuſmodi enim Epilepſia apparere quandoq; poſſe reſolutionem, neque ipſe negauerim. De Epilepſia hoc modo genita intelligendi quicunq; farẽtur ſe vidiſſe in praxi Epilepſiam degenerã ſe in paralyſin, de quibus legatis inter alios Heurnium. Et hoc ſenſu, arbitror, dixit Auicenna in paralyſin morbum comitialem finiri. Quò pariter ſi Mercurialis reſpexit laude potius, quàm reprehenſione eſt proſequendus. Ad prognoſticum deſcendamus.

De prognoſtico Epilepticorum. *Lect.* X X X.

ACTVRVS hodie de comitialium prognoſtico, exordiendum mihi eſſe duxi à prognoſtico in genere, an videlicet Epileptica paſſio curatu omnino contumax exiſtimanda ſit, deinceps ad prognoſticum iam pręſentis acceſſionis, eiuſque differentiarum ſermonem conuertam. Fuit Medicorum quorundam opinio Epilepſiam medicinalibus auxilijs profligari nunquã poſſe, cuius rei gratia, Herculeũ morbum vocari contẽdunt, quia nimirum vt Hercules inuictus fuiſſe perhibetur, ita hic nulla Medicorum ope tolli, euinciue queat. Horum hominum ſententia confirmari ex eo poſſe videtur, quòd ſi ante vigeſimum quintum annum alicui hæc affectio contingat, ſola ætatis mutatione curatur, ſi poſtea, inſanabilis euadit, veluti ſcriptum reliquit Hippocrates 5. Aph. 7. Celſus præterea dicit lib. 3. cap. 23.

id genus mali longum eſſe vſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſum; Interdum tamen, cùm recens eſt, hominem conſumere, & ſæpè id ſi non remedia ſuſtulerint, in pueris venereis, in puellis menſtruorum initium auferre, iuxta illud ab Hippocrate prolatum 3. Aph. 28. Morbi qui non finierint maribus in pubertate, fœminis cum menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt. Epilepſiam tamen expugnari poſſe non minus, quàm alij morbi exiſtimo, quorum origo ab his cauſis pendet, a quibus & hunc ipſum induci ſupra ſatis abundè probauimus. Quòd ſi quiſpiam obijciat curam eſſe perdifficilem, cõcedam hoc, ardua enim valde eſt eius curatio. Verùm rei difficultas non arguit rei impoſſibilitatem, vt omnis Epilepſia prorſus inſanabilis cenſenda ſit. Plures enim viſi ſunt Epileptici, qui diutius graui hoc ſymptomate detenti fuere, in integram ſanitatem reſtituti. Hippocrates lib. De mor. ſac. tradit eſſe quidem Epilepſiam curatu contumacem, ſed cum iam ætatem adepta fuerit, altiuſq; egerit radices. Tunc enim haud amplius curari affirmat, quoniam cerebrum a pituita eroditur, & colliquatur. Id verò quod colliquatur aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit, propterea q; frequentius, ac facilius a morbo hoc prehenduntur: diuturnus verò idcirco morbus eſt, quia id quod influit venis, tenue eſt præ multitudine, & ſtatim ſuperatur à ſanguine, & caleſcit. Sed nec iſta vniuerſam dubitandi occaſionem adimunt, quando nemini non patet initium veneris in pueris, mẽſtruorum in puellis morbum poſſe auferre. Id enim temporis eſt, quod Hippocrates ante pubertatem vocabat. Vnde orta eſt controuerſia an puerulorum Epilepſia curatione indigeat, vel ne: hac enim in re minimè conuenire videntur vetuſti Medici; Quãdoquidem Hippocrates primùm videtur ſpem omnem liberationis puerorum ab huiuſmodi affectione in ſola ætatis mutatione collocare, nam ætatis proceſſu imminuuntur craſſi humores, extenuantur & exiccantur, & ideo ceſſat morbus, accedente etiam aliqua in victu correctione, adoleſcentes enim, & iuuenes non ſunt adeo voraces, vt pueri. Paulus inſuper lib. 3. cap. 13. infantibus Epilepticis totam curationem apertè interdicit, qui victum ſolummodò conuenientem præſcribit, expectans & ipſe ætatis mutationem. Ita enim ſcripſit. Quod ſi laborans fuerit etiamnũ infans nihil oportet

tet circà illum facere. Etenim ætate mutata ad bilioſius, & aridius, & victu ad temperatius, ſua ſponte plerunq; paſſio ceſſat. Aetius tamen Serm. 2. Tetrab. 2. cap. 19. indiſtinctè pueros omnes curari præcipit, & ſenes pariter, vitatis euacuationibus per medicamenta, ſed vſu clyſterum, gargariſmatum, errhynorum, frictionum, & ſinapiſmorum. Celſus quoque concedit in pueris curationem. Sed cùm eum, inquit, remedia non ſuſtulerunt, in pueris veneris, in puellis menſtruorum initium tollit. Controuerſiam diremit Galenus 6. Epid. ſect. 1. Com. 5. per hæc ipſa verba: Fit autem & ob errata hęc eadem paſſio pueris, Medicorum curatione indigens. Cùm verò ob humorem fit, infantes ſtatim inuadit, deſinitq; ætatis conuerſione, cum nihil nos fecerimus. Quapropter quibuſcunq; pueris non a prima ſtatim ætate, cùm adhuc ſunt infantuli, ſed in progreſſu incepit, proculdubio ob peccata in victus ratione commiſſa, aut ob aliam quampiam externam cauſam exortus eſt, in quibus ætatis mutationem expectare non expedit, ſed factum morboſum affectum in ipſis curare. Ex his Galeni verbis manifeſtè conſtat, quæ illius ſit de hac re ſententia. Vbi illud vnum mihi non vndequaque probatur, Epilepſiam, quæ puerulis aduenıat, opera Medici non egere, ſed ſua ſponte ceſſare; cùm puerulos infinitos hæc affectio perdat, & Medicorum auxilio ab ea quamplures liberentur; quòd ſi perdurat affectus, non ſemper ætatis mutatione pueri ſanantur, ſed aliqui comitiales perſtant, & cōmoriuntur, vt Hippocrates affirmat. Dicamus igitur non omnibus ab ætate pubere expectandam ſanationem iſtius affectus, neque enim id vult Hippocrates, ſed quandoq; ad medica auxilia confugiendum, habita tamen ratione infantilis ætatis, quæ grauiora medicamenta non ſuſtinet. Id quod intelligi velim non ſolùm de ijs, qui ex errore in victus ratione, aut alia externa cauſa in id genus mali inciderunt, verùm quoque de puerulis recenter in lucem editis, etiam ſi ex parentum ſemine illud contraxerint. Eſt enim & hic morbus hęreditarius, vt paulò inferius ſum oſtenſurus. Quod verò addit ibidem Hippocrates de ijs, qui vigintiquinque annorum ſunt, non eum habet ſenſum, quem vulgares Medici exiſtimant. Amplectenda namq; potius eſt lectio altera, quam Galenus ipſe affert, quæ eiuſmodi eſt. Quibus verò fit vigeſimoquinto

anno

annoEpilepſia, ferè commoritur, aduerbio ferè idem quod magna ex parte ſignificante. Ex quibus omnibus concludi poſſe videtur, nullum Epilepticum morbum eſſe prorſus curatu impoſſibilem, nam & qui vltra vigeſimumquintum annum protrahitur, licet maiori ex parte præſidijs medicis renitatur, vtpotè qui altius fundamenta iecerit, quandoque tamen debellatur. Vidit rem hanc Paulus c. de Epil. his verbis. Nam ſi non pubertate, vel menſtruorum initio, vel puerperio ſolutus fuerit, vel ſi poſt hoc tempus remanſerit, ſæpè, inquit, vſque ad mortis diem prorogatur, niſi congruam Medici curationem fuerit aſſecutus. Ad prognoſticum acceſſionis, differentiarumq; accedamus. Quicunque igitur acceſſionis initio multum commouentur, diuq; perſeuerant, poſtea verò ab agitatione ceſſant, neque tamen releuantur, ſed potius ſtertor, & alia apoplexiæ accidentia ſuperueniunt, iam in paroxyſmo mori eſt periculoſum; deiectæ namque ſunt vires pugnando. Inſuper ſi crebrius repetat acceſſio, cauſam permanentem eſſe demonſtrat, ſicq; poſſe Epilepticum interimere: idq; eo magis, ſi ea adſint grauiora ſymptomata, quæ a nobis ſupra fuere narrata, nam quę magnitudinem morbi ſignificant, eadem & mortem coindicant. Eiuſmodi Epilepſia velocis admodum motus eſt, & proinde vitiũ acutum. Vnde perſępè exitum non modò citò habet, ſed etiam patientem iugulat, paroxyſmorum frequentia, & ſymptomatum vehementia. De quo genere Epilepſiæ intelligendi ſunt Galenus, & Auicenna, quoties acutum morbum eſſe teſtantur. Contra quibus raro contingit acceſſio, & ab ea quamprimum reſipiſcunt, cum ſymptomatum imbecillitate, ita vt etiam ab inuaſione liberi verecundentur, hi minimè omnium periclitantur. Horum hominum Epilepſia tardi motus eſt, etiam chronica, de qua Celſus loquitur cùm dicit morbum hunc longum eſſe vſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſum. Difficillimè Epilepſia vincitur, quæ in capite per eſſentiam generatur, quippe quæ Auicenna auctore cap. de Epilepſia fundatur ſuper debilitate digeſtionis in cerebro. Per cõſenſum verò ab alijs partibus infernis orta, præſertim verò à manibus, pedibuſq; maximè ſanari poteſt. A melancholia factum comitiale ſymptoma cæteris paribus ſemper eſt periculoſius eo, cuius cauſa ſit pituita. Nam humor ille in capite peccans maiorem

arguit

arguit receſſum a naturali ſtatu. Cerebrum enim cum propria natura frigidum ſit, & humidum, leui de cauſa ſimilem qualitate humorem, qualis pituitoſus eſt, coaceruabit. Imò ab Hippocrate ſedes, & metropolis frigidi, & glutinoſi cerebrum vocatur. Melancholicum autẽ humorem niſi ex vehementi cauſa cerebrũ congerit. Quare qui melancholiæ vitio Epileptici euadunt, periculoſius ægrotant ijs, qui ex pituita hoc pariter morbo laborant. Quartana febre detenti Epilepſia non corripiuntur, &, ſi prius capiantur, quartana ſuperueniente liberantur, auctore Hippocrate 6. Epid. circa finem, & Galeno in Com. illius ſententiæ, & quæ ſubſequitur. Iuxta quam intentionem dictum quoque fuit ab eodem Hippocrate 2. Aph. 26. Febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem. Nec non cùm ſcripſit 5. Aph. 5. Si Ebrius quiſpiam repente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur. Quorum locorum vi, ac auctoritate, in apoplexiæ, Epilepſiæ, conuulſionis, aliorumq; conſimilium morborum frigidorum curatione, contendunt aliqui excitandam eſſe febrem. Sed hæc opinio quàm vana ſit, ac temeraria, oſtendetur fortaſſe in Therapia, aut certè alio loco opportuno. Infælix enim Medicus, qui neſcit morbum niſi morbo depellere. Mulier comitialis, vel vtero gerens, aut menſium ſuppreſſione laborans, a partu edito, & menſium eductione liberatur. In craſtina Lectione diſputabitur, an ſoli homines inter animantes Epilepſia laborent, & cur ingenio præpollentes viri maximè omnium huic vitio obnoxij ſint. Nam & hæc ad prognoſticum ſpectare videntur.

An ſoli homines inter animantes Epilepſia laborent, vt ſentire videtur Ariſtoteles, & cur ingenio præpollentes viri maximè omnium Epileptici euadant. *Lect.* X X X I.

PONITVR in controuerſia an ſoli homines ex communi animantium genere comitiali morbo corripiantur, quoniam Ariſtoteles huiuſce ſententiæ fuiſſe videtur. Cauſam enim quærẽs Sect. Prob. 10. prob. 49. ob quam homini potiſſimùm oculi deprauantur, in hunc modum loquitur.

An quod homo vel ſolus, vel maximè morbo capitur comitiali in puerili ætate? Contra quam ſententiam pugnat quotidiana experientia. Multas namque præter hominem animantes id genus mali perpeti in dies obſeruamus. Vnde Hippocrates oues, & capras Epilepticum malum ſentire, inprimiſq; capras ipſas, memoriæ proditum reliquit lib. De morbo ſac. Siquidem cum vitium hoc ex calida præcipuè, humidaq; aeris intemperie progigni doceret, id ipſum ouium, caprarumque exemplo per hæc verba demonſtrat. Cognouerit autem hoc quis maximè ex ouibus hoc malo captis, & præſertim capris: hæ nanq; frequentiſſimè hoc morbo corripiuntur: ſi enim caput ipſorum diſſecueris cerebrum reperies humidum eſſe, ac ſudore refertum, & malè olens. Sic verò res ſeſe habet in homine. Ex quo Hippocratis loco aliqui colligunt humoribus Epilepſiam producentibus malam, ſeu venenatam perpetuò adhæreſcere qualitatem, quorum ſententiæ videtur quoque fauere Celſus, qui perniciosum vocat humorem, a quo id mali genus excitatur. Plutarchus etiam rerum naturalium haud minus profectò, quàm hiſtoricarum peritus, capram hac affectione tentari refert in Quæſtion. Rom. Cuius ſummi Viri verba apponere libuit. Quid eſt quod capella ſacerdotem adeò abſtinere voluerunt, vt non modò attingere, ſed ne appellare quidem liceret? An quòd capram tanquam morbidam timerent. Videtur enim præter cætera animalia comitiali morbo tentari, & qui guſtarint, aut attigerint huius morbi aliquid inurere. Huius rei cauſam aſſignāt poros anguſtos, quibus clauſis etiam ſpiritus ſæpiſſimè includitur. Quod arguit vocis tenuitas. Quicunque enim hoc morbi genere tentantur, ſimilem capellæ vocem edunt. Plinius autem lib. 10. cap. 23. tradit coturnices ſolas inter animalia, homine excepto, comitiale malum ſentire: quam ob cauſam eas damnauere menſæ, non tantum ob veratri ſemen, quod illis gratiſſimus eſt cibus. Sed an coturnices a menſibus remouendæ ſint, ne vitium, quo laborant, æſitantibus communicent, inferius in curatione diſcutietur. Vbi etiam an quia venenato ſemine veſcitur, an verò propriæ, inſitæq; ſubſtantiæ ratione hoc volucrum genus conuulſiones pariat, copiosè docebimus. Interim ne à re ſuſcepta longius abſcedam, Albertus cognomento Magnus paſſeres quoque

comi-

comitialiter prolabi affirmat, præſertim verò ſi hyoſciami ſemen, quo magnopere delectantur, comederint. Quinimò & Strabo iumentis omnibus malum hoc, aut quidpiam aliud huic perſimile, ex cuiuſdam arboris æſitatione accidiſſe teſtatur. Arbor erat, inquit, lauro ſimilis, qua guſtata iumenta omnia cum ſpuma in morem comitialis morbi emoriebantur. Hieronymus Montuus in morb. Anaſceue cap. de Epilepſia, non ſemel pſitacos, canes, ſimias, & cercopitecos ab Epilepſia conuulſos ſe inſpexiſſe fatetur. Non ergo ſolus homo inter animantes Epilepſiam patitur, nec ſolæ coturnices præter hominem comitiales euadunt, dicant quid quid lubet cum Ariſtoteles, tum Plinius. Quæritur modò cur inter homines, hi potiſſimum comitiales euadunt, qui cæteris ingenio, menteq; antecellunt, nam ita rem hanc ſe ſe habere, veterum, recentiorumq; hiſtoriæ, ac monumenta ſatis ſuperque propallant. Inprimis enim conſtat Herculem illum, quem ob ſingularem virtutem, qua reliquos anteibat, in Deorum numerum Ethnici cooptarunt, comitiali morbo fuiſſe correptum, quem Hippocrates ab Antycireo expurgatũ veratro fuiſſe, atq; inde cõualuiſſe ſcribit in Epiſt. ad Crateuã herbariũ. Plinius refert Liuiũ Druſũ, qui Tribunus plebis fuerat, cum Epilepſiam pateretur, Antyciram nauigaſſe, ibique helleborum potaſſe, & ex eo incolumem euaſiſſe. Cambyſes etiam, vt videre eſt apud Herodotum lib. 3. Epilepticus cadebat, vt ſimiliter Damocrates Athenienſis, quem ferunt cum plerique ei offerrent amuleta aduerſus morbum hunc, Delphos ad oraculum migraſſe, vt quonam ex eis vti poſſet à Dæmone intelligeret, cui ſic Pythia reſpondiſſe fertur, vt eſt apud Trallianum

De grege ſume capræ maiores ruris alumnæ
Ex cerebro vermes, & ouis dato tergora circum
Multiplici vermi pecoris de fronte reuulſo.

Iulius Cæſar inter res gerendas bis correptus eſt comitiali morbo, quem etiam C. Caligula in pueritia expertus fuit, Suetonio referente in amborum vitis. Britannicus quoque ab infantia a comitiali morbo afflictabatur, ſi fides habenda Neroni apud Tacitum lib. 13. Annal. Plotinus quoque magni olim nominis Philoſophus hoc morbi genere miſerè cadebat, vt affirmant Suidas, ac

Volaterranus; cui affectioni & Franciſcus Petrarcha obnoxius fuiſſe dicitur. Hinc forſitan cauſa odij Poetæ huius in Medicos, & in Medicinam ipſam; quòd à ſæuo morbo non liberaretur, aut potius, quia Medicum quendam odio proſequebatur, vt ex eius patet monumentis. Idem ſimiliter de Carolo V. Imperatore, alijſq; ex Inuictiſſima Auſtriaca Familia oriundis, quod nimirum comitiales fuerint, me legiſſe recordor. Mahumet etiam ille, qui magnam Orientis partem fœdiſſima religione conſpurcauit, eodem morbo laborabat. Quod cum animaduertiſſet vxor, & ea de cauſa plurimum quoq; indignaretur, ac ſubinde rogaret, quid nam eſſet; Deſine, inquit, mirari: Morbus abeſt, ſed cum aduentantis numinis vim pati non poſſim, mente collabor, membraq; ſtupent. Communis eſt hæc Prophetarum affectio, quorum me eſſe vnum ſcias velim. Qua fraude mulier delinita quem odiſſe cœperat, commenti verſutia, vt diuinum ſuſpicere virum coacta eſt, atque eò vſque tandem prorupit fraus, vt moriens mulier illum ex aſſe hæredem inſtituerit, veluti legitur apud Cælium Rhodiginum in Antiq. Lect. His igitur, & alijs exemplis abundè patet, Epilepſiam ſummis potiſſimùm viris, ingenio, menteq; pollentibus contingere. Nunc ideo huius effectus cauſa inueſtiganda. Vnaquæq; pars in noſtro corpore, quo exactiorem ſenſum obtinet, eo magis à ſenſibili, & re præter naturam afficitur; læſionem enim ſenſus acumine facilius perſentit. Quamobrem cum omnes, qui ingenij ſubtilitate alijs præſtant, ob ſubtilem cerebri ſubſtantiam, exactam admodum habeant illius membri, aut partium eius ſentiendi vim, & facultatem, veriſimile ſit, eos futuros magis Epilepſiæ obnoxios, vtpote quorum expultrix cerebri virtus vel ex leuiori cauſa ad contra pugnandum irritatur, quod ſanè haud contingit ijs, qui tardo prædi[illegible]i ſunt intellectu, in quibus propter cerebri craſſitudinem ægrè ſuſcitatur facultas. Hæc enim videtur eſſe cauſa, quamobrem Florentini perſpicaciſſimi ingenij viri, inter alios Italiæ populos, comitiali morbo maximè laborare cernuntur. Prætereundum verò hoc in loco non eſt, ingenio, menteque alijs præſtantes Epilepſiam per eſſentiam pati ab humore melancholico potius, quàm pituitoſo. Quicunque enim ingenio claruerunt vel in ſtudijs Philoſophiæ, vel in Repub. admi-

niſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melan cholici omnes fuiſſe dicuntur, ita vt etiam vitijs atræ bilis infeſtari ſoliti fuerint, auctore Ariſtot. Sect. Prob. 30. probl. 1. Gal. lib. Quod animi mores cap. 4. Idem habet Cicero 1. Tuſcul. Quæſt. & Seneca de Tranquil. animi. Sic Phauorinus apud Gellium lib. 18. Attic. Noct. cap. 7. Scitote, inquit, intemperiem iſtam, quæ m elancholia dicitur, non paruis, nec abiectis ingenijs accidere, ſed eſſe heroum pathos. Ita Socratem, atque Lyſandrum inter ſapientiſſimos, & melancholicos enumerat Philoſophus in eo probl. Galenus noſter melancholicus fuit, ſi Moſi credimus. Hercules, vnde huic morbi nomen, atrabilarius fuit. Mentis igitur acie præpollentes melancholicæ habitudinis eſſe conſtat, in quibus mel ancholicus humor, à quo ingenij dexteritas emanat, abundè augetur, non tantum innati temperamenti ratione, ſed etiam ob immodicas vigilias, quibus die, nocteque defatigantur, quorum propterea corpora deſiccantur, humoreſq; ſicciores, ac te rreſtriores euadunt. Vigiliæ ſiquidem vniuerſum corporis habitum exiccant 2. De rat. vict. acut. Com. 55. Meth. 7. & alibi. Quod ſi quærat aliquis cauſam, ob quam melancholicus humor ad cerebrum delatus, melancholiam morbum non potius generet, quàm Epilepſiam; Reſpondebo cum Hippocrate 6. Epid. ſect. 8. melancholicos interdum comitiales effici, & comitiales melancholicos; atque horum vtrumuis magis accidere, prout vel in hanc, vel in illam partem morbus repit; ſi enim in corpus comitiales, ſi in mentem melancholici euadunt. Quam Hippo cratis ſententiam explicans Gal. 3. De loc. aff. 7. ita loquitur: Hoc ſermone primùm quidem declarauit, quòd non ſemper, ſed magna ex parte horum affectuum alter in alterum tranſit, quippe non ſolùm nigra bilis, verùm etiam pituita (vti iam præceptum fuit) morbum Epilepticum producit. Epilepſia igitur quam nigra bilis conſtituit, in melancholiam mo rbum nuncupatum pertranſit, quæ verò à pituita orta eſt, in aliam affectionem permutatur, melancholiam verò haudquaquam efficere poteſt.

Quamobrem Epilepſia hæreditario quodam iure in filios, &, quod mirum magis eſt, in nepotes, parentibus illæſis, ex auis deſcendat. **Lect. XXXII.**

PERMVLTA morborum genera, Auditores, ab auis, & parentibus ad prolem ipſam deſcendere cum alij & Medici,& Philoſophi affirmauere,tum verò in primis Alexãder Aphrodiſeus teſtatum reliquit in Prob. ab initio, cui ſubſcribens Damaſcenus in Aphoriſmis, non modò animi vitia, corporiſque lineamenta, ſed etiam morbos diuturnos, præſertim membri principis, a parentibus hæreditari perſcripſit. Rationi inſuper conſonum fit, pleroſque morbis infeſtari, quibus prædeceſſores fuerint correpti, nam qualis cauſa, talis plerunque effectus eſt, cum omnis cauſæ in agendo intentio ſit, ſibi pro viribus ſimillimum generare. Vnde ſperma inquit Auicenna fen. 29. lib. 3. cap. 13. habentis membra læſa raro generat ſanum. Quapropter ex ſanis ſani, ex infirmis infirmi creantur, quoniam ſemen,vt Hippocrates autumat lib. De genit. de omnibus & viri, & mulieris partibus progreditur, ſecerniturque à toto corpore, & a ſolidis, mollibuſque partibus, & ab omni humido in vniuerſo corpore. A quo fit, vt fœtus parentibus ſimiles oriantur, qualeſque fuerunt parentum morbi, tales etiam plerunque liberis implantentur, fiantque iuxta hoc multi podagrici a podagricis, hydropici ab hydropicis, tabidi a tabidis, Epileptici ab Epilepticis. Quod enim Epilepſia inter eos qui hæreditantur morbos connumeranda ſit, nemo non fatetur, cum quotidie multi ex comitialium parentum ſemine comitiales euadant. Quam rem pariter docuit Hippocrates 2. Prorr. qui morbos inter hæreditarios præſentem adhibet, tum alijs in locis, tum vbi nulla re cæteris morbis diuiniorem Epilepſiam eſſe demonſtrare nititur lib. De morbo ſac. Ibi namque Epilepſia, ait, incipit veſut alij morbi ſecundum genus, ſi enim ex pituitoſo pituitoſus, ex bilioſo bilioſus progignitur, ex tabido tabidus, ex lienoſo lienoſus, quid prohibet,vt cuius pater, aut

mater

mater hoc morbo laborarit, etiam poſterorum, ac nepotum aliquis eo corripiatur. Verùm ad hanc ipſam rem magis illuſtrandam illud ſummopere facit, quod Hippocrates de populis quibuſdam macrocephalis ab eo nuncupatis memoriæ mandat, De aere,aq. & loc. qui populi capitibus naſcebantur oblongis, cuius effectus cauſam vult Hippocrates primùm fuiſſe conſuetudinem, quæ deinceps in naturam migrarit, ob genitale ſemen ab omnibus corporis membris prouenieńs, atque prorſus ad hunc modum: A principio quidem conſuetudo in cauſa fuit, vt tam longis capitibus eſſent, nunc autem natura ipſa cum conſuetudine conſpirauit. Si quidem generoſiſſimum apud eos putatur caput habere quàm maximè longum, conſuetudinis autem hoc initium fuit. Cum recens infans natus eſt, caput eius adhuc tenerum, & molle exiſtens, quàm celerrimè conſtringunt manibus, coaptanteſque cogunt in longitudinem augeri, quin & vinculis connectunt, ac aptis inſtrumentis colligant, quo capitis rotunditas prohibeatur, & longitudo augeatur. Hactenus Hippocrates. Hanc eandem conſuetudinem oblonga nimirum capita faciendi apud Galatas adhuc hodie vigere ab hominibus fide dignis, & qui ea loca peruagati ſunt, intellexi. A quibus fortaſſe populis eundem morem tranſtulere Genuenſes noſtri, qui illis olim dominati fuerunt. Siquidem & ipſis aliàs talia capita faciendi mos erat, quod etiam Pierius Valerianus adnotauit Hieroglyph. ſed cum his temporibus multi illa in Vrbe longis oriantur capitibus, naturæ non artis opificio, quia ſcilicet parentes ipſorum huiuſmodi ferant capita, dicendum omnino eſt de ijs, quod Hippocrates de macrocephalis, conſuetudine videlicet effectum eſſe, vt eiuſmodi natura capitum per multis exiſtat. nam temporis progreſſu natura quoque tales producit, vt priore conſuetudine vti amplius neceſſe minimè ſit. Huius autem effectus cauſam haud aliam eſſe tradit Hippocrates, quàm ſemen ipſum ab omnibus corporis partibus emanans, de quo Lucretius:

Semen adulta ætas cùm primùm roborat artus
Per membra, atque artus decedit corpore toto.

Quod quidem ſemen, quoniam, vt dicebamus, ex ſanis ſanum, ex morboſis morboſum profluit, ideo fit, vt ex caluis calui, ex

cæſijs cæſij creentur, & vt plurimum diſtortus diſtortum generet, eademque ratio ſit circa reliquas formas. Quid prohibet igitur, vt ex macrocephalis macrocephali non gignantur? Ad rem noſtram; ſi malè affectum ſemen à capite, & cerebro, vt alijs corporis partibus procedit, veriſimile certè ſit, vt nati cum aliæ partes, tum etiam caput ipſum malè affectum ex ſemine tali reddatur, cuius rei gratia morbos progenitoribus familiares, vt puta Epilepſiam, & alios faciliter admittat. Quod ſi vera eſt Hippocratis ſententia, plurimum ſemen à membro illo principe effluere, tanto maiorem capitis, & cerebri læſionem natus contrahet. Probat autem rem hanc Hippocrates ex eo, quòd quibus prope aures venæ inciduntur, eos actu quidem ſemen effundere adinueniemus, verumtamen modicum, debile, ac infæcundum. Plurima enim, inquit, genituræ pars a capite per venas iuxta aures per medullam ſpinalem defluit, quibus cicatrice obductis, ſeminis tranſitus intercipitur. Id ipſum & alibi, ſeu De aere, aquis, & locis, apud eundem habetur, vbi Scythas inciſis, quæ ſunt retro aures, venis, infæcundos euadere tradit. Quam rem latuiſſe Galenum putat Auicenna lib. 3. fen. 20. cap. 1. verum ego cenſeo potius Galenum id ipſum diſſimulaſſe, tanquam ſenſui reluctans. Alcmæon Philoſophus ſemen partem eſſe cerebri exiſtimabat. Dubitabit verò hoc in loco aliquis ingenioſus de via, per quam à cerebro, & ſpinali medulla ſemen ad vaſa ſpermatica ducatur. Eam nos pariter docuit Hippocrates De oſſium natura, licet eius opinioni Anatomicorum nemo aſſentiatur, vbi venas ex capite iuxta aures per ceruicem, ſphagitides hoc eſt iugulares appellatas, intrinſecus iuxta ſpinam, ab vtraque parte, iuxta lumbos in teſtes, & fæmora procedere exarauit. Vnde ex Hippocratis ſententia venis penes aures reſectis, aut etiam exuſtis, potiori ſeminis parti tranſitu intercluſo, fæcunditatem adimi neceſſe eſt. Opinio hæc de ſemine plurimo a capite manante, firmis etiam rationibus confirmari poteſt. Coeuntes enim in ſpermatis effuſione oculis nictant, imò ea perpeti videntur, quæ cadendo Epileptici, vt hinc videre liceat quàm verè dictum ſit a Democrito apud Gal. 3. Epid. Com. 4. concubitum eſſe veluti paruam Epilepſiam. Præterea qui frequentiori vtuntur venere, ac ſalaciori ſunt natura,

citiſ-

citiſſime caluеſcunt; Ideo Ariſt. lib. 5. De gen. animalium, ex nimio rei venereæ vſu caluitium prouenire ſcripſit. Quò ſpectat ſcomma illud a Romanis olim in Cęſarem Dictatorem proclamatum: Romani ſeruate vxores, mæchum caluum adducimus. Quæ pauca plurimum ſemen è cerebro decidere oſtendunt; licet de infæcunditate ex inciſione illarum venarum, arteriarumque penes aures proueniente, ſecus ac fecerit Hippocrates decernendum eſſe videatur. Vnde alij in cerebrum imbecille redditum, ob vitalium ſpirituum influxus prohibitionem, alij in inciſionem neruuli vnà cum venis, quem Veſalius à ſexta neruorum propagine in teſtes, ac ſeminalia vaſa deſcendere, in multis vidiſſe fatetur, libentius referunt. Sed, vt vulgo iactatum eſt prouerbio, ſuam vnuſquiſque ſponſam. In dubium vertitur etiam, num ſemen ex omnibus partibus defluat, velut ego ex Hippocrate, atque Lucretio paulò ante affirmaui. Nam Galenus ipſe, in hoc Hippocrate relicto, Peripateticorum Principi adhærere videtur; quippe qui ſemen aptum natura non eſſe ex omnibus recedere, ſed ad omnia accedere ſcriptum reliquit, cum quælibet ſeminis portio totius vim habeat, qua vniuerſa membra conformet, licet ab vniuerſo corpore non manarit. Demùm quæque ſit huiuſce dubitationis veritas, illud certè apud omnes receptum eſt, ſeminis materiam ex tribus principibus membris cerebro, corde, iecinoreq; prouenire, & plurimam fortaſſe ex cerebro ipſo, vt Hippocrates contendit. Quamobrem veriſimile fit, vt cerebri Epilepſiam patientis vitiatum ſemen, in nato cerebrum quoque eidem morbo obnoxium progignere valeat. Hucuſque igitur patet, cauſam, ob quam filij parentum vitia, ægritudineſue pati coguntur, in genitale ſemen reijciendā eſſe, quoniam videlicet ſecum vitia eorū, in quorum corporibus genitum fuit, ſemper affert. Nunc modò inueſtigandum, ac latius explicandum, qua ratione patrum vitiatum ſemen comitiales, alijſque hæreditarijs morbis obnoxios filios progignere queat. Nulla alia ratione, arbitror, malè affectum parentū ſemen morboſos filios parit, niſi quoniam ab ipſo ſpermate vitiato partium imbecillitas contrahitur, cuius gratia partes, & membra excrementa tum congerunt, tum & cæterarum partium recipere coguntur, vnde poſtea morboſæ euadunt. Satis

enim

enim clarè docuit nos rem hanc Galenus 6. Aph. vbi tradit pleroſque hominum podagra corripi, quòd parentes, & auos podagricos habuerint, in quibus vitiatum erat ſemen, ex quo poſteri maiorem traxere partium imbecillitatem. Vt enim qui podagrâ laboraturus eſt, pedes habeat imbecilles oportet, ſic cerebrum infirmius, qui futurus eſt Epilepticus. Quare vt pedum imbecillitatem morboſum parentum ſperma podagricis conciliat, ita cerebri debilitatem futuris Epilepticis. Quæ partes debilitate contracta prauorum, vti dicebam, ſuccorum copiam non modò congerunt, ſed etiam cæterarum, præſertimque vicinarum excrementa, ſi quæ in illis, ob errata in victus ratione, fuerint cumulata, ſuſcipere coguntur, quorum excrementorum cauſa morboſæ fiũt; neque enim podagricus, aut Epilepticus, ex ſola partium eupathia, ſeu patiendi procliuitate, his affectibus corripi poteſt. Quæret autem fortaſſe aliquis, an quemadmodum filius, cuius podagricus fuerit auus, ſanus verò, & omnino expers podagræ pater, ipſe tamen podagræ affinis generatur, ita pariter Epilepticus euadat is, cuius parens ab hoc affectu liber omnino vixerit, auus attamen eo laborarit. Huic pro me reſpondeat experientia, viſi ſunt enim quandoque Epilepſiam pati ex auorum potius ſemine, quàm patrum. Quod cum verum ſit, iure merito quæritur a me cauſa, ob quam ex vitiato auorum ſemine morbis obnoxij futuri ſint nepotes, quorum parentes incolumes fuerint, cum tam Epilepſiæ, quàm podagræ, cæterorumque morborum hæreditas genitali ſemini adſcribatur, & a parentum ſemine filij oriantur, non auorum, quod iam euanuit. Huiuſce dubitationis ſolutio ſub ea quæſtione comprehenditur, quæ Peripateticorum, nedum Medicorum animos magnopere torquet, cur interdum filij alteri parentum, interdum verò amborum neutro, ſed auo, & abauo ſimiles gignantur. Siquidem, vt ait Ariſt. lib. 2. De gen. animalium c. 18. redditur poſt plura genera ſimilitudo, ideo ex Helide, quæ cum Aethiope rem habuit, nõ filia Aethiopi ſimilis genita eſt, ſed ex filia natus, ſeu Helidis nepos Aethiops euaſit. Ita etiam Nicæus vates Byſantius a candido vtriuſque parentis colore in auum Aethiopem degenerauit. Vnde Zenon Citieus ſemen ad hunc modum definit: Sperma eſt hominis ſpiri-

tus,

tus, quem cum humido emittit, partis animæ ſpolium, & generis proauorum permixtio, quale enim ipſum erat, tale permixtum excernitur. Qua in re pariter Lucretium Vatem vnà & Philoſophum ſapientiſſimum audiamus;

Fit quoque vt interdum ſimiles exiſtere auorum
Poſsint, & referant proauorum ſæpe figuras,
Propterea quia multimodis primordia multi
Miſta ſuo celant in corpore ſæpe parentes.

Qua ratione autem ordo in intermedia generatione interrumpatur, qui deinceps in poſteris pullulet, & reuiuiſcat, ita vt nepos morbo Epileptico ſiue podagrico, ſiue demùm quolibet alio hæreditario morbo laboret, quo auus quidem fuerit correptus, ſed cuius parens omnino expers vixerit, non vndequaque conſtat. Ego tamen interea meam ſuper hac dubitatione ſententiam liberè pronunciabo. Ad immutandam in melius, deteriuſq; rationem conceptus concurrunt externa, internaque multa. Non enim parum refert, an quis tranquillo cæli ſtatu, vel conturbato, ob varios ventorum flatus, oriatur, & an menſe frigido, vel calido, Lunaq; an creſcente, vel decreſcente. Ad quod ſimiliter ſpectat ipſius genitricis natura, idque aut ſecundum eius vniuerſum corpus, aut ſecundum veterum ipſum. Cum altera namque muliere fœcundi, cum altera verò ſteriles multi extitere, & ab vna ſanos, ab alia morboſos procreari ſæpe videmus; Ad quam etiam in generatione diuerſitatem faciendam maxime omnium internæ valent, nempe ſi corpus benè, maléue ſe habet circa concoctiones, & cruditates, circa bonorum, prauorumq; humorum plenitudinem, vt ſimiliter circa reliqua omnia, quæ ſub victus ratione continentur; cauſæ etenim, quæ in animalis generatione vnà conueniunt, non adeò validæ, aut neceſſariæ ſunt, vt ab externis, interniſq; occaſionibus impediri, immutarique minimè poſsint. Nam ex aliquibus cauſis auferri impedimenta poſſunt, & robur addi naturalibus generationis principijs, vt intermedia aliqua generatio prorſus quidem vitiorum, ægritudinumque expers euadat, quæ priorem, poſterioremqne generationem adfligant, ſed cuius ſemen labem, infectionemq; à patre ſuſceptam ſeruet, quæ deinde in nepotis generatione, vtpote qui fuerit ijs auxilijs deſtitutus,

quæ

quæ in eo vitium illud velut in parente celare potuiſſent, denuo pullularit. Quare licet auitum ſemen ad nepotis generationem minimè concurrat, vtpote quod iam euanuit, in patre tamen aliqua remanet labes, infectioq; ex aui male affecto ſemine relicta, cuius gratia nepos, in cuius generatione ea non adfuere auxilia, quæ in patris conceptu conuenerunt, vitium illud patietur, quod ab auo pater contraxit, ita vt nepos auo magis, quàm parenti in hoc quaſi hæres ſuccedat, quamuis labes illa in paterno ſemine inſignis admodum non fuerit. Accidit enim in hoc quod ſcripſit Ariſtot. 4. De gen. anim. parua facta in principijs tranſmutatio, in illis magna, conſpicuaque apparet, quæ mox ab eis oriuntur. Ex quibus omnibus elici poſſe arbitror, quomodo ex vitiato parentum ſemine filij, &, quod magis admirandum eſt, auorum nepotes, quorum ſani vixerunt patres, non tantum Epileptico morbo, ſed & alijs omnibus hęreditarijs obnoxij naſcantur.

Libri Sexti de Epilepſiæ ſignis omnibus Finis.

DE

DE EPILEPSIA

SEV

COMITIALI MORBO

LIBER SEPTIMVS.

De Indicationibus in quacunque ſpecie Epilepſiæ; Deq; huius curatione in Infantibus lacte adhuc veſcentibus. Lect. XXXIII.

HVCVSQVE expoſui Vobis, Auditores, Epileptici morbi naturam per definitionem tam nominis, quàm rei, differentias, cauſas, ſignaque omnia dignoſtica, atque prognoſtica. In quibus quidem explicandis mea ſemper intentio fuit ab Hippocratis, Galeni, Pauli, Aetij, & Alexandri è Græcorum Schola, Rhaſis, & Auicennæ, ex Arabibus; alios enim, quos etiam citaui, tanquam minoris famæ prætermitto, placitis, & doctrina ne latum quidē vnguem diſcedere. Huius rei euidentiſſimum ſit omnibus argumentum, quòd cum è veteribus aliqui præſertim Auerroes, & è recentioribus multi etiam primæ notæ, & de omni re literaria, ſed medica in primis optimè meriti, hoc in morbo ſæuiſſimo, & re vera admirando noua principia, nouamq; doctrinam legentium animis inſinuare contenderint, ipſe contrà niti, ac ſubtiliſſimis eorum argumentis, & rationibus aduerſum antiquos illos Medicinæ parentes excogitatis, obuiam ire non dubitaui. Idipſum autem non ſolùm à me factum eſt in proximè habitis Lectionibus, quibus vos omnes interfuiſtis, ſed etiam multò ante in tribus Libris Lectionum, quas in primo tyrocinio apud Bononienſes habui, Venetijs in apertum, ac lucem diuulgatis.

Nunc ergo ijſdem innixus principijs, & iuxta eandem methodum ad magni morbi curationem deſcendo. In Epilepſia itaq; curanda oportet primùm non obliuiſci triplicis eius diſcriminis, deinde cauſarum eam progignentium; & quòd inſuper alia curatio debetur ei in paroxyſmo, aut dum vrget acceſſio, alia extra paroxyſmum, tempore intermedio, tandem non eo prorſus modo curandam in pueris, & infantibus, quo in natu grandioribus curari à Medicis ſolet. Quibus ita præmiſsis, videamus modò quinam ſcopi ante oculos habendi ſint in quacunq; tractanda Epilepſia, priuſquam ad præſidiorum materias noſtra conuertatur oratio. Vel igitur affectio hæc in cerebro fit ex propria, & peculiari illius membri paſſione, ac intemperatura, & dicitur Epilepſia per eſſentiam in cerebro facta, vel fit quidem in cerebro, ſed conſenſus gratia, & conſortij lege cum alijs partibus inferioribus. Cuius Epileptici inſultus duæ aſſignatæ fuerunt differentiæ, vna quarum haud infrequenter eſt per conſenſum maximè à ventriculo, inteſtinis, & vtero, alia quãdo malum à determinata aliqua particula primùm incipit, & ægro ſentiente ſurſum ſenſibiliter aſcendit. Exemplum primæ differentiæ, dico per conſenſum genitæ à ventriculo, aut eius ore expreſsè traditum legitur apud Galenum 5. De locis aff. 6. vbi refert hiſtoriam iuuenis Grammatici, qui quoties vehementer doceret, aut longius inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, Epileptico ſymptomate corruebat. Exemplum alterius differentiæ habetur apud eundem Galenum 3. eiuſdem operis cap. 7. de viro illo, qui veluti auram quandam frigidam è tibia ſurſum ad caput eleuari euidenter perſentiebat. Ego etiam in quotidiana praxi exercenda conſimilia exempla aliquando obſeruaui, &, ſi plura cupitis, legatis Fernelium 5. de Part. morb. & Sympt. Hollerium cap. de Epilepſia in Scholio, & Marcum Gatinariam cap. proprio. Loquamur autem de his poſtremis differentijs, in quarum prima Galenus cum in Grammatico illo deprehendiſſet os ventriculi exquiſito admodum ſenſu præditum eſſe, ab illoque cerebrum facilè, & frequenter in conſenſum trahi, ante omnia iuſſit, vt perfectæ, ac optimæ coctioni operam nauaret, qui propterea tertia, vel quarta diei hora panem diligenter confectum aſſumebat, modò ſolum, quando ſiti non laborabat, modò ex vino albo aqua diluto,

to, ac modicè adſtringente, quando ſiti cruciabatur. Tale enim vinum roborat ventriculum, neq; caput, aut cerebrum lædit, ſicut ſolent cætera vina valentiora, præſertim in iuuenibus, quibus cerebrum, & neruoſum genus ineſt haud ita imbecille. Veruntamen Galenus non modò contentus fuit probam victus rationē iuueni illi inſtituere, ſed etiam bis, & aliquando ter ſingulis annis eundem purgare voluit. Hac induſtria iuuenis annos plus quàm viginti, quibus ſuperſtes vixit, integra vſus eſt valetudine. Ex his quæ a Galeno hac in hiſtoria traduntur, non difficulter colligi poteſt, in hac Epilepſiæ ſpecie duas habendas eſſe præ oculis intentiones. Prima erit purgatio ventriculi a biliosis, & acribus humoribus, a quibus os illius lancinatur, necnon mordax euaporatio in cerebrum expirat. Secunda ventriculi roboratio, ne in poſterum tam facilè ab alijs partibus noxios ſuſcipiat humores. In alia verò Epilepſia, quæ a determinato membro ſenſibiliter naſcitur, quantum ex loco Galeni citato elicimus, tres curandi ſcopi haberi debent: Primus reſpicit vniuerſalem euacuationem, aut per venam ſectam, ſi tamen euidens valde plethora appareat, alioqui omittatur, aut per medicamenta purgantia: Secundus pertinet ad corroborationem, & adſtrictionem ſimul ſuperiorum partium, vt ita impediatur, quo minus illius veneni vis latius progredi, & ad partes ſublimiores aſcendere queat: Tertius partem ipſam laborantem reſpicit, à qua primariò mali emanat origo, vt nimirum in ea latitans malum extrahatur, & aperta via foras educatur. In poſtrema differentia, quam tamen primo loco recenſui, quæque cæterarum non ſolùm frequentiſſima, ſed difficillima exiſtit, quatuor nobis ſeſe offerunt ſcopi, & principes curandi indicationes: Prima indicatio in opere, licet in inueſtigatione, ac reſolutione vltima, iuxta illud Galeni 11. Meth. cap. 10. Quod vltimum in reſolutiua methodo inuentum, id primum omnium in curatione eſt peragendum; ad generalem totius corporis ab excrementis omnibus expiationem pertinet: Secunda ad reuulſionem. Tertia ad diſſolutionem materiæ proximæ in capite, & cerebro contentæ. Non enim tota in acceſſione abſumitur: Quarta ad cerebri intemperiem corrigendam, & emendandam; Vnde tota curatio in præſeruatione conſiſtere videtur, quia cauſam re-

ſpicit

ſpicit,& quidem remotiorem. In paroxyſmo ſiquidem, niſi diuturnior, ac vehementior foret, nullum magnum moliri ſolemus medicamentum, paucis quibuſdam tantummodo peractis, quæ patientem quamprimum ab inſultu liberent. Hac prorſus methodo, & via aggredienda à vobis eſt curatio cuiuſcunque Epilepſiæ. Nam quæ ab vtero in mulieribus, aut alia etiam parte emergit,vt infra ex præſidijs intelligetis,cum illa quæ per conſenſum ventriculi, ac inteſtinorum generatur, ſimilitudinem, & communionem habet. Puerorum, qui vix in lucem editi hoc mali genere perſæpè tentantur, & moriuntur, vt ob id ſcripſerint Ariſtoteles,& Plutarchus veteres tam Græcos, quàm Romanos ante octauam diem pueris nomina imponere noluiſſe, ætas tenella, habitus corporis molliſſimus, & facilè diſſolubilis, ac demùm difficultas ipſis medicinam faciendi; eſt enim puer, vt affirmat Plato 1.de Republica,omni beſtia intractabilior, eo quod ratio in ipſo veluti obruta, ac ebria humore multo operari non poteſt, vnde & apud Ariſtotelem 8.de Hiſt.anim. cap. 1. Anima pueri ab anima belluæ non differt; aliquã pariunt in Epilepſiæ curatione inſtituenda diuerſitatem, quemadmodum ex ſequentibus facillimè conſtabit. In primis enim, & ante omnia de curatione Epilepſiæ in pueris tam lacte adhuc veſcentibus, & etiamnum infantibus, quàm ablactatis, & iam natu grandioribus ſermonem facere decreui. Nec dicant mihi Paulum lib. 3. imò etiam Galenũ 6.Epid. ſec. 1. Com. 5. non probare in huiuſmodi puerulis, & infantibus curationem, eo quod mutatione ætatis ad calidiorem, & ſicciorẽ ſua ſponte plerunq; in illis affectio ceſſat: quoniam præter quam quod Aetius communiter & pueris, & cæteris omnibus curationem inſtituit; vnde nam obſecro certi ſumus infantes illos mutatione annorum planè liberos euaſuros, cũ nõ rarò conſtet experimento,multis, in quibus allata ratione, & ſpe inani a principio contemnitur, ab eo tempore inchoare, & in dies ita inualeſcere, vt frequentioribus, ac vehementioribus acceſſionibus eoſdem occidat,aut ſi non adeò frequentes,& moleſtæ ſint acceſſiones, ætate nihilominus haud quaquam in meliorem ſtatum redigantur, imò in infęlicem,& calamitoſam vitam decidant. Addo quòd ſi Galenus parui fecit curationem Epilepſię in pueris, dubio procul de

recen-

recenter natis,& vix in lucem editis intelligere voluit,quibus nullo modo adhiberi poſſe medicina videtur:alijs enim pueris præſidia vult adhiberi, nulla expectata mutatione annorum. Veriſimile enim eſſe ait,quòd huiuſmodi pueri cum nõ ſtatim à principio ſuæ ætatis ex natiua intemperie Epileptici ſint, propter errata in morbum inciderint,quos propterea medicis auxilijs curare oportere memoriæ mandat. Quinimò ex hiſtoria pueruli, qui radicem pæoniæ geſtabat, an non clarè patet Galenum in infantibus etiam illa commendare præſidia, quæ calefaciendo, & exiccando prodeſſe valent?Audite Leuinum Lemnium lib.2. De occult.nat. mirac.c.3.Pæonia Galeno non minus decantata, quàm Braſſica Catoni non ſolùm a qualitate elementari,ſed totius ſubſtantiæ vi, ac proprietate ſpecifica hunc morbum expugnat.Sed clarius pro re noſtra dum ſubiungit. Pueros autem,in quibus vis morbi minus valida,etiã à collo geſtata hoc morbo collapſos erigit. Diſcutit.n. cõſumitq; humorẽ pituitoſum,qui huius morbi eſt ſeminarium.Vt hinc conſtet non eo ſolùm nomine Galenum vſum fuiſſe pæonia in pueris comitialibus, quòd peculiari & occulta facultate aduerſus hunc morbum valeat, ſed manifeſtis etiam qualitatibus mirificè pugnet. Solet ergo in puerulis, atque infantibus recenter natis hoc ſymptoma fieri lactis vitio ex nutrice, necnon ex lacte quamuis puro, in eorum tamen ventriculo vitiato. Quando non lacte ſolùm, ſed alijs cibis vtuntur, lumbricorum in primis occaſione, ac inteſtinorum conſenſu Epilepſiam pati conſueuerunt. Non raro etiam ex propria cerebri intemperatura humidiori, ſi præſertim caput exterius ab omni humiditate liberum ſit, & abſque vlceribus. Ab his potiſſimùm cauſis Epileptici euadunt pueri infantes adhuc, ſed vbi grandiores facti ſunt,ab alijs cauſis omnibus hunc in affectum incurrere poſſunt. Quantum itaque ex parte nutricis, memoria hoc in loco haberi debet quod præcipit Auicenna cum alibi, tum 3. 1. doct. 1. Quando puer ægrotat, rectifica lac matris eius. Vnde nutrici diligenter præ alijs inſtituenda eſt victus ratio accommodata in ſex rebus omnibus non naturalibus, qualis iam adultorum infra dicetur, potiſſimùm verò vini abſtinentia imperanda, etiam de Ariſtotelis ſententia prope finem lib. de Somno, & Vigilia. Nam vt vinum

adultis caput replet, & neruos tentat, ita & infanti lac inde genitum. Si Platonis præceptum 2. de Leg. ad extremum ſeruaretur, forſitan tot hodie filij Epileptici non gignerentur: Neque etiam nocte, inquit Plato, vinum concederem viro, vel mulieri quando liberis operam dare volunt. Hùc ſpectat quod ſcribit Plutarchus in Problematis ſapientes Romanos cauiſſe ne in ſacrificijs nutricum adhiberetur vinum, ſed lac, ne ſcilicet ex vino ipſarum accederet pueris detrimentum. Noui ego Romæ puerum, ad cuius curationem fui accerſitus, cuius mater vino, & venere multum delectatur, non prius à diro ſymptomate liberari potuiſſe, quàm alteri nutrici fuerit commendatus. Hac in re debent parentes multum inuigilare, quoniam nutrices tantum abeſt, vt à vino, & alijs erratis in victu ſe velint abſtinere, vt multo vino, copioſiſque cibis corpus repleant. Sitibundæ enim ſunt, & famelicæ, ex continuo ſuctu inanitis humore venis; Sic etiam putantes copiam lactis coaceruare. Quoniam autem video me longiori ſermone tædio vobis fore, ideo rem inchoatam deſerere, & in craſtinam Lectionem reijcere ſum coactus.

De eadem curatione in pueris lactantibus, & potiſſimùm de Cauterio ad Inion. Lect. XXXIV.

EX his nos conſtare, ex quibus nutrimur, & ex probo, aut malo nutrimento ita vel bonos, vel improbos in nobis ſuccos generari, indeque modò inculpata ſanitate nos frui, modò mala valetudine vexari, adeò notum omnibus eſt, & manifeſtum, vt ſuperuacaneum ſit pluribus velle demonſtrare. Quamobrem ſumma cum ratione Medici omnes, qui Epilepticum affectum in infantibus curare aggrediuntur, ante omnia iubent maximam haberi debere de nutrice rationem, vt ſcilicet lac vndequaque probum, ac, vt Græci dicunt, euchymum continuè præbeat, & ego quoque in ſuperiori dicebam in hoc potiſſimùm vigilandum eſſe à parentibus, quia non rarò ſum expertus hanc prauam labem in nobis ſæpiſſimè à primo lacte, culpa, & vitio nutricum, implantari. Et ſcitis vos

ex Platone 2. de Repub. In vnaquaque re maximum quid principium eſſe, præſertim iuueni, & tenero cuique. Maximè enim tunc formatur, induiturque figura, quam quis vnicuique imprimere vult. Quæ Platonis verba mirè quadrant rei, de qua loquimur. Quare Alexandri Tralliani præcepto curam habere oportet, vt nutricis lac benignum ſit, & recrementis liberum. Nam quod vitioſum, & craſſum eſt, valde ſolet naturam impedire. Fiet autem probi, boniqųe ſucci, ſi nutrici animum adhibeatis, & exercitijs, vt ipſa mediocriter exerceatur, & cibis boni ſucci vtatur. Si igitur lac fuerit tenue, paulò ipſum craſſius efficere conuenit; ſin craſſum extenuare quibuſdam, quale eſt fæniculum, aut anethum, aut aniſum, aut eruca, aut ruta, aut porrum. Omnia autem hæc, dum viridia ſunt aſſumantur. nam ſicca cum magis ſint acria, plus vteri vaſa aperiunt, & nimis ſanguinis menſtruorum vacuationes incitantur. Quo nihil eſt deterius. Nam hinc neceſſe eſt etiam lac imminui, dum ſanguis purgatione decreſcit. Quare etiam venus nutricis pueris lactentibus eſt nocentiſſima. Quippe lac hinc tenue, & fætidi odoris fieri neceſſe eſt, ſin autem contingat etiam concipere, adhuc multò fit pernicioſius, ac cauendum eſt, ne illa omnino nutrix puero mammillam porrigat; ſed alia potius quærenda eſt, quæ lac habeat benignum. Internoſcitur autem lac colore, ſubſtantia, & odore, colore quidem, vt & albiſſimum ſit, & nihil habeat liuidum, aut fætidum, ſubſtantia verò, vt nihil admodum tenue, aut craſſum, aut caſeoſum contineat. Nam tale conuulſiones potiſſimùm generare ſolet, & neruos obſtruere. Ideo etiam vinum mediocriter tenue nutrici propinandum eſt, recrementi expers, & boni ſucci efficax. Motum, laboremque ſemper ante cibum ſubire debet. Hunc itaque in modum nutrici proſpiciendum docet Trallianus, & magna certè cum ratione, & prudentia, ſi ſola victus ratione hoc peragendum ſit. Nec miremini de vino, quod heri de Ariſtotelis ſententia nutrici denegandum eſſe dicebam, quoniam contradictio facilè ſoluitur, ſi conſideretis affectionem hanc periodicam eſſe, ac per interualla recurrentem, ideoque tempore paroxymorum per me vinum quantumuis tenue, & oligophoron penitus interdicatur,

ne lac pręcalidum infantis caput tentet, & morbum adaugeat. Nugæ etenim ſunt, quòd vinum pauciferum, ac tenuioris ſubſtantiæ caput minimè feriat. Nam quid tenuius, & aquoſius illo vini genere, quod apud Romanos lora vocabatur, & lora ſecunda? Attamen Galenus 2. de Alim. facult. manifeſtè ſcribit huiuſmodi loram ferire caput. Omitto dicere quod refert Plutarchus 6. Sympoſ. 8. de mente Ariſtotelis, quòd maculæ, quæ proueniunt a vino tenui, & lymphato difficilius auferuntur, eo quod tale vinum magis penetrat. Tempore vero quietis, quo liber eſt puerulus, non omnino denegandum videtur eſſe vinum nutrici, vt melior fiat alimentorũ cõcoctio, ſicq; lac ipſum vberius, & elaboratius progignatur. Laudarẽ equidem, vt vino immiſceretur aqua medicata ex viſcoquercino, vel radice chinæ cũ ſeminibus pæoniæ. Aliquando autem ſolũ in victu regimen non ſufficit pro tollenda occaſione huius ſymptomatis in pueris, quando præſertim nutricis corpus prauis vndiq; ſcatet recremẽtis, & pituitoſis imprimis humoribus, ne dicã alijs quoq; prępſidijs opus eſſe, dũ cauſa pueri humidiori intemperatura cũ in toto, tum in capite, & cerebro donati, ſeu præditi, affectio ꝓuenit. Suppoſito enim optimo victus genere, purganda nutrix eſt his, quæ pituitam auferunt, corporiſq; habitum exiccant. Sic namq; conſulit Hippocr. 6. Epid. 5. Quæ purgatio leuis quidem erit puero, licet fortis ſatis nutrici. Gal. ſimiliter in Com. infantis purgationem confirmat, ita vt nutrix, aut capra aliquod medicamẽtum purgatorium aſſumat. Purgabit itaq; partim ex accidenti pituitæ fomentum remouendo, partim per ſe qualitatem aliquam purgatoriam lacti inducẽdo. Quare docet ibidem Gal. purgationẽ ex lacte caprino facere, capræ herbas propinando purgatoria vi præditas. Eandem ſententiam, & lactis facultatem acquiſitam ex alimentis Gal. rurſum explicat, & multis hiſtorijs confirmat 3. de Aliment. facult. cap. 25. & ante ipſum Dioſcorides lib. 2. cap. 26. tradidit pecora quæ veſcuntur ſcãmonio, helleboro, & ſimilibus lac purgatoriũ facere, cõtra capras, quæ lentiſco, & alijs adſtringẽtibus herbis nutriũtur, lac vi adſtrictoria præditum generare quis ignorat? Neceſſe tamen eſt ad hoc vt nutricis lac purgatorium euadat, medicamentum forte eſſe, cuius facultas ſuccis in ventriculo contentis communicata etiam

post

poſt eorum concoctionem, & in ſanguinem mutationem conſeruatur, & viget. Hæc admirabuntur qui in tranſmutatione ſubſtantiali omnia priora accidentia deperdi volunt in materia, cum hic multæ adſint, & tamen reſeruentur. Niſi quiſpiam dicat ex ſanguine tantummodo dealbato lac generari, quod propterea purgantis facultatis particeps remanet. Ideo Hippocrates loco Epidem. citato ſic ait: Mulier, & capra elaterium, aut cucumerem ſilueſtrem comedentes, pueris purgatio. Nec obijciat aliquis illa fuiſſe medicamenta tempore Hippocratis vſitata, quoniam nec illi æuo blandiora deerant. Quocunque igitur modo Epilepticus infans euadat, hoc eſt ſiue culpa matris, aut nutricis prauis humoribus redundantis, & conſequenter impuro lacte, ſiue ex copioſis excrementis, in eo cauſa natiuæ temperiei, vel etiam vitio praui nutrimenti in vtero coaceruatis, curatio ſemper per nutricē facienda erit, non omiſsis tamen paucis quibuſdam circa ipſoſmet infantes. Aetius enim mel deſpumatum ad lingendum offert. Sanè ad præcautionē in puero comitialibus acceſsionibus obnoxio multum commendatur mel decoctum, & deſpumatum cum pauco puluere ſeminis pæoniæ, & limaturæ ſmaragdi. Vnde Ludouicus Mercatus experimēto fideliſſimo ſcribit mel ita præparatum cum modico fæniculo, & oleo amigdalarum dulcium, ter, vel quater quoq; die exhibitum præſeruare ab Epilepſia. Rondeletius præcipit dare puluerem in lacte manè, pondere vnius drachmæ, qui puluis ita conficitur: R. radicis pæoniæ, & ſeminis eiuſdem drac. 1. ſeſeleos, aniſi, carui an. drac. 5. viſci quercini, quod huic affectui maximè eſt proprium, drac. 1. fiat puluis ſubtiliſſimus, addēdo ſacchari candi vnc. 1. Sunt etiam qui laudant vſum pulueris diamuſci in eadem doſi cum lacte, vel aqua hyſſopi. Alij præbent ſingulo mane ante lactationem cornu cerui vſtum, puluerem ex cranio humano, & ſeminibus pæoniæ. Nonnulli alij portiunculam mellis roſati, ſyrupi de ſtœchade, ſyrupi de ſcordeo, & oxymelitis etiam ſimplicis. Quæ ſingula cum vtilitate adminiſtrantur, quemadmodum, ſi de exterius admotis loquamur, probantur odoramenta ex ruta, ex eodem Aetio, qui ſimiliter infantis caput oleo amaracino, irino, & anethino inungit, eidemq; capiti admouet puluerem confectum è cypero, adianto, & iride. Non diſſimilis

erit, qui hodie eſt in vſu è betonica, hyſſopo, ſampſuco, & ſtœchade. Idem Aetius caput lauat aqua calida, & ſordes melle detergit. Collo applicat radicē pæoniæ, ita vt ſtomachū tangat. Ita namq; ſcribit Aetius Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 21. Recenter nati pueruli comitiali morbo correpti ea methodo curandi ſunt ex Poſſidonij ſententia, vt ipſorum matres, ſiue nutrices calidis cibis, ac potibus nutriantur, quò lac ſemper calidius fiat, ac tenuius: infantium verò capita puluiſculis calidioribus veluti eſt cyperus, adiantum, iris inſpergantur. Oleis item anethino, irino, & amaracino aſſiduè illiniantur, deturq; ipſis mel deſpumatum ad delingendum, & recens pæoniæ radix ita collo adligetur, vt ſtomachum contingat. Remanet vltimum remedium omnium tamen efficaciſſimum, nempe cauterium; ſeu fonticulus in occipitio ad interſtitium primæ, & ſecundæ vertebræ, à quo tamen aliqui ad pauca reſpicientes omnino abſtinent, non ſolùm in pueris adhuc tenellis, & infantibus, ſed in adultis etiam, cauteria, & vſtiones in occipite perpetuò damnantes, propter quædam Galeni verba, quæ habentur 2. Catat. in dolore capitis ex ardore curando. Sic enim ſcribit Galenus; Neque enim facilè exuritur capitis ea pars, quæ occiput, & à Græcis inion appellatur. Exiſtimant ſiquidem Galenum de exuſtione ab igne facta hoc in loco ſermonem habere, cum omnino de vſtione a Sole, non ab igne loquatur. Dum enim tradit modum curandi dolorem capitis ex ardore Solis, monet localia remedia anteriori capitis parti, non poſteriori adhibenda a nobis eſſe, duplici potiſsimùm ratione: prima quia poſtica pars capitis nempe occiput, non adeò facile, vt antica, ſeu ſinciput, Solis calorem concipit, ab eoq; exuritur: ſecunda quia in occipite principium adeſt ſpinalis medullæ, & neruorum, qui propterea à topicis refrigerantibus lædi poſſent. Quam quidem Galeni ſententiam non obſcurè poſtmodum dilucidauit Oribaſius ad Eunapium lib. 4. cap. 1. qui de curatione capitis dolentis ob æſtum loquens, hæc habet verba: Qua in re cauere debes, ne poſteriorem partem capitis, quæ ad occiput eſt, attingas; cum caput ea parte non facilè exuratur, cumq; inde ortum ducat ſpinalis medulla, ne aliqua noxa conſequatur. Hæc ille. Nec nouum eſt in Galeni doctrina per capitis vſtionem intelligi ſupercalefactionem in eo a Sole fa-

ctam, vt videre eſt apud eundem primo ad Glauconem cap. de febre ephemera, & lib. 8. Meth. cap. 3. vbi febres ab vſtione genitas curare docet, & alijs in locis. Infra quoque ex Paulo Aegineta lib. 3. cap. 13. cùm de aere, & alijs ab Epilepticis vitandis agetur, dicam, & in balneo moram, & capitis ex Sole exuſtionem maximè moleſtam eſſe. Quamobrem non rectè iudicant, qui ex adducto Galeni loco perperam accepto, ab occipitis cauterio abſtinent, quoniam per verbum, exuritur, vſtionem a Sole, & non ab igne factam manifeſtè intelligit. Maius certè negotium faceſſere videntur, quæ aduerſus hoc præſidij genus doctè, & accuratè ab alijs in Arte præſtantibus literis mandata fuerunt, de quibus, veluti de reliquis ad hanc curationem ſpectantibus, diſſeram in futura.

De eodem Cauterio ad Inion in pueris Epilepticis; Et reliqua curatione in ijſdem. Lect. XXXV.

INTER auxilia, quæ à Medicis præſcribuntur puerulis comitiali inſultui obnoxijs, tam ſi eos curare, hoc eſt ab acceſſione præſente liberare, quàm ſi præſeruare, ne redeat affectio, in animo ſit, maximè ſalutare, ac maximè præſentaneum cenſetur cauterium, quod Inio primam inter, & ſecundam vertebram affigitur, quo quidem cerebrũ mirè exiccatur; quoniam præter vacuatoria iam facta à natura, etiam arte hoc adiungimus, per quod tanquam per emiſſarium quoddam natura ipſa humores, qui a toto ad cerebrum confluunt, aut potius in eo, ex vitiata præ nimia humiditate alteratrice facultate, aſſiduè generantur, expurgare, ac extra mittere aſſueſcit. Vnde non ita facilè in tam magna copia ibidem colliguntur, quà ventriculos cerebri obſtruendo Epilepticum ſymptoma efficere valeant. Præterea ſi præſens ſit affectio, & pueri iam morbo comitiali infeſtentur, nec alijs leuioribus admotis, ac præſtitis auxilijs, excitari infans poſſit, quodnam promptius, & efficacius adhibetur remediũ fonticulo dicto? Hoc enim vix facto, ſtatim expergefiunt Epileptici etiam natu maiores, nedum infantes, quibus niſi ferrum illud

ignitum conferat, de illorum ſalute exigua ſpes relinquitur. Quare tam præſeruationis cauſa, quàm curationis; putauerim ego huiuſmodi remedium in pueris, & alijs Epilepticis maximopere conuenire. Huic meæ aſſertioni aſſentiuntur, ac fidem faciũt omnes ferè practicæ Medicinæ ſcriptores, & potiſsimùm Celſus lib. 3. cap. 23. vbi dicit; Ferro candente in occipitio, & infra qua ſumma vertebra cum capite committitur, deducere duobus locis, vt per ea perniciofus humor euadat, vltimum eſſe Epilepſiæ remedium. Vt ſileam Hippocratem ipſum, qui lib. 2. de Morb. in capitis affectibus vetuſtis, & contumacibus, inuſtiones plures, quæ cauteriorũ vicem gerunt, magnopere commendat. Omitto ſimiliter ſinapiſmos apud Aetium, Actuarium, & Oribaſium, qui non diſſimili intentione conficiebantur, relinquo etiam conſuetudinem populorũ quorundam Lybiæ, qua omnibus infantibus quadrimis ceruicem inurere conſueuerant, ſicque à pituitoſis morbis eos liberaſſe, vt in poſterum ſaniſsimi degerent; de qua re legatis Herodotum in Melpomene ſeu lib. 4. Quinimò, vt ad rem noſtram propius accedam, Rondeletius in ſua Meth. med. cap. 36. hæc profert verba: Pueris applicetur cauterium actuale in parte poſteriore capitis, & maximè ijs, qui obeſiores ſunt, eſtq; præſtantiſſimum remedium. Florentiæ, quia pueri ſunt obnoxij huic morbo, etiam mulieres admouent cauteria actualia per ferrum ignitum; Hæc ille. Eiuſdem ſententiæ ſunt Practici omnes, præſertim verò Mercurialis lib. 2. de Morb. puerorum cap. 3. Ego quoque noui Venetijs clariſsimam mulierem, cui pueri omnes intra paucos menſes conuulſione Epileptica corruentes interibant. Medicorum conſilio recenter natis occipitium inuri mandauit, & ab eo tempore quotquot naſcebantur ſuperſtites viuebant. Ludouicus Mercatus lib. 2. De puerorum morb. & curat. cap. 12. tanti facit hoc præſidij genus in infantibus, & pueris Epilepticis, vt nihil ſupra. Quo etiam in loco docet quàm neceſſarium ſit peritiſſimi artificis manu huiuſmodi fonticulum fieri debere: Cuius ſummi Viri verba libenter affero, tum vt clarius hæc doctrina vnicuiq; pateat, tum verò etiam ne Chirurgi temerè, & oſcitanter in huiuſmodi operatione ſe gerant. Et quod, inquit, maioris eſt momenti, manu peritiſſimi artificis fiat, nam ſæpe conſpeximus ex in dextero modo aperiendi fonticulum in

occi-

occipitio mille mala, & mortem ſuperueniſſe. Nam ſi tentauerit Chirurgus cutem totam ferro vrere, non rarò conſpeximus conuulſione ſuperueniente puerum immaturiſsima morte perijſſe. Quòd ſi id non ſequatur, maiori, aut profundiori aperto foramine, fluxiones concitari ad dorſum, & neruoſas partes, quo diſtorquẽtur pueri certiſſimum eſt. Qui enim voluerit hoc ſeueriſſime vti præſidio, expendat ſatis eſſe ad curationem, & præſeruationem in pueris, cutis partem vrere, non totaliter perforare; nam ea parte cutis eſt craſſiſſima, gratia præmuniendi neruorum origines, quã ſi prorſus igne, aut vlcere facto perforaueris ſummopere lædes; nã ſatis erit dimidiam cutem vel minus vrere. Quippe ſatis eſt caput expurgari per venulas, quæ terminantur ad extimam cutem, citra id quod per maiores, & profundiores aliquid effluat à capite, quo ſępiſſime imbecillimum redditur, & mille alijs affectionibus obnoxium, præterquam quòd dum opus fuerit fontanellam occludere, id ſine periculo fiet; quod non contingit, cum profundius excauatur. Idem Mercatus in Conſult. Medic. conſul. 3. pro puella ſeptem annorum Epilepſia laborante, vbi ad cauterium occipitij deuenit, in hunc planè modum loquitur. Quo ſanè diſcurſu ductus, occipitium ferro candenti inurere iuſsi, & foramen diu apertum conſeruare, per quod expirabat id, quod quotidie cerebrum non ſolùm ſuſcipiebat, ſed & generabat. Quod præſidium eius fuit poteſtatis, quod deinceps rarius in acceſſiones incideret, & cum hoc mitiores erant adeò, vt ipſa, & aſſiſtentes crederent integram ſanitatem fuiſſe adeptam. Noſtri tamen æui Medicus percelebris, & inſigni doctrina ornatus Io. Baptiſta Siluaticus Controuer. Medic. controuer. 87. hoc remedij genus impugnat, multis probans eas non afferre vtilitates, quæ vulgò prædicantur. Cuius Viri iudicium magni equidem facio, ſed eius hac in re opinioni aquieſcere nullo modo poſſum, propter allatas cum rationes, tum auctoritates. Quod enim ſcribit ipſe in Epileptica acceſſione (nam quod in præſeruatione, & omnimoda eradicatione cõueniens ſit iam diximus) illa de cauſa non conuenire, quia licet Epilepticum quemq; poſſit excitare ratione doloris, nihilo tamen huiuſmodi dolorem ſtatim inuſta carne butyro, alijſque id genus dolorem lenientibus medicamentis demulceri, mihi certè non ita probatur, vt ob hoc reijcien-

ciendum ſit tam ſalutare præſidium. Quandoquidem vel infans ex facto cauterio a paroxyſmo illo exurgit, ac excitatur, vel malum ſpreto auxilio perſiſtit; ſi primum, nil aliud moliendum, ſi ſecundum, dico Medicos aut cerato ſacro, aut puluere cantharidum, aut etiam allio craſſiuſculè contuſo locum cauterio adapertum, atque dolentem, diutius reſeratum, & cum dolore conſeruare, à qua etiã parte quæcunq; excernitur materia non omnino aſpernandum auxilium afferre poteſt, licet hoc reuera nõ ita ſubitò eueniat, imò non niſi aliquod poſt tempus, vt propterea vacuationis nomine in prophylautice tãtummodo locum habere videatur. Quod ſi adeò neceſſaria ſit corporis purgatio ante cauterij excitationem, vt in morbo etiam præcipiti, & curatione coacta regulis vti cogamur; quidni corporis infantis vacuationem per blandiora enemata, & acriuſcula ſuppoſitoria præmittere Medici poſſunt? Qui tempore intermedio ad præſeruandum, varijs quoque modis reuulſionem humorum ad caput confluentium moliri ſolent, frequenti vſu enematum, frictionibus, vinculis dolorificis, vti, quando tamen vires cum ætate permittunt, per ſectam venam in poplite, ſin minus crura ſcarificando, vt docet Galenus De curan. ratione per ſang. miſſ. cap. 19. Idcirco non poſſum non magnopere commendare fonticulum in occipitis, aut inij oſſe ad primam vertebram, tam ſi præſeruationis, ac totalis liberationis cauſa, quàm ſi curationis gratia, dum ſymptoma vrget, & præſens eſt, illum excitare interio ſit; qui ſermo non ſolùm de puerulis lactantibus, ſed etiam de alijs natu grandioribus, imò iam adultis accipiendus omnino eſt; Et hæc de cauterio, de quo ſimiliter infra nonnulla audietis, nunc reliqua proſequamur. Si infans ex lacte in eius ventriculo coagulato, vel quouis modo corrupto in hoc ſymptoma incurrerit, neq; id obiecti vitio, ſeu praui lactis a nutrice exhibiti culpa prouenire cognoueritis ex notis probi, aut vitioſi lactis iam traditis, tunc vnum de duobus accuſandum, aut vtrumque ſimul, nempè vel copioſa nimis, & aſſidua lactis exhibitio, vel ventriculi infantis imbecillitas, ſeu iecoris etiam aliqua mala affectio, quæ ſingula vos facilè aſſequemini ex proprijs cuiuſque partis actionibus lęſis, pręſertim verò ex flatibus per os emanantibus, torminaq; in ventre parientibus, facilè enim matres, aut nutrices id agnoſcunt, vel ab exeuntibus

tibus mutatis, hoc eſt alui corruptis excrementis; ſi in cauſa ſit nimia, & abſque ordine propinata lactis abundantia, quam poſtmodum eorum ventriculus tanquã onus ſuis viribus impar benè ferre, & elaborare nequeat, & inde cruditatis prouentus dependeat, à qua cauſa mihi credite in infinita mala, atque adeò in mortem infantes ſæpiſſimè incidunt, tunc omnino imperandũ à vobis eſt, quod inter cæteros Paulus lib. 1. c. 10 magna cum ratione præcipit eſſe faciendum, nimirum vt infans bis, aut ter duntaxat per totam diem lac aſſumat. Sic enim facilè huic cauſæ, quæ externa potius eſt, quàm interna, occurretis. Verùm ſi cauſa interna exiſtat, & propria ventriculi imbecillitas ex humidiori, & frigidiori ventriculi intemperatura, quæ cauſa haud infrequens eſſe ſolet, eo in caſu oportet poſt exactam victus rationem nutrici inſtitutam, qua lac ipſum minus corruptum, & vitio minus aptum reddatur, offerre puerulo aliquid, quod quamprimũ è ventre deturbet quicquid in eo præter naturam cõtinetur, ſeu lac coagulatum, vel corruptũ, ſeu craſſa ſit pituita. Id poteſt multifariam præſtari, ſed in primis laudatur puluis ſacchari cum lacte, aut rhodomel, & oxymel, quæ duo lac coagulatum mirificè diſſoluunt, & per ventrem deijciunt, vt neceſſarium minimè ſit vti coagulo hædi, ac leporis cum aqua calamenthi, vt nonnullis mos eſt. Sal cum melle ventriculi plenitudinem tollit, ſiue ſit ex lacte coagulato, aut corrupto, ſiue ab alia cauſa, Galeno auctore 5. de San. tuen. & 3. de Alim. facult. cap. 14. Quare ſi mel, & ſal nutricis lacti immiſceri iubebitis, profectò lactis in ventriculo coagulationem impedietis, etiam ſi Auicenna contrarium afferre videatur fen. 6. lib. 2. tract. 2. c. 21. Ad idem valet clyſmata blandiora ex hydromelite, aut decocto mercurialis cum ſaccharo rubro, necnon ſuppoſitoria ex hiera, ſale, gẽma, & melle. Inſuper laudant Medici omnes, vt infantium venter inungatur eique cataplaſma aliquod admoueatur, quo facilius recrementa ſecedant: cuiuſmodi eſt inunctio facta ex butyro porcino, oleo ſeſami, amigdalarum dulcium, & cataplaſma paratum ex folijs vlmi, & maluarum an. m. ſ. decoctis in vrina puerorum, additis butyri vnc. ij. aut ex lino, & butyro recenti minutim inciſis, & contuſis cum modico fermento, & croco. Fortaſſe non contemnendum vnguentum illud maius de ærthanita, quod in pueris præſer-

tim aluum commouet. Vbi cognoueritis huiuſmodi præſidijs ventrem eſſe maiori ex parte ab excrementis purgatum, mox ipſum cũ intrinſecis, tum extrinſecis corroborare ſtudebitis. Interius exhibendo modicum miuæ cytoniorum aromatizatæ cum puluere radicis, ſeminiſq; pæoniæ, & margaritarum præparatarum. Exterius vnctione facta cum oleo nardino, abſinthite, de mentha, de corticibus citri, aut etiã oleo belzoini, & balſami. Cruſta panis areſacta, & vino odoro irrorata, pulueribus macis, caryophyllorum, cinnamomi, & roſarum rubearum cooperta, mirè ventriculum roborat. Non deſunt inter Practicæ ſcriptores, qui pueris etiam infantibus theriacæ, ac mithridati portionem per os exhibent, quorum opinio mihi nunquam arridere potuit, quia medicamenta ſunt vehementiora, & maioris actiuitatis, quàm lubrica, & diſſipabilis puerorum natura ſufferre valeat. Ideo enim Gal. De ther. ad Piſ. theriacæ vſum pueris interdicit, narratq; hiſtoriam cuiuſdam pueri, cui ipſe coactus theriacam exhibuit, quam ille concoquere, & perferre nullo modo potuit, vnde diſſoluto vniuerſi corporis habitu ſequenti nocte obijt. Noſtræ mulieres, inquit Rondeletius, frequenter in hoc affectu vſurpant compoſitionem diamoſchi dulcis, quæ minus probanda eſt, quia nimis tentat caput ob odorem, in parua tamen quantitate tempore paroxyſmi dari poteſt, vt quod in capite eſt diſcutiatur. Aliæ mithridaticam compoſitionem, aliæ theriacam exhibent, quam Galenus improbat. Hæc enim remedia potiſſimùm pueros læderent, qui calidiores ſunt, & ad diſſolutionem promptiſſimi. In acceſſione eadem conueniunt, quæ infra de natu grandioribus, & alijs dicentur, ſed paulò mitiora. Tandem in infantibus Epilepticis duo occurrunt diligentiſſime obſeruanda, & nutricibus acriter imperanda: Alterum ne ſubito, ac repentino timore corripiantur, qualem excitare poſſunt tonitrua, bombardæ, & magnus tubarum ſonitus, quibus pueri ex improuiſo perterriti in Epilepſiam incurrunt, &, ſi in comitiale malum aliqui non incidunt, vniuerſum tamen eorum corpus cõtremiſcit, & validè concutitur, quod multis quoque adultis de alijs cogitantibus ſæpè contingit. Nota eſt hiſtoria filij Matthæi de Graddis, quam recitat pater 9. ad Almanſorem; Alterum, in quo mulieres ſæpiſſimè errant, eſt, ne vlcera capitis manantia, puſtu-

puſtulas tum capitis, tum aliarum partium, tumores ad aures, aut mandibulas, à quibus non rarò infantes affici ſolēt, vllo pacto, vllaq; ratione curare nitantur. Quod ſcripſit enim vniuersè Hippoc. Vlcera aliorum morborum medela, ad rem noſtram maximopere facit; quicunq; etenim pueri hanc habent naturalē purgationem, ab hoc mali genere ferè ſemper immunes præſeruanrur, contra qui huiuſmodi naturæ beneficio priuantur, maxime omnium comitialibus inſultibus obnoxij fiunt. Quod expreſsè traditum habetis apud Hippocratem lib. De morbo ſac. & apud Auicennam, qui ſcribit ab Epilepſia ferè tutos eſſe illos pueros, quibus in capite fiunt vlcera, apoſtemata, & fluxus narium. Perpulchrum experimentum legitur apud Victorem Trincauel. lib. De rat. curandi part. hum. corp. affectus 2. cap. 6. quod ego omitto, vt hîc finis imponatur Epilepſiæ puerorum lacte adhuc veſcentium.

De curatione Epilepſiæ in pueris ablactatis, & natu grandioribus. Obiter de liquore Chalcanthi, ſeu Vitrioli, eiuſque abuſu. Lect. X X X V I.

VBI pueri lacte amplius non veſcuntur; ſed grandiores facti magis ſolido alimento indigent, vt puta pane, carne, ouis, caſeo, necnon etiam fructibus, atque oleribus vtuntur, ſi ab Epilepſia tentētur, & curanti Medico ſigna appareant cerebri ſani, & incolumis, ita vt malum omnino ſit per per ſympathiam, non autem per idiopathiam, ſcitote Auditores, quòd tunc affectionis origo potiſſimùm a lumbricis, ſeu vermibus in inteſtinorum capacitate ſtabulantibus prouenire ſolet. Etſi non me latet ex Hippocrate 4. de Morbis multos pueros in vtero latos habere lumbricos. In qua ſententia multò magis confirmabimini, ſi accidentia lumbricorum in ijſdem pueris obſeruabuntur, ad quæ tamen mentis aciem vos dirigere oportet, ne similitudo decipiat, quia ſæpiſſimè ſimilia ſunt accidentibus aliorum morborum. In primis verò huiuſmodi cauſam, vt alibi dictum eſt, ex eo facilè cognoſcetis, quòd inter dormiendum turbulenta in ipſis fiunt ſomnia cum rixa, & mentis alienatione, quan-

quandoque expergefiunt cum lamentabili querela, ac plorando, dentibus ſtrident, ac inaniter maſticant; Præterea ſaliuoſa humiditas abundè nocte inter dormiendum è labijs effluit, quæ interdiu delitescit, & exiccatur, quia fortaſſe extenſa caliditas nō adeò liquat ſicut noctu collecta, quibus omnibus, & alijs, quæ vt non huius loci omittuntur, ſi adiungatur punctio, & dolor oris ventriculi, ventris renitentia, ac durities, cum fætore anhelitus, & inani tuſſicula, non coniecturam, ſed certam ferè habebitis ſcientiam comitialem affectum pendere omnino ab inteſtinis, & animalcuculis, quæ in illis genita ſunt. Quæ quidem vno è tribus modis id mali genus maximè efficiunt, aut emortui ex fætidis, malignisque halitibus in caput expirantibus, non ſecus, ac ſi ex tibia, vel aliqua alia parte venenata aura eleuaretur, aut viuentes adhuc putridā, & corruptam materiam commouentes, vel denique aculeis mordicantes, & pungentes, non ſolùm inteſtina, ſed ventriculum quoque, & per eum cerebro in conſenſum tracto, de qua re iam ſupra vberius. Quod autem expiratio a vermibus, & inteſtinis ad cerebrum elata illud magnopere lædat, & motus tremulos, & conuulſiuos, ipſamq; Epilepſiam inferat, notius eſt, quàm vt demonſtrari indigeat, veterumque, ac recentiorum Medicorum conſenſu ſatis ſuperque probatum adinuenio. Ad hoc facit quod legitur apud Hippocratem 4. Epidem. in hiſtoria ſenis, qui cum eſſet furioſus, ex vomitu lumbrici craſſi liberatus eſt. Idem confirmat quod traditur in Coac. prænot. à principio: Qui in capitis dolore aſcarides habent, his ſurditas, & ſopor conſequens, abſceſſus circa aures exſuſcitat. Hoc etenim ſi aſcarides, qui ſunt non ſolùm tenuiores, ſed etiam remotiores faciunt, quantò magis alij, qui & maiores, & viciniores exiſtunt? Quare ſi lumbricorum culpa acceſſio Epileptica in pueris eueniet, neceſſe erit curationem dirigere ad eos tum necandos, tum expellendos, ventrem etiam à craſſa, viſcidaq; pituita, quæ eſt vermium materia, expurgando, interdictis prorſus illis, quæ talem materiam in corpore poſſunt accumulare, cuiuſmodi ſunt craſſa, & viſcoſa quæq; cibaria, dulcia, & vnctuoſa. Per os itaque propinetur puluis hieræ picræ cum melle roſaceo, accipiendo videlicet ipſius hieræ drac. j. rhodomellis vnc. ſ. aquæ graminis q. ſ. fiat potio. Alij dant cum hiera terebinthinam vnà cum deco-

cto

cto fœniculi. Quidam vtuntur infuſo rhabarbari, aut lacte ſeminis carthami, aut etiam infuſione foliorum ſenæ. Probatur mihi electuarium eleſcoph, & multò magis ſpecies eius in iure, vel appropriata aqua exhibitæ, aut ex ſaccharo in rotulas redactæ. Sic enim a pueris, & corporibus delicatis promptius, & libentius aſſumuntur. Ratio autem conficiendi medicamenti huius in rotulis, eſt huiuſmodi, vt vni drachmæ pulueris, vel ſpecierũ vnc. j. ſacchari adhibeatur. Accipiatis itaque ſpecierum electuarij Eleſcoph drac. ij. ſacchari vnc. ij. cum vino albo aromatico fiat confectio in rotulis. Doſis verò erit a drachmis quatuor, vſq; ad drachmas decem pro ætate, & natura accipientis & qualitate, & copia materiæ. Agaricus in oxymelite infuſus, & confectio illa diacarthamum dicta potentiſſima ſunt remedia ad vermes deijciendos, & ad educendã pituitam, vel chilum corruptum, ex quo generantur, & nutriuntur. Dictamnũ album ſubtiliter puluerizatum, & cum aqua decoctionis eius, vel aqua agrimoniæ, vel rutæ, vel abſinthij, & conſimiliũ potui datum vermes è ventre deturbat, quemadmodũ cum aqua ſabinæ ſecundas, & fœtum emortuum ex vtero detrudit. Auicenna laudat vt tempore ſomni aliquid aceti ſorbendum pueris demus, cuius acrimoniam fugientes vermes ad vltima deſcendunt inteſtina. Ad quæ etiam animalia extraducenda conferunt varia enemata, quæ tamen debent omnino eſſe abſque oleo, & abſque ſale, quia ab huiuſmodi fugiunt, & altiores partes conſcendunt. Propterea ego ex lacte tantùm vaccino, vel aſinino cum modico ſaccharo ea confici iubeo, vel etiam ex iure pingui ad vncias ſeptem cum butyri recentis, & mellis crudi ſingulorum vnc. ſ. & oui vitello. Loco tamen iuris parant alij decoctum ſebeſten num. xv. ebullitione facta in ſ. q. aquæ, donec benè intumuerint, deinde manibus fricentur, vt ſuccus exeat, in qua decoctione diſſoluunt ſaccharum rubrum, & alia ex relatis. Extrinſecus verò inungatur vmbilicus oleo nucum, oleo nucleorum perſicorum, vel adhibeatur cataplaſma ex pulueris aloes ſcrup. j. zedoariæ, dictamni albi, aut etiam Cretenſis, quod eſt hac in re nulli alteri ſecundum, an. drac. ſ. fellis bubuli drac. ij. ſucci abſinthij, & rutæ an. vnc. j. Inſuper accipiatis foliorum abſinthij, abrotani, ſaluiæ an. m. j. ſ. bulliant in ſ. q. aceti, & aquæ, in qua decoctione ſpongia, vel petia madefiat,

& ven-

& ventri admoueatur. Ioannes Manardus lib. 3. Epiſt. 1. laudat tãquam a ſe obſeruata, & experta olea thuris, & atramenti, quod vitriolum vocant, per eam videlicet artem facta, quam Chymicem dicunt, ſi ex altero venter inungatur, ſed in ſecundo cautè agendum, ne locus exulceretur. Quidam & guttulam potui dant cum mellicrato; ſic ait Manardus.

Noſtri tamen temporis Medici aliqui tam Itali, quàm Germani, & alij in vſu olei, ſeu ſpiritus, ita enim potius vocandum cenſent, & in arcanis habent, vitrioli, & ſulphuris multò ſunt audentiores, quando amborum maiorem quantitatem per os propinant, cum pueris, tum alijs omnibus cuiuſcunq; temperamenti, quouis ferè morbo detentis, etiam febribus acutis, & ardentibus, etiam media in æſtate, ac ſæuiente Canicula, ſcribentes, & paſſim diuulgantes ſpiritum illum vitrioli non minus refrigerare, ac ſyrupus, vel conſerua de acido citri, ſyrupus de omphacio, de limonibus, & de oxalide, quod communis omnium aciditas manifeſtè demõſtrat; Sic etenim expreſsè tradidit Quercetanus de oleo vitrioli, quod dulce nuncupat, & Andernacus, alijq; huius ſectæ confirmant. Qua de re breuiter hoc in loco meam liberè proferam ſentẽtiam, vberius eandem abſq; lœdorijs, abſq; conuitijs, vt Chriſtianum Medicum decet, enarraturus loco magis opportuno, ſi opus erit. Audiant itaq;, vt ab auctoritatibus exordiar, & attentè conſiderent quæ literis mandata ſunt à Hieronymo Rubeo Rauennate Medico vndequaque doctiſſimo, & Chymicæ artis peritiſſimo, De deſtillatione ſect. 2. cap. de Chalcantho, vbi poſtquam dixit oleum chalcanthi, ſeu vitrioli in peſtilentia, peſtilentibuſque febribus, ephemera excepta, egregium certè haberi remedium, atque vbi opus eſt corpora phlegmate, maliſq; referta ſuccis a morbis tueri, idq; cum purgata prius fuerint, ſubiungit. Sed liquore indiget, quo cum miſceatur, quique eius acrimoniam (hanc ipſi dicunt aciditatem) ac vehementiam corrigat: canicularibus diebus eo abſtinendum, niſi ingens vrgeat neceſſitas; Et multò ante Cardanus lib. 5. De ſubtilit. rerum de mixtione, & mixtis imperfectis, ſeu metallicis; Exuſtit, inquit, chalcantho, aut miſy vi ignis per vitrea vaſa oleum detrahitur acutiſſimum, & calidiſſimum, quo ſi quis iam ſauciatas verrucas tangit abſcedent illæ, idem guſtatum

lin-

linguam haud ſecus quàm candens ferrũ ferit. Eſt tamẽ illius vſus ad ſiccanda vlcera interna deplorata, vbi non multũ ſordida fuerint. Ludouicus Mercatus in ſuis Conſultationibus conſult. 14. timet vſum olei vitrioli in quibuſdam faucium, & gutturis anginoſis, & lethalibus vlceribus, quòd ſæpè partes ſanas adeat, & depaſcatur, atque conuulſiones moueat, & maximè ſi ad aſperam arteriam, œſophagum, aut ventriculum aliquid eius, aut aliorum medicamentorum, quæ vires habent vſtiuas, vt docuit Galen. 13. Meth. cap. 20. dilabatur. Ioannes Riolanus in Particul. Meth. loquens de curatione polypi hæc habet verba: Fortiora ſunt, & citius operantur cauteria potentialia, vt oleum de vitriolo, aqua fortis, aqua vitæ infuſionis vitrioli, puluis mercurij. Et paulò inferius, Chirurgi, inquit, ſolent maligna vlcera ex lue Indica attingere aliquo cauſtico, vt oleo de vitriolo, aut aqua forti. Hîc ſtatim obijcient hęc intelligenda de oleo vitrioli communiter, aut paſſim vſitato, non item de alio, quod dulce Chymici vocant, aut quo ipſi potius vtuntur, vtpote longè diuerſo. Sed quæro ego ab his, an hoc illud ſit oleum, quo vtũtur Auctores illi, qui pro huius olei vſu magis confirmando, & extollendo adducuntur, vt eorum auctoritas rei, de qua agunt, fidem faciat. Illud ipſum eſſe reſpondeāt oportet, alioqui vanæ forent eorum denominationes, temerèque pro teſtimonijs citarentur. Audite ergo iterum Rubeum, quem ſæpius citant, & quàm accuratè illum legerint, quantaq; cum ratione adduxerint, ex eo vnuſquiſq; iudicet, quòd eorum opinioni vndequaq; aduerſatur; dico quoad vſum huius liquoris in calidioribus affectionibus, & febribus maximè, quando vel oleum illud, quod dulce vocant, ipſe verò minus acre, niſi valde correctum, & caſtigatum præ ſui feruore, & acrimonia, minimè tutò exhiberi apertè contendit. Sunt (inquit ad extremum capitis iam citati) qui oleum hoc aqua ardente ſæpius perfundant, & aquam abſtrahant, vt efficiatur minus acre, ac magis tenue; ſed vt de tenuitate verum puto, ita de acredine contra accidere ob ignis caliditatem, ac tenuitatem ipſius crediderim. Ex quibus verbis facile etiam eſt cognoſcere, an ex igne huic oleo caliditas accedat, vel ne. Capiuaccius, & Mercurialis meam & ipſi ſententiam euidenter corroborant, quoniam ambo Viri clariſſimi huiuſmodi liquore

vtuntur in expuentibus ſanguinem, & in phthiſicis, ac purulentis. In illis quidem, quia vehementer adſtringit, in his verò, quòd inſigniter exiccat. Si primum, ex quo aliqui ad alui etiam fluxiones cohibendas quàm maximè valere affeuerant, neſcio quomodo ita promptè, & audacter in quacunq; putrida eo aliqui vtantur. Vnde non malè iudicant, qui liquori huic, præter acrimoniam, auſteritatem etiam quandam, rationibus quibuſdam à rei natura deſumptis, ineſſe contendunt; & notate cùm dico auſteritatem, quoniam quæ verè acida ſunt, vt de oxalide in primis & oxilapatho tradit Galenus 4. de Simpl. medic. facult. 15. in putridis febribus mirum in modum conueniunt, & ratione febris, & ratione putredinis, & ratione obſtructionis. Valent aduerſus febrilem calorem refrigerando, pugnant contra putredinem moderatè exſiccando, tollunt obſtructiones craſſos incidendo humores. Nec me deterret quòd Leonardus Iachinus Medicus alioqui peritiſſimus diſputans contra alium Medicum, qui mulieri acuta febre detentę acida præbuerat medicamenta, putet acida nõ cõuenire, eo quod adſtringant. Confundit enim Vir doctiſſimus auſtera, & acerba cũ acidis, neq; id ignoranter, ſed ſcienter, & data, vt aiunt, opera; quia nimirum tantam inter auſtera, acida, & acerba affinitatem adeſſe cenſet, vt acidus ſapor vix nunquam ab alijs duobus ſegregatus reperiatur, vtque propterea acida ſimul auſtera ſint, & conſequenter adſtringant. Cuius opinio abundè refellitur per ea, quæ traduntur à Galeno loco citato de oxalide, & oxilapatho, quæ tãquam merè acida Galenus ipſe prædicat, a quibus idcirco omnem adſtringendi vim abeſſe clariſſimè fatetur. Nec pariter quidquã facio, quòd per Trallianum lib. 7. c. 14. acidus ructus etiam fiat à caliditate, vt hinc colligatur haud ſemper verum eſſe acida refrigerare, cum aliquando à calida cauſa promanent. Nam, vt optimè animaduertit Siluaticus in ſuis Cõtrouerſijs, etſi ructus aciditas alicuius ventriculi coctionis, quæ a calore fit, ſignum eſt, non propterea ſequitur, aciditatẽ ſimpliciter eſſe calidam, cũ & acerbi fructus ab vlteriori coctione fiant acidi, neq; tũc tamen calidi ſint. Si ſecundum, æſtimẽt alij, an hic ſpiritus ita euidẽter valeat ad febres ardentes, ad ſtomachũ bile æſtuantem, ad ſitimq; extinguendam. Amatus Luſitanus Cent. 4. curat. 55. in qua agitur de vlce-

ribus

ribus malignis a morbo Gallico contractis, hæc verba in Scholio profert. Inter ea corrodentia medicamenta, quæ vlcerum ſordidorum putrilagines corrodunt, & abſumunt, vt oleum vitrioli, aqua fortis argentariorum, ſublimatum, & arſenici varia genera: pulueres ij a præcipitato dicti palmam obtinent. Vtitur quidem Amatus oleo vitrioli, ſed quam illi facultatem attribuat, eius verba luce clarius indicant. Idem tamen Cent. 2. cur. 27. ſcribit ſe puellæ cuidam aquas acetoſæ, & borraginis, in quibus olei vitrioli guttas tres infundi fecit, exhibuiſſe, poſt quas vermes quatuor eiecit, & ſana euaſit. Quo in loco addit huiuſmodi oleum ſic exhibitum putredini aduerſari, febrilem calorem infringere, vermes interficere, & membra roborare, ſed, vt patet, niſi cum refrigerantibus eo vtitur, quæ eius acrimoniam, quam alibi confeſſus eſt eſſe inſignẽ, obtundant; Quare nõ ad inſtar acidi citri, & ſyr. de limonibus tutò dari poſſe videtur. Ne dicã, quòd ad vermes potius enecandos, & deijciendos illud tanquam acerrimum, & ideo animalculis illis aduerſum propinauit, quibus enecatis, & excretis, febrilis calor diſparuit. Nec febris in ea puella tantopere facienda erat, quippe quæ à cruda, frigidaq; materia in inteſtinorum regione ſtabulante, & a qua vermes generantur, fomitem habebat. Niſi enim ita pro Amato dicatur, quomodo ipſum a tã manifeſta contradictione tuebimur? Nullus autem è Medicis in ſolidiori tum Medicina, tum Philoſophia verſatis liquorem hunc ita odio proſequitur, vt a Medicina ipſa ablegandum, & longè reijciendum cenſeat, quemadmodum nec alia multa è mineralibus, & vegetalibus acria valde, & feruida, ſed importunũ vſum damnat, nempe remedium valde calidum in calidis morbis, calidiſque temperaturis. Vnde antequam finis imponatur auctoritatibus, decreui hùc pariter afferre teſtimonium Valerij Cordi, qui ſcriptor eſt, præſertim in hoc ſcribendi genere, haud contemnendus. Hic ergo De artific. extractionibus proponit duplex oleum vitrioli, ponens etiã modum vtrumq; conficiendi, quorum vnum auſterum aliud verò dulce appellat, & auſterum quidem dicit duplici conſtare mixtura, videlicet multo alumine, & pauco ſulphure, & ſubiungit. Quare cùm ex auſtero oleo dulce extrahitur, nihil aliud fit, quòd ſulphur ab alumine ſegregatur. Eſt itaque dulce vitrioli oleum nihil aliud,

quàm oleum ſulphuris, aut ipſum ſulphur in liquidam ſubſtantiam redactum. Dum autem auſteri olei vires propallat, ſic ait: Merum, ac non dilutum neque debet, neque poteſt intra corpus ſumi; nam propter nimiam acrimoniam, ignis modo interanea, & quicquid attingit, adurit. Dum alterius nempe dulcis, & quod ſegregatum eſt, vires deſcribit; ita loquitur. Vires habet quaſcunq; & ſulphur, ſed omnia efficacius præſtat, quia propter liquiditatem facilius penetrat, & ad actiones properat. Forſitan ſal volatilis adhuc quid diuerſum, alij viderint, hoc equidem ſcio, quòd Medici huius ſalis amatores aliquam ei attribuunt acrimoniam, quæ caſtigatione indigeat per refrigerantia, & humectantia. Quibus auctoritatibus robur addunt, fidemq; faciunt rationes quamplures a rei natura depromptæ, quibus non difficilè probatur medicamentum hoc igneum, nedum frigidum eſſe, ideoq; vix locum habere in humano corpore in morbis frigidioribus. Dicebat poſt Dioſcoridem lib. 5. Quercetanus ipſe in Peſt. Alexic. eandem ferè eſſe chalcanthi naturam, quæ ſulphuris, quod ſimiliter ex odore, & ſapore veriſſimum eſſe colligitur. Per Auicennam verò lib. 1. tract. 2. cap. 619. ſcimus omnes ſulphur ſtatui poſſe calidum, & ſiccum in quarto. Sed, ne à liquore recedamus, de quo viget diſceptatio, quid obſecro aliud eſt huiuſmodi oleũ, quàm ſubſtantia quædam ex vitriolo per artem extracta? Vitriolum verò ipſum, è quo fit, triplici conſtat mixtura, multo alumine, modica ærugine, & pauco ſulphure; In diſtillando concedimus aſcendere tantùm vaporẽ aluminoſum, & ſulphureum, æruginoſam verò qualitatem maiori ex parte in fundo retortæ relinqui, vnde oleum aluminis, & ſulphuris, non itẽ æruginis ſaporem præſefert. An ergo refrigerandi facultatem habebit, etiam ſi vis omnis æruginis ab hoc liquore ſegregetur, ſiue auſterus fiat, ſiue dulcis? Iudicent omnes qui aluminis, & ſulphuris qualitates perſpectas habent. Quòd ſi a quibuſdam etiam magni nominis Medicis vel Italis, vel alterius nationis conceditur in calidioribus quoque morbis, in quibus tamen copioſa ſimiliter ſubſideat humiditas, vti ſunt aliquæ putridæ, & peſtilentes febres; excipiunt primò peſtilentes illas, quæ nõ tam occulta, quàm manifeſta qualitate offendunt, dico excedenti calore, ſiti magna, linguæ ariditate, & ſcabritie, deinde ſi ad nimiam putredinem exiccandã, & ab-

& abſumendam eo vtuntur , id, niſi additis quæ illius feruorem contemperent, haudquaquam tutò fieri affirmant. De cenſu horũ eſt Claudinus Medicus Bononienſis percelebris in Reſponſ. Medic. quem miror fuiſſe citatum; cum longè diuerſam habeat ſententiam; dico ſimilem prorſus noſtræ, non in olei vitrioli tantùm, ſed vtriuſque etiam magnæ antidoti vſu. Laonæus quidam Tract. de facultate, & admirabili vi Antimonij, à quibuſdam mercurij pulverem in peſte, & chalcanthum, & oleum ipſius in febre quartana, quamuis à veteribus venena appellentur, exhiberi tradit. Veruntamen ad hoc dici poteſt, quòd tum Galenus, tum alij Medici omnes in quartanarijs curandis longè a morbi principio, ad calidiora præſidia libentiſſimè deſcendunt. Quinimò dicebat Ariſtot. in Problematis, igne quartanam curari. Quercetanus quando in putridis febribus huiuſmodi liquore vtebatur, aut cum ptiſana, aut cum aqua cichorij præbebat. Hoc enim faciebat ad caſtigationẽ acrioris medicamenti. In hac mea ſententia magis confirmabimini, vbi legeritis quid de chalcantho cenſent Dioſcorides, Galenus, Oribaſius, Paulus, Aetius, Actuarius, & alij, qui non modò acrimoniam inſignem, ſed erodentem etiam, & ſepticam illi aſſignant facultatem, cuius expers an remaneat oleum, ſpiritus, aut quinta eſſentia vitreis organis magna vi ignis elicita Chymicis ipſis dijudicandum relinquo, præter Libauij teſtimonium inferius adducendum, niſi iam citata Rubei auctoritas ſufficiat. Non ob aliã quoq; cauſam Galenus noſter 7. Catat. 2. arteriacum illud medicamentum, quod in ordine decimum eſt, ad prunas adhuc non ardentes lentè decoquere ſe noluiſſe dixit, ne quid inde acre, & fumoſum acquirens, eidem acrimonia minimè neceſſaria adijceretur. Idem propterea Manardus, & hinc diſcere incipiant quanta refrigerandi vi polleant olea chalcanthi, ſulphuris, & conſimilium, in oleum Philoſophorum Meſuæi ſcribens, quod diſtillatione excipitur, tradit quòd vbi opus eſt vehementer calefacere, & ad intima vſque accedere, nulla naturalis res poteſt his oleis per hanc artem elicitis conferri, adeo vt etiam vim ignis & æquent, & ſuperent. Vnde ſubdit: Vidi enim his oculis guttam cuiuſdam olei fortuito cadentem in lectiſternia omnia, quæ multiplicia erant, momento penetraſſe, & lecti fundum, qui erat ex aſſeribus, inuſſiſſe. Scio tamẽ

iam dictum Andernacum, & alios, qui illius doctrinæ adhærent, ſcriptis mandaſſe oleum dulce vitrioli valere non modò ad peſtilentes,ſed etiam ardentes febres,item ad ſitim,& ſtomachum bile æſtuantem,vt hinc, veluti ex aciditate eiuſdem, ſic enim acrimoniam vocant, nonnulliſque argutiunculis alij colligant frigidum omnino eſſe, nec ex igne vllam ipſi vim calefactoriam adiungi; aut impertiri, ita vt in febribus, temperamentis calidioribus, & ſiccioribus,media æſtate,etiam furente Canicula,non minori cum vtilitate exhibeatur,quàm ſyrupi de acido citri, de ſucco limonũ, de omphacio,& oxalide. Ad quæ omnia reſponſio hæc pro tempore ſit. Quod ipſi acidum prædicant,nos contra acre vocamus, & vt illud frigidum, ita hoc impensè calidum,ac ferè igneum eſt; ſi Galeno credimus 4. De ſimplicium medicamentorum facultatibus. Si in ſenſu decipimur,quid erit in alijs? Expendatur hoc itaq; diligenter,& accuratè a natura rei, & cuinam magis oblæſum ſit palatum facilè diſcernetur. Colligo ex Galeno loco citato, ab initio cap. 18. mordax, & acre confundi,& viciſſim vſurpari,quinimò mordicationem communem eſſe tribus iſtis ſaporibus,acido, amaro, & acri. Quò forſitan reſpexit Cornelius Celſus lib. 2. c. 22. dum affirmat omnia acida eſſe acria, & itidem auſtera, & ante ipſum Dioſcorides,qui,vt notat Gal. 11. eiuſdem operis cap. De pingued. & adipe,pro acri,adſtringente vſus eſt. Inſuper idem Gal. 5. De loc. aff. 5. Quippe,ait,ſiue acria,ſiue acida,ſiue acerba,ſiue ſalſa deuoraret, aut vellicationem, aut adſtrictionem ſentiebat. Vbi Gal. vellicationem,ſeu mordicationem acribus,acidis,& ſalſis manifeſtè aſſignat,vt acerbis adſtrictionem. Quare per Galenũ acre duobus modis accipi poteſt,primo minus propriè, & amplo quodam ſignificatu pro mordaci, ſeu vellicante; ſecundo magis propriè, & anguſtiore ſignificatu pro multum mordaci, ac quaſi rodente. Priori modo poteſt acre etiam de rebus frigidis pronunciari, vt acre acidum, qualis eſt citrij, limonis, & granatorum acidorũ ſuccus. Secundo modo acre ſumptum calidis ſemper conuenit. Ideo lib. 1. adducti operis cap. 37. Sed quæ mordicant, inquit, & rodunt magna cum caliditate, acria vocãtur; ſin hæc abſit acida. Iam ergo audiuiſtis cum multos dicentes hoc oleum valde acre, & valde feruidum eſſe, tum præſertim Cardanum affirmantem ita

guſtum

guſtum ferire,ac ſi ignitum eſſet ferrum, vt de ſapore acri propriè ſumpto abſq; vllo dubio intelligant. Demus tamen nos oleum vitrioli dulce,& quo ipſi vtuntur,non tam acriter linguam pungere, & ferire, quàm faciat candens ferrum, dummodò concedant nobis neque hinc eſſe concludendum huiuſmodi oleum ſapore verè acri,& facultate calida inſigni carere, quia magis, & minus rem differre minimè faciunt. Nō inuitus autē & ego conceſſerim modicum liquoris chalcanthini copioſæ aquæ, aut multo iuſculo immiſtum ſenſum guſtus non adeò acriter pungere, quemadmodum & acetum,quātumuis acre,ſi frangatur multa aqua affuſa,acidiuſculum potius iudicabitur. Diluitur enim à copioſo humore inſipido, ac valde retunditur vis illa mordax, & acrimonia inſignis. Aqua tamen illa, & illud iuſculum virtutem retinent vnà admiſti medicamēti, dico impensè calefaciendi, & exiccādi. Audite quęſo Ioannem Coſtęum Medicum,& Philoſophum eminentiſſimum, & quo olim Bononiæ præceptore vſus ſum Tract. de Potu in Morbis lib. 1. cap. 21. Aquarum autem acidus ſapor non à bitumine, aut ſulphure,aut hydrargyro eſt, ſed vel ab alumine, & hæ magis aſtringenti,quàm acido ſunt ſapore,vel ab ære,alijſq; cum illo repertis ſuccis,atque excrementis: quę acria omnia cum ſint,quę illius acrimoniæ leuiter participes aquæ ſunt, acidum referūt ſaporem. An putāmus huiuſmodi aquas ex acri, & omnino calida minera prodeuntes, quòd acidiuſculum præſeferāt ſaporem, tanquā frigefaciētes tutò,& cum ratione propinari a nobis poſſe? Si molem iuris,vel aquæ reſpiciamus, inferior erit chalcāthinus liquor, cum aliquot ſolùm eius guttulæ præbeantur, ſed ſi virtutem, vtiq; ſuperior eſt,quia licet paruæ molis,maximæ tamen eſt actiuitatis. Quod verò ſitim extinguat, in primis ſtandum eſt experimento; quo etiam pro vero ſuppoſito, diligenter animaduertendum, an id ex ſui natura,& per ſe faciat,an verò per aliud,& ex accidenti. Per ſe ſiquidem oleum chalcanthi quantumuis dulce confectum, & quouis modo à Spagyricis præparatum nunquam crediderim poſſe ſitim a calido,& ſicco ſubortam reuera extinguere, alijs tamen commiſtum, & præſertim frigidioribus liquoribus, & aquæ potiſſimùm id libenter conceſſerim, quatenus ſuarum partium tenuitate in cauſa eſt, vt aqua propria ſubſtantia craſſa facilius, &

citius intimiores partes calefactas, & exiccatas ſubeat, refrigeret,atque humectet,ea prorſus ratione,qua quotidie videmus multò celerius ſedare ſitim aquam, cui modicum vini albi tenuis admiſtum ſit,quàm pura,& ſimplex. Ita Practici quidam, qui ab huiuſmodi olei vſu non abhorrent, illius guttas quaſdam cum aquis refrigerantibus,præſertim hordei, plantaginis, & conſimilium, addito etiam ſyrupo violaceo,ad ſitim compeſcendam vel in febribus propinant, licet per me in febribus vehementibus id valde tutius fiat rebus verè acidis vnà cum ſtillatitijs aquis frigidis. Sitis præterea non vnam tantummodò cauſam ſemper habet, ideo quandoque etiam ab hoc oleo ſolo miteſcere poſſe non pertinaciter denegandum. Compatitur enim interdum ventriculus, & os eius caliditati,& ſiccitati vicinarum partium, præſertim verò pulmonis,& hepatis. Huic autem oleo iam clarè ineſt adſtringendi facultas, ex hac fortè ori eiuſdem ventriculi robur maius accedit, quo minus tam facilè noxam aliunde communicatam ſuſcipiat, ſicque humiditas eius opitulante natura melius conſeruatur; Non rarò quoque ſitis a ſalſa pituita tunicis ventriculi, & ori ipſius imbibita enaſcitur, quam quidem chalcanthi liquor, attenuando, ac diſſipando huiuſmodi materiam, varias enim,& inter ſe parum conſonas huic diuino oleo adſcribunt dotes, atque virtutes, aliqua ex parte inhibere poſſe videtur. Inſuper ſcimus omnes ad ſitim ſedandam neceſſarium eſſe, vt frigida, & humida adhibeantur,non potentia tantùm,ſed actu ſimiliter, ideoq: veluti aqua calida actu,quæ virtute frigida,& humida eſt,ſitim nihilominus manifeſtè adauget,ſic forſitan vice verſa actualis frigiditas, & humiditas huius liquoris per modicum temporis interuallum ſitim quoquo pacto mitiorem reddit, non aliter etiam, ac vinum generoſum potentia omnino calidum, & ſiccum præſentem ſitim abigere quandoque obſeruatur. Verùm Domini an ex his ſtatuere aliquis cum ratione poſſit, hunc ipſum, de quo loquimur, liquorẽ inter refrigerantia eſſe collocandum, vnuſquiſque etiam ruditer in Medicina,& Philoſophia verſatus determinare poterit. Ad id autem quod aſſeritur ex Galeno, metalla quò magis comburuntur,eò mitiora,& minus acria reddi, reſpondetur primùm id non ſimpliciter, & abſolutè ſcribi à Galeno, qui etiã viſus eſt quibuſdã

hac

hac in re ſibi parum conſtare. Nam 3. Meth. cap. 6. æruginem, miſy, chalcitim vri affirmat, vt mitiora fiant medicamenta, ſed vndecimo Simpl. cap. 51. de Sale verba faciens, aliter ſtatuere videtur; Sales vſti, inquit, digerunt quidem magis, quàm non vſti, quanto ſcilicet ſubtilius ipſum corpus accepta ab igne facultate redditur, velut & in alijs, quæ combuſta ſunt, euenire diximus. Verùm non perinde ac ij, qui non ſunt vſti, ſolidam ipſam ſubſtantiam contrahere, conſtringereque poſſunt. Vbi Galenus tradit vſta amittere vim adſtringendi, aquirere tamen vim diſcutiendi, quam conſtat in calore contineri. Ita videmus cineres omnes ex quacunque ſint materia, digerentem ſimul, ac detergentem habere facultatem. Quam controuerſiam dirimit Galenus ipſe in procemio lib. 9. Simpl. & ex eo Valleſius lib. 9. ſuarum Controuer. cap. 9. ita vt ambo velint acria omnia multum caloris amittere. Idcirco ad rem noſtram redeundo dicatur ex mente Galeni, vſta, quæcunque illa ſint, non poſſe euadere prorſus frigida, quoniam licet terrea ſint, vnà tamen permiſtas habent partes quaſdam igneas, vt in cineribus apparet, qui terream quidem ſortiti ſunt naturam, ſed calorificæ qualitatis penitus expertes non ſunt, vt patet ex acrimonia, quam deponunt in lixiuium. Idipſum paſſim empyreuma vocatur, quod per vſtionem nullo pacto amittitur, imò ſemper augetur. Vnde ablutione tantùm deponitur, ſicque cineres, ex quibus factum lixiuium, euidentiſſimè frigidi euadunt. Valleſius loco citato ad extremum hæc profert verba. Tamen hæc ſi ipſa prorſus deſiccantia ſine calfactu facere ſtudes, vſtione nunquam perficies, lauatione poſt vſtionem perficies. Sed hæc ad corpus chalcanthi magis facere videntur, quàm ad genus ſalis volatile, de quo diſſeritur. Inſuper ex Galeni præmiſſa doctrina tantum abeſt, vt quidquam aduerſus noſtram aſſertionem concludatur, vt facilè, & manifeſtè conuellatur opinio exiſtimantium oleum vitrioli de numero eſſe refrigerantium. Nam quæ vruntur acria, ideo minus calida, & mitiora euadunt, quòd ab igne calidiores eorum partes abſumuntur, dum eas videlicet à craſſiori materia, cui inhærent, ſeparat, diſgregat,

& in

& in halitum reſoluit, ſed in chalcanthi ſublimatione, aluminis, & ſulphuris, ſi non item æruginis, vt ſupra dicebam, ſales volatiles partes ſunt, nemine diſcrepante, tenuiores, &, ni fallor ego, etiam præcalidæ (appellent quantumlibet aereas, & aqueas) eiuſdem chalcanthi, quæ vi ignis a corpore illius abſtractæ, & in ſublime, dico ad ſummitaten alembici, expirãtes, non inde euolant, aut ad nihilum rediguntur; ſed in liquidiorem ſubſtantiam in illo vaſe, vt vapores in cerebro in generatione Catarrhi acris, & ſalſi, conuerſæ ad vſum excipiuntur. Quomodo autem ita genitus liquor frigida qualitate ſtrenuè febrile incendium contemperet, ego certè, qui ne de limine quidem Spagyricorum placita ſalutaui, percipere haudquaquam valeo, vt nec illud ſecretioris Philoſophiæ arcanum, quòd cum ignis agat in corpus, & mixtum chalcanthi, ſubtiliores eius, & calidiores partes intactas in fixo illo, & ſicco, vt vocant, ſale, omnino relinquat, cùm magis trita Philoſophia contrarium doceat, cui Galenus in iam adductis locis clariſſimè fauet. Probabilius forſitan, ſed in hoc vereor ne ſus Mineruã, cum Spagyricis, & Chymicis dictum eſſet, igneas partes rei, quæ ſublimatur, tanquam leuiſſimas omnium in ſpiritus reſolui, abſumiq; incontinenter vnà cum aereis, & quæ colliguntur eſſe potius aqueas. Attamen, Domini, an aqua iſta nomine magis, quàm re, vi refrigerandi polleat, eligatur pro iudice ſenſus, per quem pariter docemur, quòd, etiam dato quòd chalcanthinus liquor ab igne in ſublimatione calidior non euadat chalcantho ipſo, non propterea tãquam frigidus propinari debet, quia ſcilicet valde acris eſt, &, quocunq; modo præparetur, ſemper calidus, prout acre, ac ferè igneum eſt corpus, vnde extrahitur. Quare doctiſſimus Libauius lib. 2. epiſt. 52. poſtquam demonſtrauit mutationes per hãc artẽ factas ſimiles potius eſſe alterationi, quàm veræ mutationi, quæ fit ab vna ad aliam ſubſtantiam, concludit fieri poſſe extractionem purioris ſubſtantiæ, remanente temperie, cuius quidem remanentis temperiei certiſſimum indicium, & ſignum eſſe ſcribit odorem, & ſaporem extractæ eſſentiæ, quæ proximum eſt temperiei ſubiectum, apud eundem Libauium lib. 4. cap. 8. par. 1. Com. in Alch. Quòd verò aſſerunt nõ eſſe nouum etiam impensè frigida acrem, & rei veluti adurẽtis ſenſum inducere, partium videlicet tenuitate,

tate, id quod exẽplo potiſſimùm ſucci limonis, a quo pars aquea fuerit ſegregata, & aceto ſe ſatis comprobare exiſtimant, nihil pro ipſis, nihil contra nos. Nam quoad ſuccum limonis, quantum ex ſui natura, cuiuis noſtri corporis particulæ inſtillatum, illud in ea poſſe præſtare, quod chalcãthi liquor, primùm omnino negamus, nec rationibus altercandum, quia imbecillitas foret intellectus ſenſum ob rationem dimittere, deinde ſi ab illo ſucco pars aquea vi ignis ſeparetur, eademmet ignis virtute dicimus aliquam ſucco ipſi communicari acrimoniam, a qua triſtis, ac mordax ſenſatio calorifica emergat, ſed nec eam, ſeu tantam, quæ cum liquore chalcanthi viribus contendere poſſit. Acetum autem vbiq; a Medicis omnibus, atque Philoſophis, præſertim à Dioſcoride, & Galeno non vnum, & ſimplex, ſed miſtæ ſubſtantiæ eſſe dicitur, nempe frigidæ pariter, & calidæ, ita tamen vt calidam frigida exuperet, licet in aceto valde acri oppoſitum aſſeri poſſe videatur. Cuius quidem liquoris quæquæ ſit caliditas partium tenuitati adiuncta in cauſa eſt, vt particula, cui admouetur, pruriat, incaleſcat, ac rubefiat. Vnde lectum eſt apud Gal. 8. Catat. Archigenem in curanda cardialgia, pro auertendis humoribus à ventriculo, ſolitum fuiſſe ſupra genua adhibere ſpongias acerrimo prius aceto imbutas, vt bullas excitarent, prout hodie à nobis fit veſicantibus. Idem Gal. 2. eiuſdem operis 1. in Apollonij medicamentis arguit aut potius corrigit Apollonium ipſum vtentem aceto acerrimo, quod idcirco aduerſum eſſe ſcribit, quia calidum eſt. Id ipſum propterea dico, vt vnuſquiſq; iudicet an acetum effectus illos pariat vt frigidum, ac ex ſola propriarum partium tenuitate, an verò potius, vt non undequaq; frigidum, ſed ſimul etiam calidum. Quod in iſchuria præbeatur cãtharis, quod aquæ nonnullæ chalcanthinę per os propinentur, miror hinc deduci, liquorem chalcanthi in morbis impensè calidis, tutò, & abſq; ulla prorſus læſione præberi poſſe. Nam quantum ad exhibitionem cantharidis in iſchuria, aut ſuppreſſione urinæ, ad quam ſimiliter hunc, de quo ſermo, liquorem cum diureticis haud inutilem eſſe experimento conſtat, dici cum Celſo poteſt: Multa fieri in pręcipiti periculo aliàs omittenda. Vnde etiamſi in uijs urinarijs excoriatio ab illo animali fieret, indeq; ſanguis erumperet, ſatius ſemper eſt habitũ

cum

cum eodem Latino Hippocrate; Anceps experiri remediũ, quàm nullum, quia ſcilicet Melior eſt læſio, quàm mors. Ad ſecundum dicatur, ſi quæ aquæ chalcanthinæ, aut alterius conſimilis mineræ participes à Medicis exhibentur, id fieri euacuationis etiam, non alterationis tantùm nomine; mirabiliter enim detergunt, & vix in corpore morantur, cum in magna præbeantur copia; vt ſileã quòd eiuſmodi aquæ moderatam in ſe continent caliditatem, vtpote ab aquea humiditate retuſam, nec vlla ex igne addita eſt vis calorifica, præterquàm quòd a Medicis celebrioris notæ vſurpantur in morbis, & naturis frigidis potius, & humidis, quàm in calidis, & ſiccis, & nullo vnquam pacto in febribus etiam leuioribus, nedum vehementioribus, cuiuſmodi ſunt malignæ quædam, ac peſtilentes, in quibus liquorem hunc tanquam non ſolùm exſiccantem, ſed impensè refrigerantem quidam è Medicis tãtopere celebrãt. Relinquo experimenta quæ opponuntur, vti dubia, incerta, atque fallacia. Et dato etiam, quòd aliquibus hoc præſidium, hoc medicamentum proficuum fuerit, non hinc tamen concludendum cunctis prorſus conuenire, & vndequaque a Medicis amplectendum eſſe. Scribit enim Gal. 3. Aphor. Com. 11. Etiam ſi expertus fuerit ſex, vel ſeptem homines aliqua medicina purgatos, dicere certè non poterit, quòd omnes poſt hac homines ex neceſſitate purgabuntur. Ne dicam quòd plures ego noui, qui ab huiuſmodi medicamenti vſu ſe maximopere læſos eſſe teſtantur. Vnde eſt quòd Medici, qui in Vrbe multi ſunt, ſeu doctrina, ſeu longo medendi vſu inſignes, doctiſſimiſq; præceptoribus vſi Petronio, Ginnaſio, Bargæo, & alijs, ferè omnes eandem prorſus cum mea habẽt ſententiam, in qua pariter fuiſſe recordor Bononiæ Viros præclariſſimos, ſub quorum diſciplina in adoleſcentia militaui, Ioannem Coſtæum, Felicem Caſtellium, Vincislaum Lazarum, Aeneam Vizanium, Gaſparem Taliacotium, Flaminium Rotam, ac Iulium Cæſarem Claudinum, necnon denique Medicos Vrbis Venetæ, in qua per decennium Artem exercui, & in qua Medici omni ſcientiarum genere inſtructiſſimi reperiuntur, quippe qui à nobiliſſima illa Patauina Academia prodierunt. Si qui tandem diffuſius noſſe cupit, quàm pernicioſus ſit horum oleorum, horumue ſpirituum, ex intima illa, & abdita, vtpote fumis, & carbonibus denigrata,

(Quidni,

(Quidni,ſi à Cacodæmone ortum duxit?)Paracelſi Philoſophia prodeuntium abuſus, in calidioribus affectionibus,præſertim in febribus malignis, peſtilentibus, & quibuſcunq; putridis calidioribus, cuiuſmodi fuere febres in Epidemia, ſic enim vocare libet, Excellentiſs. Domus Caetanorũ,cui ipſe præerã; legat Io: Baptiſtã Siluaticum Mediolanen. in Ticinenſi Schola celeberrima Medicinæ Doctorem Controuerſia 48. in qua quæritur. An in febre peſtilenti oleo chalcanthi vti liceat, nec ne; Et vos interim moneo, vt ea ad vſum deligatis remedia, quorum maiores noſtri tulerunt pericula,& hæc nouatorum inuenta, vbi non vndiq; ſunt ab omnibus approbata,fugiatis, memoria habentes sẽper haud eſſe periclitandum in re minimè neceſſaria, cum præcipuè Ars medica infinitis abundet medicamentis contra febres illas,cæteroſq;morbos;quæ tutò, ac ſine vllo diſcrimine manifeſtè prodeſſe certo, & longo experimento didicimus.Dicebat ſiquidem Galenus 1. Aph. 1.In corpore humano ea tentare,quæ non ſunt experientia comprobata, periculo non vacat:cum temerariæ experientiæ finis ſit totius animantis internecio. Plinius lib.29.c.1.de hoc quoque aduerſus Medicos conquerebatur, quòd experimenta per mortes agerent. Sciant nouatores iſti ad hæc experimenta deueniendũ non eſſe,niſi in magna auxiliorum penuria,auctore Gal.10.Simpl. cap. 1. Vbi Xenocratem increpat, qui multa periculoſa experimẽta literis mandauerat. Ad Epilepſiam verò in craſtina reuertar.

De eadem curatione in Pueris natu grandioribus; Et an tuſsis poſsit eſſe peculiare ſymptoma lumbricorum.
Lect. XXXVII.

DIGRESSIO in abuſum olei chalcanthi, & ſulphuris facta eſt in præcedenti, vt conſtet cum Vobis, tum alijs Medicos, qui ab huiuſmodi liquoris vſu in febribus, calidiſq; tum morbis,tum naturis, ac anni tempore æſtiuo abſtinent, atq; abhorrent, ad id non temerè adduci, & vt ſolùm ab alijs peruicaciter diſſentiant; abſit, præcipueq; in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur; ſed vt etiam ipſi

pu-

publico, quod vocant, bono conſulant, & quiuis hinc inde auditis partibus ad inuicem diſcrepantibus, rectum ab obliquo facilius in propriam vtilitatem diſcernere, ac iudicare valeat. Vnum pariter adnotandum obiter, & cataparergon, quòd inter ſigna Epilepſiæ a lumbricis prouenientis, inanem, & aridam tuſſim connumeraui, idq; de ſententia omnium ferè Practicantium, qui ſymptoma hoc in pueris a lumbricis infeſtatis obſeruarunt; quod ſignum ſimiliter apud mulieres adeo efficax eſt, vt aliquæ hoc tantummodò apparente, illico ad remedia aduerſus illa animalia confugiant. Galenus tamen 6. Epid. ſect. 2. Com. 17. & 42. oppoſitam penitus habet ſententiam, apertiſſimè negans vllam inde poſſe tuſſim excitari, ac; promoueri, addens eos, qui hoc aſſerunt, id non poſſe aut ratione, aut experimento comprobare. Ratio certè videtur ſtare pro Galeno, quia impoſſibile videtur eſſe quòd lumbrici poſſint excitare tuſſim, cum hi in partibus naturalibus, non ſpiritalibus detineantur. Vtrùm verò etiam in pectore, atq. pulmonibus ipſis gigni poſſint vermes, a quibus tuſſis fiat, vt inter Arabes putauit Alzarauius, alibi erit diſcutiendum. Nunc etenim ſermo eſt de lumbricis inteſtinorum. Quare ſi tuſſis aliquando adeſt, fieri poteſt, vt cum vermibus coniungatur diſtillatio, vel aliqua alia cauſa ad promouendam tuſſim idonea, quæ illis incognita fuit in cauſa, vt crederent hanc tuſſim a vermibus pendere; Quòd ſi à lumbricis deprauatum tuſſis motum quiſpiam fieri contendat, quando id veteres, ac recentiores Medici conſtanter affirmant, dixerim ego hoc prouenire, quia dum ſurſum lumbrici repunt, aut præcordia compungunt, aut halitus acriores eorum agitatione eleuantur; & vtroque modo inanem tuſſiculam excitare valent per mediam gulam, quæ continuitatem cum inteſtinis habet, & coniuncta eſt tracheæ, quam ideo in conſenſum trahit. Ita aliqui probant cibos nimium adſtringentes, nimium acerbos, & acres, dum in ſtomachum per œſophagum feruntur, communicare qualitates proprias ipſiſmet vijs ſpiritalibus, atq; ita tuſſim generare. Vt verò ſermo noſter redeat, vnde diuerterat, quãdo in chymica remedia incidi, quæ profectò ſi cum methodo, & ex rei, quã vocant, natura adhibeãtur, multùm cõferre ſolẽt ad ſalutem adipiſcendam, proponam vobis oleum reuera admirandum,

dum, & nulli ſecundum, quo non ſolùm vermes facilè necantur, ſed etiam vulnera quamuis magna, & profunda quamprimum glutinantur. Eſt autem huiuſmodi: Rec. myrrhæ electæ vnc. vj. maſtiches vnc. viij. aloes hepaticæ vnc. 18. ſalis communis lib. j. Contuſa omnia per retortam lento igne diſtillentur, exibit primùm aqua, mox oleum, quo quidem non ſolùm exterius admoto, ſed etiam abſente febre, ad aliquot guttulas per os exhibito, tutò, ac nemine penitus diſſentiente, vti licet. Aliquando autem prȩter vermes, ſeu lumbricos, ab alijs quoq; cauſis, & per conſenſum, aut vẽtriculi, aut alterius determinatæ particulæ in Epilepſiam pueri incurrunt, nulla primariò exiſtente in cerebro læſione, quorum curatio facienda omnino erit prout infrà, cùm de curatione Epilepſiæ per conſenſum verba fient. Tunc caueatis prorſus à cauterio occipitis, & inuſtione cuiuſcunq; partis capitis, quoniam hoc eſſet potius humores, & vapores ad cerebrum allicere, quàm illud ipſum euacuare. Vt enim mirificè conducit Epilepſiæ per idiopathiam, ſic vice verſa magnopere obeſt Epilepſiæ per ſympathiã, ſeu ventriculi, ſeu aliarum partium infernarum. Hæc diligenter, & accuratè perpẽdẽda non in pueris ſolùm, ſed in alijs omnibus, & mulieribus maximè, quæ ex vtero, dum eo gerunt, frequenter in hoc ſymptoma incidunt. Statim ſiquidem Medici quidam ad pauca ſemper reſpicientes, vbi conuulſiones, & motus Epilepticos vident, ad cauteria occipitis, & ſincipitis confugiunt, alijs magis præſentaneis auxilijs ferè neglectis, ac prætermiſſis, neſciẽtes tunc optimum eſſe extra partem vapores omni nixu deriuare, & cauteria locum habere magis in partibus ſubiectis, a quibus huiuſmodi vapores aſcendunt; partem verò ipſam, nempe caput extrinſecis ſaltem ita corroborare, vt tranſmiſſum malum neutiquam admittat, hinc oxyrhodino aliquo caput perfunditur, aut eidem puluis inſpergitur, de quibus ſuo loco. Quod negotium faceſſit eſt Epilepſia in pueris oborta ex primaria cerebri affectione, & vitio propriæ capitis intemperaturæ humidioris, quam à prima conſtitutione in vtero contraxere, & prauo deinde lacte veſcentes, ac alia errata, vbi iam ſunt ablactati, in victus regimine committentes, vehementer auxerunt. Hi etenim pueri non ſolùm affectui Epileptico quàm maximè ſunt expoſiti, quia videlicet eorum

cere-

cerebrum valde eſt excrementoſum, vt notauit Galenus Com. 4. in 6.Epid.ſed etiam difficulter admodum ſanantur; nec audiendi ſunt Medici illi,qui curationem contemnunt; quòd ſpes ſit mutatione ætatis pueros illos conualituros;quam quidem ætatis,& annorum mutationem,cum ſit ab humidiori ad ſicciorem temperiẽ; ſæpè prodeſſe non negamus,ſed eam etiam ſolam non ſufficere, & propterea remedijs quoque medicis aduerſus morbum incipientem, & ſcheticũ potius, quàm hecticum pugnandum a nobis eſſe, quotidiana docet experientia. Quamobrem ſi offeratur vobis Epilepticus in puerili ætate conſtitutus annorum ſex, vel octo, vel decem,& in ſumma adhuc intra pubertatis annos exiſtens,qui à primis infantiæ annis,ſi non ab initio ſui ortus,comitiale malum patiatur per frequentes,ac longiores acceſſiones, quæ vt plurimum quoque Lunæ motus, vel quadras inſequantur: Scribit enim Villanouan.tract. de Epilepſia;frequentius Epilepticos affligi in conformi quadra,in diſſimili rarius,licet hoc reclamare videatur Ariſtot.ſententiæ ſuperius allatæ,in plenilunio calorem,& humorem eſſe maiorem, fieriq; proinde vt humores, & medullæ animalium ſint copioſiores; nec non ſi per anni tempora varia commoueantur,præſertim verno, ac multò magis autumnali conſtitutione, in qua ob inæqualitatem aeris meridiani calidioris,matutini, ac veſpertini frigidioris, morbi capitis potiſſimùm irritantur, vt elicitur ex 5. Aphoriſ. 22. ſcitote non eſſe procraſtinandam curationem, ſed ſtatim tempore veris, quod eſt omnium purgationibus, alijſue præſidijs opportuniſſimũ,huiuſmodi Epilepticum percurandũ hac ratione; Primùm ergo lenienda à vobis erit aluus per clyſterem in hunc modum: Rec. flor. chamæmeli m.j.rutæ, centaurij minoris,mercurialis ana m.ſ.ſeminum aniſor.cymini an.vnc.ſ. fiat decoctio. Rec. dictæ decoct. vnc. x. mell.roſ.ſol. vnc.ij.diaphœn. drac.iij. olei rutacei vnc. iij. m. Quod ſi clyſteris loco medicamentum propinare magis velitis, ita paretur; R. ſpecierum hieræ ſ. drac. ij.ſ.cum melle roſ.ſol.fiat bolus. Si non in bolo,ſed in forma, vt aiunt,liquida patiens medicamen aſſumere maluerit, exhibeatis mel roſaceum ſolutiuum pondere trium vnc. in decocto facto radicum,& ſeminum pæoniæ. Poſtmodum præſcribatis alterantia, & noxiam in capite,& venis materiam coquẽtia, ac præparantia,

acci-

accipiendo ſyr. de betonica, de ſtœchade, oxymel. an.vnc.ſ.decocti hyſſopi, radicum, ſeminumq; pæoniæ vnc.iij.m. Interim verò dum hi ſyrupi ſumuntur, & ſanguis per venam ſectam auferri per tenellam ætatem, & corporis habitum diſſipabilem non licet, cucurbitulas dorſo ſcarificatas applicabitis, & natu maioribus ſanguiſugas hæmorrhoidibus, non omiſſa ſimiliter ſcarificatione malleolorum. Ab aſſumptis huiuſmodi ſyrupis, poſt quinq; nimirũ dies, iterum detur hiera doſi adaucta ad drac. iij. Poſt quam rurſus accipiatis ſyrupos præaſſumptos, quibus ſi addatur oxymel ſcillinum ſ. maioris erunt efficaciæ, nec ita ab eo timendum pueris, vt vulgus Medicorum autumat; Hoc eodem tempore omne genus reuulſionis, a partibus ſupernis ad infernas trãſeundo, adminiſtretur, per frictiones, necnon per ligaturas, & cucurbitulas partibus extremis adhibitas, ſed potiſſimùm per enemata, ac ſuppoſitoria acriora; Tandem apparatis humoribus medicamentum validius propinandum erit; nam in affectu, qui iam per annos altius radices egit, veriſimile eſt materiam eſſe rebellem, & contumacem; quæ propterea blandioribus medicamentis nõ ita facilè obediet. Vnde etiam repetita cum præparatione, tum purgatione opus eſt. Ideo præſcribatis agar: troch. (quòd medicamentum hoc in malo eſt valde præſtans, quia pituitam, alioſq; humores euacuat, & cũ cerebrum, tum neruos exiccat) drac. j. ſ. mellis roſ. ſolutiui vnc. iij. cum decoctione prædicta fiat potus. Quinimò neq; hîc finis eſſe debet præparantibus, atq; purgantibus; ſed adhuc deſcendere oportet ad valentiora. Accipiatis itaq; ſyrupi de betonica compoſiti, de ſtœchade ana vnc. j. ſ. oxymelitis ſcillitici drac. iij. Decoctionis ſtœchadis, hyſſopi, radicum, & ſeminum pæoniæ vnc. iij.m. Pro purgante ad pilulas deueniatis vel cochias, vel fætidas, vel aſſaieret, vel de hermodactilis, aut ad hoc quod recipit Diaphen. drac. j. ſ. hieræ diacolocynth. drac. ij. mellis roſ. ſol. vnc. ij. Decoct. prædictę q. ſ. fiat potio. Corpore vndiq; expurgato, mox ad particularẽ quoque capitis purgationem deueniendum, quæ per errhina, maſticatoria, & gargariſmata præſtari a nobis ſolet, quæ cuiuſmodi eſſe debeant, iam ſæpius ſupra cùm de Lethargo, & paralyſi ſermo fiebat, abundè intellexiſtis, & infra pariter dicetur. Quibus per actis remanet poſtrema indicatio, in qua ſumma curationis omni-

no conſiſtit, nimirum vt excrementorum reliquiæ in cerebro contentæ diſſipentur, & humidior eius intemperies emendetur, ne in poſterum humores pituitoſi tam facilè accumulentur. Idcirco interius ſumat patiẽs ſingulo mane drac.ij. conſeruæ quæ ita ſe habet Rec. conſeruæ anthos, betonicæ, ſaluiæ an. vnc.j. ſtœchados vnc.ſ. cum ſyrupo de hyſſopo m. Aliquando placet vſus diacori, quemadmodum & electuarij ſequentis. Rec. radicum pæoniæ decoctarum vnc.j. ſemin. pæoniæ, cranij humani vſti, caſtorei electi ana drac. j. cum ſyrupo de betonica m. & ſumatur drac. j. Parantur rotulæ valde probatæ hunc in modum: Rec. ſpecier. diacymini, cornu cerui vſti, raſuræ eboris, ſem. pæoniæ ana drac. 5. ſacchari fini vnc.iij. cum aqua vel pæoniæ, vel è floribus tiliæ diſtillata fiat confectio in rotulis. Commendatur deniq; mellis ſcillitici drac.j. manè ante exercitationem per dies quadraginta. Hæc omnia viciſſim ſunt vſurpanda in morbo diuturno, & in quo ægrotãtes frequenti indigent medicatione; quia vni tantum medicamento natura temporis progreſſu ita aſſueſcit, vt eius vim ſpernat, atq; contemnat. Quod non ſolùm in alterantibus, & corroborantibus; verùm eſſe ſcimus, ſed etiam in purgantibus, & catharticis, quorum varia quoque, & multiplex debet eſſe forma, ne conſuetudine corpori reddita familiaria nihil, aut parum efficiant. Theophraſtus enim lib. 9. Hiſt. plant. cap. 18. ita ſcribit. Omnium verò medicamentorum vires debiliores in aſſuetis deprehenduntur. In nonnullis etiam omnino inertes. Quidam enim tantum hellebori conſueuerunt edere, vt manipulos integros vorent, nihilq; afficiantur. Id ipſum autem multis confirmat hiſtorijs, addens poſt modum: Quòd verò conſuetudo ad illud efficiendum plurimum valeat, rationibus conſtat. Nam pecora huius regionis abſynthium comedere recuſant: Pontica verò comeſto pinguiora redduntur, & vt quidam arbitrãtur ſine felle. Exterius bregma inungi poteſt oleo rutaceo, oleo philoſophorum, de euphorbio, & ſimilibus. Fotus cum ſpongia extolluntur, ea videlicet madefacta in decoctione folior. betonicæ, maioranæ, hyſſopi, ſtœchadis, radicis iridis, pæoniæ, caryophyllorum, & aniſorum. Sunt qui parant puluerem pro cucupha accipiendo radicum ireos, pæoniæ, cyperi ana vnc. ſ. ſeminum pæoniæ, caluariæ humanæ ana drac. ij. macis, nucis moſcatæ,

ana drac.j.ſ. flor. chamæmeli m. ſ. miſ. Emplaſtrum de betonica, mirificè deſiccat, & roborat cerebrum. Stillicidiũ ex aquis thermalibus reſoluentibus, & corroborantibus non infimum locum habet in hac perficienda intẽtione. Talis vbiq; prædicata eſt Duccia S. Philippi apud S. Caſſianum. Corona ex radice pæoniæ collo appenſa non improbanda, quia pæonia citra vehementem calfactionem reſiccat, Galeno auctore 6. Simpl. ſed multò magis laudo poſt hæc omnia perſeuerante malo, cauterium, ſiue ſetonem in occipitio, propter iam allatas rationes. Cibus deniq; euchymus ſit, non vaporoſus, non copioſus, ſed tenuis, & extenuans ſimul, præſertim quia hi pueri ſolent eſſe multum edaces, & helluones, fortaſſe quia viuidioris ingenij, & ſenſus admodum exacti, & exquiſiti. Vinum denegetur, aut moderatè concedatur, & niſi aqua aliqua medicata optimè caſtigatum, & omnino oligophoron; Et hæc de Pueris ſufficiant.

De curatione Paroxyſmi Epileptici in omnibus. *Lect.* XXXVIII.

DICTVM ſatis de Epilepſiæ curatione in Pueris, tam qui etiamnum lacte veſcuntur, quàm qui ablacti ſunt, & grandioris æui, alimento ſolidiori vtentes. Nunc de curatione eiuſdem in vniuerſum agendum eſt; prout ſcilicet maioribus, & minoribus, viris, & mulieribus, idq; ſeu per eſſentiam in capite, ſeu per conſenſum reliquarum corporis partium, fieri, & generari ſolet. Sic enim integram, & abſolutam habebitis comitialis morbi Therapiam. Curatio itaq; Epilepſiæ, vt ex Paulo, Aetio, & alijs colligitur, duplex erit, vna ad affectum dirigenda, altera ad ſymptoma, cùm acceſſio diuturnior eſt, aut vehementior. Prima tamen præſeruatio potius vocãda eſſe videtur, ſecunda curatio; illius officium eſt, cauſam, quæ morbum factura eſt, adimere, vt ait Gal. 2. Meth. huius morbum iam præſentem abigere, quę tamen ſi aliquando a me in loquendo confundantur, id à vobis parui fieri debet, rei potius, quàm nominibus intentis. Quare hæc omittamus, & ad paroxyſmi, ſeu acceſſionis in Epile-

pticis curationem deueniamus,quam ad omnes accommodabitis, facta illa differentia inter pueros, & iuuenes, ac prouectos homines, quæ virium robur, & corporis habitus expoſtulare videbuntur; Cura ergo Epilepſiæ tempore acceſſionis non ſolùm ad ſymptomatis mitigationem inſtituenda, ſed etiam ad morbi facti abolitionem. Propterea ante omnia ſi æger multum moueatur, concutiaturque, neceſſarium eſt motionem illam vehementiorem inhibere, ne corpus plus iuſto defatigetur. Qua in re ſciatis magnum committi errorē à quibuſdam cum fœminis,tũ Medicis,qui apparente comitiali conuulſione,ſtatim manus,& pedes ægrotātis violenter detinent,corpus moueri in totum prohibentes:quod nihil aliud eſt, quàm paroxyſmi ſolutionem retardare. Ex partium ſiquidem concuſſione attenuatur,diſſipaturq; materia,quæ internam partem grauat. Non itaq; impedienda omnino eſt illa membrorum commotio,niſi maior ſit,quàm vires eam ſuſtinere valeāt. Non tamen ex alia parte laudandi ſunt, qui tempore paroxyſmi ſtatim corpus,imò & caput Epileptici concutiunt, quoniam ſæpe numero magis accurrit ex eo motu ad obſtruendum materia, & acceſſio diutius perdurat. Membra præterea Epilepticorum in rectum extendi,vel corpus erigi debet, & pituita ab ore extrahi, & omne ſtudium maximè collocādum in excitādo Epileptico,quod multis modis,multiſq; auxilijs fieri poteſt,ſed in primis extremitates fricando,& aqua pariter calida,ſale,& aceto additis, abluendo,probanturque frictiones illæ, quæ moliuntur cum pannis aſperis,& manibus inunctis oleo coſtino, permiſto etiam ſinapi. Auribus ſtrepitus, oculis magna luminaria offerri nonnulli imperant. Deligatura quæ fit in ſcroto efficaciſſima eſt. Aetius lib.6. c. 15. ex ſententia Didymi ſcarificabat, ſeu pungebat magnum digitum pedis,& diſtillantem ſanguinem labijs admouebat. Orphæus, & Archelaus contaminabant faciem ex quacunque parte corporis ducto ſanguine,atque ita ſtatim exurgere Epilepticos teſtati ſunt. Trallianus ait: Puncta ægri qualibet parte ſanguine os eius oblinito,& ſurget. Subdit tamē poſtea ex 2. Theodori eum e magnis pedum digitis petendum eſſe. Alij vnguibus occiput ſcalpendum cenſent. Vngula alcis,vel pars vngulæ manu in pugnum complicata confeſtim,de quorundam mente,paroxyſmum abigit. Idem

præſtat

præſtat ſi anulo incluſa ſit, & digito, qui infimo proximus eſt, anulus ipſe inſeratur. De qua re admirādę duæ leguntur hiſtoriæ apud Leuinum Lemnium De occult. naturæ miraculis lib. 2. cap. 3. In pullis hirundinum ex prima fętura, nimirum in eorum ventriculis duo lapilli inueniuntur verſicolor vnus, vnicolor alter; Hi prius quàm terram contingant, in cerui aluta colligandi, qui brachio, & collo geſtati Epilepticis medentur, atteſtante Dioſcoride lib. 2. cap. 49. Potiſſimùm verò, & euidenter ab Epileptico inſultu excitant clyſteres, & balani acriores. Illi ſint ex decocto in aqua facto betonicæ, centaurij minoris, rutæ ana man. j. radicum pæoniæ, vnc. j. ſ. aniſorum drac. iij. Colaturæ addantur ſpec. hieræ Logodionis drac. ij. mellis roſ. ſol. vnc. iij. olei chamæmelini vnc. ij. ſalis drac. j. miſ. Suppoſitoria ex trochiſcis alhandal, ſale gemma, ſpeciebus hieræ, vel ſimplicis, vel Logodionis, vel Pacchij cum melle. Affectum ſimiliter, & ſymptoma reſpiciunt, quæ aut in os intromiſſa, aut naribus obiecta ſua partium tenuitate ad ventriculorum cauitatem penetrare poſſunt, & materiam illam abſumere digerendo, reſiccandoque. Huius generis ſunt odores thymi, & pulegij contriti, rutæ, aſſæ fætidæ, & caſtorei: Quod caſtoreum palato, collo, & nuchæ etiam illitum prodeſt. Excitat quoque ſubitò humi proſtratos ruta virens tuſa ex aceto macerata intra naſum poſita, veluti oleum, quod vulgò balſaminum vocant, naribus ſubditum olfaciendum, aut quod ex lateritio lapide eximunt. Odoramentum cum ſpongia in aceto acerrimo decoctionis thymi, pulegij, origani, ſeminum rutæ ſylueſtris, & caſtorei madefacta mirificè conducit. Et de ruta notate quòd comitialibus maximè prodeſt, quocunque modo adhibeatur, vt patet ex Dioſcor. lib. 3. cap. 45. Vnde Franciſcus Valleriola lib. 3. Obſeruat. med. obſeru. 7. ſuccum rutæ, ceu pręſens quoddam remedium releuandis ab acceſſione infirmis cum melle ſcillino ſe exhibere ſolitum fuiſſe narrat magna cum vtilitate. Ad idem valde commendat Dioſcorides fel teſtudinis naribus immiſſum. Quædam inſtillantur olea in aures, & ſupra capitis commiſſuram, quæ multum tenuia ſunt, veluti oleum de ſpica, oleum ſampſuchinum, oleum de cinnamomo, macere, de piperibus, de gagate, de quo tamen aliqua eſt dubitatio, & conſimilia. A quibuſdam inunguntur

etiam ſuturæ rutaceo, & de abrotano, cum aqua vitæ ad faciliorem penetrationem. Magnæ antidoti, & muſtarda dicta maxima cum vtilitate naribus, & palato applicantur. Comitialis paroxyſmi præſentaneum remedium eſſe dicitur in os Epileptici coeffundere drac. iiij. & plures aquæ ceraſorũ dulcium nigrorum, vi ignis extillatæ, de qua audiatis Ioannem Agricolam lib. de Herbis; Ex ceraſis diſtillata aqua certiſſimum ſtatim affert remedium cùm primùm in os Epileptici iam paroxyſmo correpti inditur, vnde illicò reuiuiſcit, & eodem temporis puncto ſurgit liberatus, neque vllo ſpaſmo amplius conuellitur, donec noua materia aucta, vt fieri ſolet, alius paroxyſmus oriatur. Hanc multi experti ſunt, & in arcanis habent. De qua etiam ſic Manardus in quadam Epiſtola. Aqua ceraſorum non multò antè ex arbore decerptorum, vi mediocris ignis extracta, ſi in os Epileptici immittatur, quoties eum paroxyſmo corripi contigerit, impetum morbi violentiſſimi inhibebit. Doſis erunt drac. quatuor. Guainerius aquam affert, cuius cochleariũ exhibitum magnopere confert. Accipit autem hirundinum partes ſex, caſtorei partem vnam, & ſimul cum aceto optimo miſcet diligenter ad cataplaſmatis formam, inde aquam ad vſum elicit. Alij aquam ſimiliter concinnant mirabilẽ, ex qua duo cochlearia in paroxyſmo propinantur, quemadmodũ extra paroxyſmum manè præcedente vniuerſali purgatione totius corporis, & capitis. Accipiunt pullos hirundinum circiter ſexaginta, caſtorei vnc. ij. granor. pæoniæ vnc. v. omnia in lib. j. aquæ ardentis per quindecim dies macerant, occluſa optime cucurbita, deinde addunt liquoris primi è chalcantho, & aceti albi acerrimi cuiuſque libram: Demùm quindecim diebus macerant omnia, mox igne cinerum moderato diſtillant, dum liquor perſpicuus manauerit. Facilius ita paratur. Rec. hirundinum num. 40. rutæ m. ij. caſtorei vnc. j. vini albi lib. iij. Diſtillentur in balneo mariæ, & aqua ſeruetur ad vſum, qui iam dictus eſt. Aqua theriacalis dicta non inefficax cenſetur, cuiuſmodi eſt ea, quæ poſita eſt in Catarrho, veluti laudatitur aqua ſtillatiua radicum pæoniæ. Hæc autem omnia attenuando, incidendo, & diſcutiendo proſunt, nec ſolùm tempore acceſſionis, ſed extra etiam cum vtilitate adhibentur. Vbi cuncta incaſſum adminiſtrentur, & acceſſio diu-

tur-

turna perſeueret, aut breuibus admodum interuallis ſæpius recurrat, ad ferrum, & ignem deueniendum, cucurbitulis dorſo, & ſcapulis cum ſcarificatione admotis, etiam ſi purgatum corpus non ſit, vrgente ſymptomate. Quod ſimiliter dico de cauterio, aut ſetone occipitij. Quinimò Petrus Merenda ſcribit in comitiali morbo admodũ vehementi, & exiguo interuallo ſæpius repetente, nec alijs remedijs cedēte, ſe quamplurimos per admota collo prope ſcapulas veſicantia medicamenta, donec veſicæ excitarentur, breui temporis ſpatio ad priſtinum rationis vſum frequenter perduxiſſe, & ab acceſſionibus liberaſſe, qui deinde decenti curatione ad integram ſanitatem perducti fuerunt. Quæ pariter laudata ſunt ab Hollerio, ſi præſertim hoc fiat poſt purgationem, veluti comprobantur ſetones, & cauteria, dummodò ſit morbus in cerebro eſſentialis, vt fiat diuerſio à cerebro, de qua re ego quoque ſupra, niſi obliti eſtis, meam protuli ſententiam, quam ſimiliter infra vberius enarrabo; Quando autem comitialis acceſſio non ex primaria cerebri affectione naſcitur, ſed per conſenſum à ſubiectis partibus, à quibus morbi cauſa ſurſum in caput procedit, conſideranda in primis diligenter pars primariò laborans, & male affecta, & ei quàm primum ſuccurrere oportet, alioqui perſeuerabit paroxyſmus, aut rurſus breui tempore inſurget; Quamobrem ſi per conſenſum à ſtomacho acceſſio fiat, tunc in ea locum habet quod præcipit Paulus, oleum in gulam cum penna immittendum, vt os ventriculi irritetur, & vomitus concitetur, ſi commodè fieri queat. Quòd ſi alicui veſtrûm id non probetur; quoniam Galenus contra Eraſiſtratum vomitionibus interdicit, eò quod manifeſtè caput replent, balanis, ſeu ſuppoſitorijs acrioribus anus ſolicitetur, vaporque frictionibus, vinculis dolorificis, cucurbitulisque ſuper ventrem, aut internas fęmoris partes admotis diſtrahatur: Si per conſenſum vteri fiat, & mulier prægnans non ſit, quia ſi vtero gerit, ſufficiet nimiam ſuccuſſionem inhibere, ea inſtituenda ſunt, quæ ad vteri ſuffocationem paſſim præſcribuntur, fætida naribus, odorata vtero. Verùm ſi acceſſio per conſenſum ab alia parte efficiatur, vt digitis manus, & pedis, à quibus patiens auram eleuari, & in caput aſcendere manifeſtè perſentit, ſtatim viam vapori pręcludere oportet, ſtri-

ﬆa deligatura. Sic enim aut omnino prohibetur a nobis paroxyſmus, malignæ auræ tranſitum intercipientibus, aut ſaltem minor fit, prohibentibus ne tantus vapor confeſtim ad ſuperiora feratur. Ideo ſi hæc euaporatio à manu eleuetur, ligetur brachium, ſi à pede tibia, ſi a genu coxa. Rondeletius hac de re loquens ait. Si fiat per conſenſum alicuius partis exterioris, vt digitorum manus, vel pedis, fiat ſtrictura inter partem, & caput, vel corporis truncum, vt ſi in manu, à cubito ad alas ponenda eſt, quia æqualiter, & melius ligatur hæc pars, per quam aura tenuis defertur ad caput, quàm a cubito ad carpum, quia vno oſſe conſtat, cubitus autem duo oſſa habet, ob id vaſa quæ inter duo oſſa latitant, conſtringi nequeunt. Idem faciendum eſt in tibia cum inde defertur illa aura, in qua ligaturam à parte inferiore incipere oportet, ab eaque conſtrictionem arctiorem faciendo, & ſenſim remittendo, vſque ad ſuperiorem. Vbi hęc non contulerint, ad alia valentiora deſcendatis, applicando ſupra partem, a qua primariò malum naſcitur, ſinapiſmum, vel veſicatorium ex cantharidibus, euphorbio, fermento, & aceto. Quinimò & actuale cauterium in affecta parte excitari candenti ferro aliquando obſeruaui, nedum thapſia, aut flammula Iouis, aut ſinapi, aut cantharidibus, aut denique vulgaribus cauſticis medicamentis, ita vt vlcus in ea fiat, quod diu ſeruetur apertum, à quo venenata materia expiret. Vnde Mercurialis de Morbis Puer. lib. 2. cap. 3. poſtquam dixit materiam, quæ eleuatur, diſſipandam fore, hæc ſubdit. Fit autem hoc primò frictionibus, mox ſi eæ non proderint, deueniendum ad ceratum ſacrum. Demum ad ſinapiſmos deueniendum, ad vſum cantharidum, & ſi hæc non proſint, deueniendum ad ignem. Nam memini me iuuenem curaſſe igne, à cuius coxa eleuabatur vapor, qui faciebat Epilepſiam. Verùm de curatione inſultus, vel paroxyſmi Epileptici a quacunque parte, vel cauſa oriatur, hæc dicta ſint ſatis.

De

De Curatione Epilepſiæ per eſſentiam, extra paroxyſmum, in adoleſcentulis, ac iuuenibus per Pharmaciam. *Lect.* XXXIX.

QVOMODO tractandi ſint Epileptici in paroxyſmo,& dum ab acceſſione miſerè diſtorquentur, ſiue pueri ſint, ſiue cuiuſuis alterius ætatis, & ſeu per eſſentiam morbus ſit, vel per conſenſum in heſterna Lectione abundè Vobis aperui, ac demonſtraui; Hodie verò de eiuſdem morbi curatione in omnibus,extra,aut poſt paroxyſmum,tempore quietis,& quod intermedium vocant,verba facere incipiam, iuxta nimirum ſcopos iam ſupra expoſitos in illa Epilepſiæ differentia, quæ primigenio cerebri affectu, quem per eſſentiam appellant, enaſcitur.De hac enim tanquam omnium frequentiſſima,& curatu difficillima prius loqui in animo eſt;cumque tria ſint inſtrumenta,quibus Medici ad ſua munia obeunda vti conſueuerunt,nempe Diæteticum,Pharmaceuticum,& Chirurgicum, ante omnia ab auxilijs è Pharmacia deſumptis eſſentialis Epilepſię a pituita ſubortæ in primis,mox a melancholia curationem exordiar. Quoniam igitur curationis initium ab eo quidem deſumendum eſt,quod reſolutione, atque inueſtigatione poſtremò fuit inuentum, id verò eſt totius corporis cacochymia,& impuritas, qua præſente nulla alia medicamenta, ſeu euidenter alterantia, ſeu proprietate ſubſtantiæ conferentia, tutò adhibentur, eo quod inde malum ſæpè ingeminatur, aut etiam noua quædam ſymptomata accerſunt;ea propter vniuerſalem totius corporis purgationem, quam reliquis operationibus præmittendam eſſe diximus, ab alui, aut ventris lenitione hunc in modum inchoabitis.Rec. ſpecierum hieræ drac. iij. elect. lenit. drac. vij. m. & fiat bolus; Quod ſi patiens ſolidam formam reſpuat, & in humida magis, & liquida medicamentum velit, præſcribatis mel roſaceum,aut etiam ſyrupum roſaceum ſolutiuum appellatum ad vncias quinque vnà cum aqua betonicæ, vel decocto ſem. pæoniæ, & ſeminis citri in iure pulli.

Caſſia

Caſſia in hac affectione multis non probatur, fortaſſe quia nimis relaxat, & humectat, a quibus ſemper abſtinendum quotieſcunq; neruoſum genus laborat, aut quia nimiũ euaporat, & cerebro parum amica creditur. Aliquando ego bolũ præſcribo ex hieræ drachmis duabus, & modico melle roſ. cui ſuperbibendum propino mel roſaceum ſolutiuum ad vnc. iij. vel iiij. aut etiam mannam in aqua, vel decocto vt ſupra diſſolutam. Illud quidem ſi pituitoſa materia viſcida, & craſſa tunicis ventriculi magis adhæreat, hæc verò ſi in eiuſdem fundo tenuis, & liquida fluctuet. Craſtina die ab aſſumpto minorante inijciatur clyſter hũc in modum paratus. Rec. decoctionis commun. pro clyſtere lib. 1. in qua præbul. ſtœchadis, hyſſopi, rutę, ana m. ſ. ſem. pæoniæ vnc. ſ. olei rutacei, liliorum alborũ ana vnc. ij. hieræ picræ drac. iij. mellis roſacei vnc. ij. m. & fiat clyſter. Quo quidem vti pariter poteritis alternis diebus, antequam medicamentum purgans exhibeatis. Poſt ventris enim lenitionem, ad apparantia pituitoſum humorem deuenire oportet. Quare quæcunq; attenuãdi, incidendi, & abſtergendi vim habent, præſcribenda à vobis erunt, cuiuſmodi ſunt inter ſyrupos oxymel. ſ. oxymel ſcillinum, & mel roſaceum, ſyrupus de betonica de ſtœchade, vnà cum decocto hyſſopi, pęoniæ, & ſaluiæ, cuius pro pterea accipiatis vnc. iij. addendo ſyruporum, qui iam ſignificati ſunt, ſingulorum ſemiunciam. Huiuſmodi ſyrupos poſtquam exhibueritis per ſeptem, aut nouem ad ſummum dies, cogitandum de phlegmagogo medicamento, aut per hieram picram, aut diacolocynthidos, quam tantopere laudat Gal. Catat. 1. Sic enim facta purgatio maximè eſt commendata veteribus; aut per pilulas cochias, fętidas, de hermodactilis, de hiera cum agarico, elephanginas, ſed cochiæ optimè euacuant pituitã, electuaria diaphœnicon, & vtrunq; indum mihi non improbantur. Vbi in humidiori forma exibendum ſit medicamentum, accipiatis agar. trochiſc. drac. ij. cinnamomi ſcrup. ſ. aquæ betonicæ, & pæoniæ ana vnc. ij. fiat inf. ſ. a. & facta colatura, addatis mellis roſ. ſol. vnc. iij. elec. indi maioris drac. ij. ſ. m. Ab huiuſmodi purgatione quies imperãda per duos, vel tres dies: deinde iterum alterantia valentiora exhibẽda, inter quæ mihi valde probatur ſyrupus compoſitus, cuius hæc eſt deſcriptio. Rec. radicis ireos, acori, cyperi, ſcillæ, ammios, viſci quercini,

polij,

polij,origani,calaminthæ,ariſtolochiæ ana drac.ij. ſ. aniſ. fœniculi,ſeſelis,ocymi,pæoniæ ana drac.j.glycyrrhizæ, paſſularum ana vnc.ſ.flor.roris marini,ſtœchadis,radic. fœniculi,ruſci,ana drac. ſ. abſinthij,ſucci fumiterræ ana vnc.j. cum ſaccharo, aut melle q. ſ. fiat ſyrupus, qui cum aceto ſcillino acidus reddatur. Huius verò ſyrupi detis vnciam cum dimidia, ex decocto pæoniæ,hyſſopi, & cichorij.Id autem fiat per vndecim dies.Deinceps hanc potionem propinabitis. Rec. agar. trochiſcati in oxymel. ſcillino infuſi, & fortiter expreſſi ſcr.iiij.caſtorei grana iij.mellis roſ. ſol.vnc.j.aquarum meliſſæ,hyſſopi,ana vnc.ij. in quibus præmaduerint foliorum ſenæ drac.ij.m. & fiat potio. Si in bolis dandum ſit medicamentū, præſcribatis aut pilulas iam traditas, aut diaphœniconis vnc. ſ. diaſebeſt.ſimp. drac. v. m. Pilulę Epilepticæ Vueckerij in vſum deducantur. Rec. cranij humani, drac. ij. pulpę colocynth. trochiſc.alhandal, ſtęchadis arabici, caſtorei, ana drac.j. hieræ Gal. drac.iv.agarici, turpeti ana drac. i. cum aqua pæonię, vel ſyrupo de ſtœchade fiāt pilulæ. Alexander Trallianus catapotia quædam proponit,quæ poſt præparationem magnopere conferre poſſunt. At ſi prauitas humoris,inquit Trallianus,adhuc infeſtet,affectuſq; perſeueret; etiam catapotiis à me confectis vtantur, quibus nihil valentius inueni. Habet autem mixtura eorum hoc pacto: Aloes ſcammonii,gummi,colocynthidis, bdelii, ſingul.ſemiuncia;capiat ex his æger pro viribus ſcrupulos tres,aut quatuor,adultis autem etiā ſex ſcrupulos dato, & ſi plures porrexeris nihil nocebis,adeo leuiter,& tutò purgant,nec comitialibus modò,ſed etiam vertiginoſis,& articularibus,ſi quid aliud auxiliatur.Excipiantur autem braſſicæ ſucco.Quinimò veteres ampliſſimam colocynthida excauabant,reiectis ſeminibus, & interiore materia,tunc vndequaque inducebant paſta,deinde ſapa, aut alioqui vino dulci implebant, adiectis quatuor foliis rutæ,& cinnamomi drach. ſ. Ponitur in cineribus,in quibus per noctem ſinenda eſt. Poſtridie per linteum bene mundum percolatur,& potui offertur,vocatq; idē Trallianus auxilium maximū,quod & vomitu plurima valde craſſa,& viſcoſa recrementa purget. Hoc genus medicamenti hodie etiā Venetiis in frequenti vſu eſt in morbis frigidis,& antiquatis.Sin autē ab humore melancholico proueniat morbus, vel de illius cum pituitoſo

miſcel-

miſcella,& copula coniectura ſit,addantur à vobis ſyrupi huiuſmodi humorē alterantes,& decoctis adijciantur ſimplicia eundē pręparantia. Syrupi ſint de ſucco borag.de pomis ſimp. de fumoterræ,de lupulis, & de epithymo.Simplicia verò borago,bugloſſum, capilli veneris,flores violarũ,meliſſa,ſcolopendriũ,cichoriũ,endiuia,& huius cenſus alia, quæ partim humorē ipſum,partim locũ, in quo præcipuè cũ generari,tũ reſidere ſolet hic ipſe humor,reſpiciunt.Præparatione facta, expurgatio erit molienda melanogogo medicamēto,quale eſt decoctũ epithymi,polipodij mirobal.indarũ,ſenæ,ſyrup.de pomis cõpoſitus,ſyrup. de polipodio,electuariũ diaſenæ,diacarthami,cõfect.hamech, & vbi ad fortiora deueniēdũ ſit,pilulæ indæ,de fumaria, de lapide lazuli,quæ omniũ fortiſſimæ ſunt,ſed periculo non vacant.Sunt qui catapotia Alexandri exhibent,ſed additis helleboro,& euphorbio ad hunc modum. Rec. Aloes,diacridij,gummi,colocynthidis, hellebori nigri,bdellij ana drac. ij.euphorbij ſcrup.j. Excipiantur ſucco braſſicæ,vel electuario roſ.M.immiſceantur:E quibus æger capiat pro viribus ſcr. iv.vel minus. Paſta quoq; conficitur tali pacto. Rec.lapidis lazuli præparati,lapidis armeni ana drac. j. colocynthidis,diacridij helleboti nigri,ſpicæ ana ſcr.j.epithymi drac. ij. hieræ Logodionis drac.ſ.m.& cum mulſa f.magdaleon,cuius doſis ſit drac.j.pro ſingula vice, aſſumendo non ita poſt decocti epithymi,& paſſularum vnc.iii.Gal.plurimũ cõmēdat.x.Catat.hieram diacolocynthidos, quæ helleborũ recipit; Veteres helleborũ ipſum propinabant, qui tamen optime ſit pręparatus,hunc ſcilicet in modũ. Rec.fibrarum radicis hellebori ſcrup.ij.diſtemperētur in vnc.j.melicrati, deinde ſiccentur in vmbra,& pulueriżentur, tum adiecto eodem pondere piperis modico melli miſceantur, vel è mulſa propinentur.Cũ hoc ergo delectu præſcripti hellebori vſus metuendus nõ eſt, tentatis aliis leuioribus remedijs.De quo helleboro ita Celſus:Ter,aut quater eo vtendũ,non ita multis interpoſitis diebus:ſic tamen ne iterũ vnquã ſumat, niſi conciderit.Taceo de vſu cataputiæ vtriuſq;, de quo in Catarrho facta eſt mentio,de vſu antimonii optimè præparati,ſed vtrũq;laudo,vbi præſertim cætera medicamenta minus fortia incaſſum fuerint præſcripta. Morbum enim,qui viribus,aut vehementia cum Hercule pugnat,remedijs Herculeis hoc eſt validiſſimis expugnare ſtudendum eſt.

Animaduertendum tamen eſt pro comitiali affectu debellando, ac radicitus auerruncando Medicos non debere vnica purgatione eſſe contentos; eſt enim morbus difficillimæ curationis, & in quo veritatem habet illud Alexandri Tralliani lib. 1. c. de Cephalea, humores nimirum pituitoſos, quod multò magis de melancholicis aſſeri poteſt, non ſemel atque iterum purgandos, ſed pluribus purgationibus educẽdos eſſe, quoniam licet concocti fuerint, difficulter nihilominus ob lentorem, quem nũquam totum amittunt, euacuãtur. Sic enim experiemini quod memoriæ mãdauit Cornelius Celſus lib. 3. cap. 9. pertinacia iuuantis malum corporis tollit. Vnde ſunt, qui ſex vicibus Epilepticos ſingulo anno diligẽter purgant, bis in vere, & bis in autumno, ſemel in æſtate, & ſemel in hyeme. At ſi patiens debilis ſit, ac mollis naturæ, nec tot ferre, & ſuſtinere valeat purgationes, gemina ſufficiet purgatio in vere, & in autumno inſtituta. Quin etiam hoc in loco notandum à vobis eſt quod cum alij, tum non ita pridem ſcriptis mandauit Ludouicus Septalius Mediolanenſis Medicus præclarus, valentiora medicamenta in Epilepticis non adeò frequenter in vſum deducenda eſſe, quia ex illorũ frequentia exhauſtis ſpiritibus animalibus apoplexiæ ſæpè concitantur. Ab vniuerſali purgatione tranſeundum ad magis ſpecificam, & particularem, nempe capitis, idque non ſolùm de ſententia Medicorum omnium, ſed etiam de præcepto Platonis in Charmide, vbi dicit nunquam curandos eſſe oculos ante capitis curationem, neque caput, niſi prius habita ſit ratio totius. Quamobrem purgatione peracta ad errhina, gargariſmata & maſticatoria mox deſcendendum erit, quæ cuiuſmodi eſſe debeant, nunc ſigillatim per formulas demonſtrare aggredior. Accipiatis itaque pyrethri, radicis pæoniæ ana ſcrup. ij. nucis moſcatæ ſcrup. j. hellebori nigri pulueriẓati ſcrup. ſ. fiat puluis, qui inſuffletur in nares. Ex iiſdem, dempto helleboro, ſi maſtiche incorporentur, parari maſticatorium poteſt. Item pro errhinis vti poteritis ſuccis radicum pæoniæ, cyclaminis, rutæ, ſampſuchi, & melle. Pro gargariſmate accipiatis calamenthi, hyſſopi, ſampſuchi, betonicæ, meliſſæ, ana manip. j. radicum pæoniæ, pyrethri ana vnc. ſ. paſſularum mundatarum vnc. j. vini, & aceti ana lib. ſſ. Fiat decoctio, & colaturæ miſceantur oxymelitis ſcillitici, & ſyrupi de ſtœ-

chade

chade ana vnc.ij.miſ.pro gargariſmate,quod eſt efficaciſſimum,& ideo vobis ſit inſtar omnium.Maſticari multa poſſunt ad pituitam è cerebro educendam,pyrethrum,naſturcium, cubebæ,vel per ſe, vel vnà cum maſtiche, & cera excipiantur,facto prius puluere; Vel accipiatis pulueris radicum pæoniæ, nucis moſcatæ, zingiberes,cubebarum ana ſcrup.ij. & excipiatur vel ficubus,vel paſſulis; & ita fiat maſticatorium,quod non ſolùm pituitam à capite trahit, ſed etiam cerebrum mirificè roborat. Cælius Aurelianus laudat ſinapi,piper,ſtaphiſagriam. Tandem accipiatis pul.cubebar. maſtiches, olibani, ana drac. ſ. gummi tragacanthi diſſoluti vnc. ſ. fiăt paruæ pilulæ cicerum forma. Facta hunc in modum vniuerſali,& particulari purgatione, quid remanet agendum? Tria adhuc præſtanda ſuperſunt, per frequentes auerſiones acrioribus clyſteribus,& alijs in Chirurgia dicendis, prohibere quominus cerebrum vapores,& humores tam facilè petant. Pars enim quæque imbecillis non ſolùm ex ſeipſa excrementa congerit, ſed aliunde tranſmiſſa facillimè etiam admittit, & ſuſcipit. Reliquias prauorum humorum tam in cerebro, quàm in reliquo corpore diſſipare, & penitus abſumere, intemperiemq; cerebri emendare, & caput totum corroborare. Pro quibus omnibus peragendis innumera excogitata ſunt præſidia (nullus etenim morbus eſt, qui pluribus abundet remedijs) & illa quidem partim ſimplicia, partim compoſita, partim interna,partim externa. Veruntamen ego ex tam ingenti ſylua,& immenſa copia colligam tantummodo, & proponam vobis quæ efficaciora ſunt, & cum antiquorum doctrina magis congruere mihi videbuntur.Quoniam verò pro hodierna Lectione hæc ſatis dicta videri poſſunt,ſingula remedia iuxta ſcopos allatos in craſtina,& ſubſequenti referre conabor.

De diaphoreticis,ſeu reſoluentibus materiam in Capite,deq; eius intemperiem corrigentibus, & illud corroborantibus. Lect. XL.

PRAEMISSA corporis, & capitis expurgatione in Epilepſia per eſſentiam,& idiopathiam genita, tam ab humore melancholico, quàm a pituitoſo, prout heri abundè audiuiſtis, ad poſtremas indicationes deſcendendum

dendum eſt, quę ſunt, materiam impactam attenuare, & diſcutere, necnon caput corroborare, pro quibus ſcopis aſſequendis multiplicia dicebam excogitata eſſe remedia ſimplicia, & compoſita, interna, & externa, de quibus in præſenti vobiſcum agere inſtitui. Incipiam autem ab externis, retrogrado vtens ordine. Nota ergo in primis omnibus eſt celebratiſſima illa apud Galenum hiſtoria de puero quodam, cui ſuſpenſa ex collo pæonia morbum comitialem ſanabat. Refert enim 6. Simpl. puerum, qui totis octo menſibus, quibus pæoniam geſtabat, incolumis permanſerat, cumq; forte fortuna ea decidiſſet, protinus iterum conuulſione fuiſſe correptum, rurſuſq; remedio appoſito benè habuiſſe. Quare hoc videns Galenus, vt rem melius diſcerneret, pæoniam iuſſit auferri, qua ſublata, puer iterum comitialis factus eſt. Vnde magnam radicis recentis partem ex collo ſuſpendit, & ex hoc remedio puer ille integram ſanitatem eſt conſecutus. Quoniam verò non ſolius ſubſtantiæ proprietate, ſed manifeſta quoque virtute pæoniam Epilepticis conducere Galenus exiſtimauit, idcirco etiam ſcribit rationi conſentaneum fuiſſe, aut partes quaſdam a radice defluentes, ac deinde per inſpirationem attractas, affectos ita locos iuuare, aut aerem à radice aſſiduè mutari, & alterari. Multa, & infinita ſunt ſimplicia, quæ naribus admota, aut etiam ore commanſa, & exterius capiti admota, quod in intentione eſt valenter præſtare poſſunt, ruta, origanum, pulegium, thymus, ſampſuchus, ſtœchas, hyſſopus, ſaluia, roſmarinus, lauendula, nigella romana, calamenthũ, galanga, nux moſchata, caſtoreum, & huius generis innumera, quæ breuitatis gratia prætermittuntur. Iacobus Syluius maximè commendat frequentem odorem ambræ griſeæ. Idcirco paretur à vobis pomum ſepius odorandum, quod patiens manu geſtet, ad hũc modum. Rec. radicis pæoniæ vnc. j. rad. pyrethri vnc. ſ. florum anthos, ſaluiæ, & ſummitatum thymi ana drac. iij. ſem. nigellæ, rutæ agreſtis, caſtorei, calami aromatici ana drac. iij. caryophyllorum, beneceini, ſtyracis rub. ana drac. ſ. moſchi, ambræ griſeæ ana gr. iij. cum infuſione gummi tragacanthi in aqua roſarum fiat pomum. Reſtat Gordonij magiſterium valde probatũ, quod eſt Rec. ambræ griſeæ, ſem. pæoniæ, ſtyracis, calaminthę, ana vnc. j. ladani, maſtiches, caryophyllorum, ligni aloes ana drac. iij. moſchi gr. vj. fiat

vj. fiat confectio, cum aqua roſarum, quæ diuidatur in tres partes; ex prima fiant pilulæ ſumendæ noctu, ſcilicet pilula vna; ex ſecunda pomum frequenter odorandum, ex tertia trochiſci, quorum vnus proijciatur in prunas, & Epilepticus vaporem inſpiret. Ad idem mirè valet ſuffimentum, quo ſuffiantur operimenta capitis ægrotantis, intra cubiculum benè clauſum; Accipiatis cyperi, calami aromatici, myrrhæ, maſtiches, beneoini ana drac. ij. florum ſtœcadis, anthos ana vnc. j. ſandaracæ drac. j. miſ. & fiat ſuffumigatio. Arculanus laudat puluerem ſpicæ auribus inſufflatum, quemadmodum balſamum, & oleum caryophyllorum ijſdem iniectum Accipiatis nigellæ romanæ, maioranæ, macis ana drac. j. ſem. pęoniæ drac. j. ſ. cum oleo nardino, & modico ceræ albæ fiat vnguentum molle, & illinatur naribus hora ſomni. Capiti deraſo ad regionem ſuturæ coronalis, & ſagittalis puluerem ex præmonſtratis inſpergere poteritis, potiſſimùm verò ex iride, cypero, caryophyllis, ſem. pæoniæ, caſtoreo, & alijs conſimilibus. Sic a nonnullis valde commendantur ſacculi ipſi capiti admouendi ex ſtœchade, ruta, pæonia, maiorana, iride, floribus chamæmeli, ligno guaiaco, milio, gummi iuniperi, nuce moſcata, & huiuſmodi. Valet quinetiam ceratum, quod parari, & confici poteſt ex ladano, thure, ſuccino albo, pulueribus, & oleis cephalicis iam ſignificatis. Anteponendum tamen omnibus ceratum de betonica. Lotiones verò, & ſtillicidia ex aquis thermalibus paſſim ab omnibus extolluntur. Celſus caput raſum perfundebat aqua ſalſa, & oleo veteri, adiecto aceto, & nitro perungebat. Maximè dicunt prodeſſe lixiuium, in quo decocta fuerit verbena cum radicibus, & etiam mentha; vim enim habebit diſcutiendi, attenuandi, roborandi. Idem quoque paratur ex cinere ligni viſci quercini, decoctionis ſtœchadis, polij mōtani, roſarum, ac foliorum oliuæ, adhibito etiam loco ſaponis vitello oui aſſi. Vbi aqua ſalſa, ac thermales non adſint, earum loco accipiatis aquæ optimæ libras triginta, ſulphuris ignem non experti lib. ij. aluminis lib. ſ. Hæc craſsè contundantur, deinde bulliant, donec ſpuma euanuerit, & coletur. Id autem alternis diebus ſuturę coronali inſtillari poteſt. Pręterea accipiatis agarici non præparati lib. ſ. ſaluię, betonicę ana m. ij. rad. pæonię vnc. j. fiat ex arte decoctio, & exprimatur, & caput abluatur, quod ſiccatum illiniatur

aliquo

aliquo ex iam dictis oleis, vel de lateribus, vel de piperibus, vel abrotani,& amigdalino. Chymicæ profeſſores laudãt gagatinum oleum.Hollerius non admodum probat, ego de hac re alibi. Vos ſemper in remedijs dubijs, & controuerſis, quando alia non minoris efficaciæ habentur, illa omittatis, nec experimentum in hominis perniciem vnquam facere curetis. Interna medicamenta ſimplicia & ipſa infinita ſunt, de quorum cenſu in primis eſſe dicitur pæonia,& ſemen eius,radix pyrethri, viſcus quercinus, præſertim eius radix,ſeſeli,tormentilla, ariſtolochia,betonica, radix eryngij,cornu cerui vſtum,raſura eboris,vngula aſinina,caluaria item aſini,quod remedium Trallianus magnopere celebrat,& inHiſpania ſe didiciſſe affirmat,vngula alcis, oſſa humana combuſta, cranium humanum maſculinũ ad viros,fœmininũ ad mulieres.quorũ vſus eſt,vt ſingulis diebus drac.j.pulueris,vel per ſe,vel vnà cum alijs medicamẽtis manè aſſumatur per plures dies,flos anagallidis rub.hyſſopus,de quo idem Trallianus admiranda refert, vrina apri cum veſica exiccata,cerebrũ cameli, & muſtellæ, ſplen equi, coralium,chryſolitus, ſmaragdus. Quædam tamen ex his melius collocantur in ſerie Amuletorum,de quibus ſuo loco. Compoſita medicamenta tot ſunt,quot volumen integrum vix contineret;ſed ego non omnia,& ſingula percurram, quæ vos in euoluendis auctoribus facilè adinuenietis,nonnulla tantummodo afferam, quæ mihi ex vſu eſſe magis videbuntur. Ante omnia igitur,habita corporis,& capitis ratione,vt iam diximus,ſciatis valde præſentaneũ auxilium eſſe quod ex decoctione ligni guaiaci, ſalſæ pariliæ, chinæ,ſaſſafras,ligni viſci quercini,radicis,& ſem. pæoniæ, cephalicis additis ſimplicibus,conficitur, ſi exhibeatur iuxta eam normam, qua ſolemus propinare ijs,qui labe venerea correpti ſunt,victu tenui, exquiſito, & exiccante, ſudoribus etiam conuenienti aliquo ingenio prolectis,maximè ſi,vt plerunq; euenit, à pituitoſa materia Epilepſia naſcatur. Hoc enim remedij genus non ſolùm relictã in cerebro ſuperfluitatem, & per inſenſibilem, & per manifeſtam vacuationem abſumit,atque reſoluit, verùm quoque eiuſdem mẽbri proportionem,ac tonum mirum in modum tuetur, & fouet. Id ipſum verò quod optat,facilius Medicus aſſequetur, ſi paulò ante ſyrupi,aut decocti aſſumptionem, Epileptico offeret vel pilulam

tantùm ex ſupra relatis ex Gordonio, vel rotulam ita præſcriptã. Rec. olei cranij humani per chymicem extracti, olei caſtorei educti ana gr. iij. ſacch. fini in aqua maioranæ diſſoluti vnc. ij. fiat confectio in rotulis, quæ ſingulæ ſint pond. drac. ij. Notant præterea recentiores Medici primæ notæ aquas thermales calidiores, quales in Patauino agro Aponitanæ ſunt, & alijs in locis aliquæ non diſſimiles, maximam vim habere ad hoſce ſcopos aſſequendos, ideoq; ab illarum exhibitione minimè abſtineatis, vbi tempus anni opportunum ſit, & reliqua præceſſerint ſuperius expoſita, & infra, cùm de Chirurgia erit ſermo, demonſtranda, quæ duo pręſidia generoſa ſunt, & huic malo debellando valde accommodata. Interim tamen omittenda non ſunt, quę ad eandem intentionem perficiendam, & ratio à natura rei deprompta, & experimentum clariſſimorũ in Arte virorum omnino conuenire nobis oſtendunt. Priuſquam verò hæc ipſa commemorem, ſciẽdum vobis eſt, quòd ſi ab humore melancholico Epilepſia proueniat, tunc præſtanda erunt, quæ in melancholia morbo ab omnibus traduntur, potiſſimùm imperanda balnea aquę dulcis, exhibendę aquæ thermales, ſed quales Villenſes in agro Lucenſi. B.V. apud Patauiũ, ac de Ficuncella apud S. Caſſianum; licet Auicenna laudet balnea etiam in Epilepſia à pituita, de qua re infra diſputabimus. Laudantur itaque in primis radices pæoniæ maris conditæ, veluti cortices citriorum, pyrethrum, & zingiber, cõſeruę acori, anthos, ſaluiæ, ſtœchadis, enulę. Confectiones anacardina, & alchermes, diamoſchũ dulce, & amarum, & præ omnibus magnæ antidoti theriaca, & mithridatium celebrantur, ſi earum longus, & frequens vſus exiſtat. Medicamentum illud e ſcilla, quod proponit Galenus in Conſilio pro puero Epileptico, nulli ſecundum putatur. Accipit autem ſcillam cõquaſſatam, & in vaſe, in quo antea mel repoſitum, aut alioqui coctum fuerit, quod propterea meliteum vocat, recondit, vas pelle induit, & fideliter occludit, tum meridiano Soli exponit, prohibetq; Aquilonibus, ſubinde aliter, atque aliter obuertit, vt vndequaque, ac omni ex parte radij Solis vas calefaciant. Scillam verò colligit ſub cane, quo tempore mel ſcilliticũ præparatur, finitq; toto caniculæ tempore. Tandem aperto vaſe liquor, qui è ſcilla deſudauit, excipitur, & melle addito guſtui gratior efficitur. Materia

ria reliqua ſcillæ cum melle ſubigitur, quæ pariter Epilepticis datur. Alij ſuccum ſcillæ pari mellis ponderi commiſcent,& mel vocatum ſcilliticum parant. Datur autem Galeni medicamentum paruulis doſi drac.dimidiæ, alijs drac.ij. Syluius habebat opiatã; quam dicit apud Valletium exercit.15. ad Epilepticos ſibi omniũ confectionum inſtar eſſe, & dabat ad nucis auellanæ magnitudinem, manè, aut veſperi dormituro, quæ cum omni Epilepſiæ, tum maximè à melancholia genitæ conducere videtur. Rec. conſeruæ bugloſſæ, boraginis, anthos ana vnc.j.ſ.confect.alchermes drac.ij. electuar. lætificant. Gal. de gemmis ana drac.ſ.pul. rad.pæoniæ, ariſtolochiæ, ana ſcr.j.raſuræ eboris, cor.cer.coral. ana ſcr.ij cum ſyr.de hyſſopo fiat opiata. Non contemnenda ſimiliter eſt in Epilepſia præſertim melancholica mixtura, quæ ita conficitur. Rec. conſeruæ meliſſæ, calendulæ, corticum citriorum conditorum, mirobalanorum indarum conditarum ana vnc.j.ſpecierum aromatici caryophyllati, diamargariti, ſem.pæoniæ ana drac.j. miſce cum melle ſcilliticо. Item quæ ſic ſe habet; Rec.conſ.flor. cichorij, violarum, ana vnc.j.conſ.anthos vnc.ij. viſci quer radic.pæoniæ ana drac.j.cineris cranij humani, tali ſuilli ana ſcr.iij. ſ.pul. diambræ, & electuar.læt. Gal.ana ſcr.j. pul.diarrhod. Abb. & triaſant. ana ſcr.j.ſ.ſacchari parum, cum ſyrupo de pomis, & ſucco borag. fiat opiata. Rhaſis proponit electuarium, quod Epilepticis vel manè ieiunis, vel ſerò tribus horis à frugali cœna tempore ſomni exhibetur, auellanæ magnitudine, & eſt ſequens: Recipe pyrethri, ſeſeleos, ſtœchados ana drac. x. agarici drac.v.cardamomi recentis, & acuti, aſſæ optimæ, ariſtolochiæ rotundæ ana drac.j.ſ. Excipiantur omnia melle ſcillitico. Aliud apud Auicennam. Rec. Seſeleos, baccarum lauri ana drac. iij. ariſtolochiæ rotundæ, radicis pęoniæ ana drac.ij.caſtorei, trochiſcorum ſcillæ ana drac. j miſce cum melle deſpumato, & patiens quotidie ſumat cum oxymelite. Itẽ accipere poteſtis pulueris cranij humani vſti, pul. radic.& ſem. pæoniæ, tormentillæ, viſci quercini, caſtorei, opoponacis, mithridatij optimi ana drac.j.ſ.cum ſyrupo de ſtœchade fiat electuariũ. Aliud electuarium efficaciſſimum erit, quod accipit radicum pęonię decoctarum ſub prunis vnc.iv.ſem.pæonię drac.ij.radicis pyrethri puluerizati drac.j. caſtorei electi drac. ſ. ſyrupi de betoni-

ca, & de ſtœchade ana q.ſ.fiat electuarium.Quidam cum ratione laudant quod recipit Succi cardui bened. mille folij, rutæ, meliſſæ, hyſſopi ana vnc.ij.cum ſaccharo coquatur ad ſpiſſitudinem, & addatur pul. viſci quercini, radicum pyrethri, radicum quinque folij, cornu cerui præp. ana vnc.ſ.cranij aſini puluerizati drach. ii. mithridatij, theriacæ antiquæ ana drac. vj. conſeruæ lilij vnc.ij.aquæ vitæ modicum miſce lento igne:Cuius detur manè à ſomno, & veſperi ante ſomnum drac.j.In eundem vſum parari quoque poſſunt tabellæ quædam, quarum æger vnam manè, aut ſerò capiat. Rec. ſpec.diamoſchi vtriuſque, ana ſcr. j. coral.rub. nucis moſcatæ ana ſcr. ſ.ſeminum pęonię ſcr. ij.myrrhæ electæ drac.ſ.pul.cranij hum. raſuræ eboris ana ſcr. j. cum ſaccharo in aqua hyſſopi, & meliſſæ diſſoluto fiãt tabellę, aut rotulæ pond.drac.ij. Alijs in frequenti eſt vſu aliquis puluis, qualis foret ita confectus. Accipiatis bregmatis hominis, vngulæ aſini ſylueſtris ana vnc.ſ.Redigantur in puluerẽ, & læuigentur diligentiſſimè cum aqua pæoniæ, poſtmodum addatis cinnamomi electi, ſpicæ nardi ana drac.iij. ſem. pæoniæ vnc.ſ. folior.caryophyllatæ, drac.ij. ſ. cuncta ſubtiliſſimè pulueriżentur, & miſceantur. Datur hic puluis bis in hebdomada ad hunc modũ: Rec.oxymelitis ſcillitici vnc.j.pulueris prædicti drac.j.ſ. miſ.Quòd ſi ſaccharum finiſſimum ad pondus omnium addatis, poteritis eũdem puluerem aut cum cibis, aut alio quouis modo exhibere. Aut accipiatis cranij aſini vſti vnc.j.raſuræ vngulæ alcis, cor. cerui vſti, viſci quercini, granorum pæoniæ, radicis pæoniæ maris, tormentillæ, dictamni albi ana drac. ij. coralij vtriuſq; præp. eboris recenter raſi, margarit. præparat. ana drac.j.fol.auri num.xxx.ſacchari albiſſimi vnc. ij. Terantur omnia in lapide porphyrii, fiatq; puluis tenuiſſimus, cuius drachma offeratur cum aqua liliorum conuallium, aut aliarum, quæ mox dicentur. Sunt qui ad cælum vſque laudibus extollunt guttas aliquot extracti caſtorei in aqua vitę appellata, maximè ſi dentur cum decocto florum roriſmarini, faluiæ, & betonicæ. Propinant alij oleum ſuccini albi, alij oleum cranij humani, quidam alij oleum ſulphuris, & chalcanthi, cum aqua vel pæoniæ, vel hyperici, vel ceraſorum nigrorum dulcium, vel florum tiliæ, vel lauendulæ, vel deniq; rutæ caprariæ, quas etiã per ſe ſumptas multum prodeſſe poſſe, ex ipſarum qualitatibus, &

morbi

morbi natura facilè deprehenditur. Bartholomæus Montagnana aquam valde probat è pæoniæ radicibus, atque item radicibus graminis ad vnc.iij.cum ſaccharo manè per plures dies hauſtam. Petrus Foreſtus deſcribit ex Eraſto lib.4. Diſput. in Paracelſum, & ex Langio duas aquas huic malo dicatas lib.10. De morbis cerebri, Obſeru.55. quas dicit Eraſtus multorum vſu comprobatas, efficaceſq; compertas eſſe. De quibus quidem, veluti de alijs non minoris momenti agetur in ſubſequenti.

De Aquis, ac Trochiſcis quibuſdam ad Epilepſiam admirandis, deq; multis Empiricis remedijs; De Periaptis, & Amuletis tam Phyſicis, quàm Magicis quid ſentiat Auctor.

Lect. XLI.

NON ita pridem agebã Vobiſcum de varijs aquis chymicis, ſeu ſtillatitijs, ad cerebri diſcraſiam in Epilepticis auferendam, aut ſaltem ad meliorem frugem reducendam, necnon ad illius membri proportionem, quam vocant, tutandam, valde accommodatis, ac mirè efficacibus, de quarum numero duas admirandas eſſe ſcribunt Petrus Foreſtus, & Hieronymus Rubeus de Deſtillatione, quarum vna Thomæ Eraſto adſcribitur, altera verò Ioanni Langio, qui ambo tamen ſunt hæretica prauitate fædati, quibus nos tertiam addimus ex Mercato, & quartam ex Platero. Suam Eraſtus honeſtiſſimæ cuidam matronę compoſuit, quæ antequam huiuſcemodi aqua vteretur, hoc morbo diu, multumq; laborauerat, & quo die ad eam vocatus fuit, tres paroxyſmos perpeſſa fuerat; qua quidem poſtea multos non abſque euidenti fructu vſos fuiſſe ſcribit. Quam pariter Mercatus ad inueteratam Epilepſiam maximè valere confirmat in ſuis Conſultationibus. Altera Langio erat in arcanis, ambas tamẽ cum trochiſcis quibuſdam propinabant, quorum etiam hoc in loco fiet mẽtio. Eraſti aqua ita ſe habet. Rec. Florũ Lilij cõuallium lib.j.ſ. florum pæoniæ, lauendulæ, betonicæ cuiuſque librã, florum tiliæ, verbaſci odorati ſingul. vnc.ij. cum dimidia, radicis ariſtochiæ longæ vnc.j.ſ. viſci quercini drac. xiv. viſci corylorum

drac.iij. cubebarum vnc. j. piperis nigri,caſtorei pontici cuiuſque vnc.ſ.Incidantur,incidenda, miſciantur, infundantur in vini, vel maluatici, vel alterius generoſiſſimi menſuris duabus Germanis per tres hebdomadas,maneantq; loco calido,vel Soli expoſito,& quotidie agitentur,demum balneo mariæ deſtillentur. Quoniam autem herbæ, ac flores omnes vno tempore non colliguntur, infundenda ſunt in vino quæ primò apparent, ac poſt tres hebdomadas exprimenda, & diſtillanda, quod effluxerit cum expreſſo prius vino miſcendum,donec haberi omnes queant. Poſſunt etiã ſiccæ accipi omnes, modò in vmbra ſint ſiccatæ,præter flores lilij conuallium.Trochiſcorum deſcriptio capit Cinnamomi drachmã, rad. pæoniæ,ſem.eiuſdem cuiuſque ſcrup.ij.zingiberis, cubebarũ, caryophyllorum,macis,ſingul. ſcrupulum,ſpec.cord.ſpec.aromatici caryophyll.cuiuſq; ſcrup.ſ.ſpec.diambræ,diamoſchi ſing. gr.v. nucis myriſticæ conditæ drac.ſ.citri excorticati ſcr.ij.ſacch.albiſſimi vnc. viij. in aqua ſupraſcripta diſſolutij. Ex his fiant trochiſci ſ.a.inſtar eorum, quæ manus Chriſti vocantur. Pro ditioribus in aurari,& oleo ſtillatitio, vel aniſorum, vel macis; vel olei ſimili aſpergi poterunt,cùm funduntur ſupra lapidem. Altera aqua Langio attributa in hunc planè modum conficitur; Rec. flor. lilij conuallium manip. viij. ſuperfundatur menſura vini cretici, aut moſcatelli,aut alioqui generoſi,in eoq;per dies quinq;infuſi maneãt, mox vitreis organis tepentis aquæ balneo deſtillentur. Deinde accipere oportet cinnamomi drac.vj. nucis myriſticæ drac. iv. piperis longi drac. ij.florum lauẽdulæ vnciam,flor. roriſmarini, ſtœchadis cuiuſq; vnc.ſ. cubebarum drach. ij. viſci quercini, radicis pæoniæ, rad. dictamni noſtratis,cuiuſq; vnc.ſ.omnia craſſiuſculè contrita rurſus in ſuperiore vino per dies octo macerentut,loco aprico,poſtmodum deſtillentur vti ſupra.Trochiſcorum autem forma hæc eſt. Rec.ſem.pæoniæ excorticat.vnc.ſ.margar.præp.drac. ſ.macis ſcr.i.folia auri vi.ſacchari albiſſimi in vnc.v.aquæ iam dictæ ſoluti,& decocti ad perfectionem vnc. ix. Fiant trochiſci, de quorum vſu, velut etiam de vſu aquarum, non omittenda ſunt à me quæ ab ijſdem ſcriptoribus memoriæ mandantur. Ambarum igitur aquarum vſus eſt, vt in paroxyſmo deducto ore cochleariũ plenum infundatur,fauces,tempora,& nares ijſdem confricentur.

Præ-

Præterea, vt quo tempore inſultus timetur, ſiue dùm poſt breua interualla acceſſiones repetunt, veſperi, & manè tantundē ægroto offeratur, vnà cum duobus trochiſcis, qui quidem, ſi mandere ęgrotus nequeat, in aqua diſſoluti exhibendi ſunt. Tandem vt tempore medio, quod præſeruationis dicitur, per ſingulas hebdomadas cū Luna, vel quadrata, vel plena, vel noua efficitur, cochleariū vnū ſumatur, cum duobus trochiſcis manè, & veſperi, & morbo remittēte, manè tantùm, deinceps metu plenè ſublato, bis in menſe, plenilunii, & nouilunij temporibus accepiſſe ſufficit. Ludouicus Mercatus in ſuis Conſult. Medic. Conſ. 3. pro puella Epileptica aquam, & ipſe deſcribit inter ea auxilia, quæ prauorum ſuccorū reliquias in toto, & in capite abſumerent, quantum poſſibile erat, in morbo magnæ feritatis, & diminutæ ſpei ſalutis. Cuius aquæ tertio quoq; die vnciam porrigebat, quam tradit hac ratione fieri. Rec. mell. ſcillitici vnc. viii. ſyr. ſtœchados, & lupulorū ana vnc. vi. fol. lupul. m. iv. epithymi vnc. i. cum dimidia, boraginis, linguæ ceruinæ, viſci quercini an. m. ii. calami aromatici, ſerici crudi ana vnc. i. herbæ paralyſis m. i. iuæ, betonicæ, maioranæ ana m. ii. rad. ariſtolochiæ, pęonię ana lib. ſ. rad. ſchorcioneræ lib. i. florum cordialium, florum tiliæ, lauendulę, anthos, & geniſtæ ana vnc. ii. Conterantur omnia, & miſceantur, & adde theriacę ſmaragdorum, elect. de hyacintho confectionis alchermes ana drac. iii. Diſſoluātur in quatuor lib. aquæ ceraſorum, & tiliæ, & recipiantur in alembico vitreo, & in duplici vaſe inſtillentur. Hanc Mercati aquam eo libentius attuli, quo puella illa, vt ipſi refert, eius auxilio, ſi non ex toto cōualuit, in lōge meliorē ſtatum redacta fuit. Remanet alia aqua nō minoris efficaciæ, quam deſcribit Felix Paterus in curat. De mentis conſternat. lib. 1. Tom. 1. ſuæ Prax. ad hunc planè modū. Rec. pullor. hirundinum nu. xv. picæ, cuculi, pullorum nu. iv. vel ſi haberi non poſſint, hirundinum nu. xxv. ſanguinis humani, vel hirci vnc. iij. cranii hominis vnc. j. caſtorei vnc. ſ. radic. pæonię, quart. i. & ſeminum vnc. i. ſcillæ præp. vnc. ii. viſc. querc. vnc. ſ. rutæ, hyſſopi ana m. ii. betonicæ, maioranę, ſaluiæ, flor. roſarum, lauendulæ ſan. m. i. cinnamomi drac. ii. caryophyllorum, nucis moſcatæ, cubebar. piperis ana drac. i. vini præſtantiſſimi, vel maluatici lib. iii. aquarum lilii conuallium, & flor. tiliæ an. vn. ii. aquæ uitæ vnc. i. macerentur

per horas tantum aliquot, ne corrumpantur, & diſtillentur. Detur ab vnc.ſ. ad vnc.j. ad præcautionem, quæ aqua in paroxyſmo infuſa excitat, citiusq; ſi in portione illius aſſam fętidam, vt prius dictum, fundas. Non deſunt etiam qui magnopere commendent hãc aquã. Panis, vbi è furno extrahitur, calentis medulla vitreis organis diſtillatur, cuius dant vnc. iv. cum raſuræ dentis lupini drach. Matthæolus præbet aquam diſtillatam ex hominum fæcibus, & cineres viſci quercini, vt bibat quadraginta diebus, magis tamen placet quæ ab eodem commendatur diſtillata ex radicibus hyperici, dũ floret. Arculanus præbebat coaguli leporini guttas ſex ad decem cum mulſa, vel aqua rutæ, & Galenus multò antè 10. Simpl. laudauerat coagulum leporis quantitate erui ſumptum ex aceto. Paracelſus in paroxyſmo oleum gagatis naribus imponit, de in purgat helleboro, poſtea olei cranij, & ſpiritus vitrioli guttas dat cum aqua lauendulæ. Hîc certe non damnandus eſt chalcanthini liquoris vſus, vt nec in Epilepſia puerulorum cauſa vermium ſuborta. Antiqui Empirici apud Aurelianum dabant bibendum lac aſininum cum ſale. Alij ſanguinem teſtudinis marinæ. Dioſcorides iecur aſininum aſſume ſui offert, & ſanguinem muſtelæ, cuius etiam carnem ſiccatam Galenus commendat, quemadmodum Sextus antiquus Medicus præbebat cor leporis ſiccatum cum thure ex vino albo. Hoc agebat ſeptem diebus auſpicando a Luna recenti, dum nimirum illa quartã in cęli partẽ abierit. In ſeneſcente verò morbo viginti nouem diebus id propinabat, dum ſcilicet à ſynodo totum orbem Luna peragrarit. Mizaldus ſibi compertum eſſe ſcribit, quòd radix pęoniæ maris auulſa Luna creſcente, ac illi blandiente Sole radio ſextili, aut trino, dum is ſub Leone decurrit, ab Epilepſiæ acceſſione tuetur, ſi non fuerit antiquatum malum. Idem recenſet verbenam collectam Sole per Arietem ſpatiante, & miſtam cum granis aliquot pæoniæ, ſi terantur, & cum vino albo propinentur, Epilepticos miraculo quodam ſanare. Cardanus refert ſe duos curaſſe poſt remedia omnia aliorum Medicorum. Horum vnus febricitabat; alter clamabat. Id egit ſomniferis capitis lotionibus, & ſolo potu pulueris chryſolithi ex vino. Octo, inquit, dierum ſpacio conualuere, ita vt nun-

quam

quam redierit morbus. Varignana ſcribit; ſumantur oſſa hominis mortui, ideſt cranij, comburantur; fiat cinis, & propinetur ad drac. j. cum aqua ceraſorum dulcium, aut alia conuenienti. Multos dicunt fuiſſe ſanatos bibendo pulueris bryoniæ drac. j. cum vino manè vnius anni ſpatio. Montagnana in ſuis Conſilijs tradit ſe multoties expertum ſequens remedium. Rec. pyrethri, ſtœchadis, coſti an. drac. x. agar. drac. v. ſ. carui, anethi, aſſæ fœtidæ, ariſtolochiæ rotundæ an. drac. ij. ſ. ſucci ſcillæ, mellis electi an. lib. i. ſ. Coquantur ſimul ſcilla, & mel lento igne vſq; ad ſpiſſitudinem deinde iniectis pulueribus fiat electuarium, cuius patienti offerantur manè quatuor horis ante cibum drac. iij. Arnaldus de Villa noua ſic deſcribit medicamentum ex magiſtro ſuo præſtantiſſimum. Rec. iuæ moſchatæ, camepytheos, betonicæ, herbæ paralytis, ſaluiæ domeſticæ, & agreſtis, pentaphylli, graminis, valerianæ, caprifolij, capillorum veneris, ſcolopendrij, anethi, endiuiæ an. m. ſ. flor. anthos, boraginis, ſem. aniſi, fœniculi, paſſul. mundatar. cortic. radic. omnium aperientium an. vnc. j. ſ. cinnamomi, rad. pęonię, polypod. quer. contuſ. an. vnc. 5. ſacch. lib. ij. Fiat ſyrupus ſ. a. de quo capiat manè vnc. duas, vel tres. Veſica apri immediate extracta, & cum vrina in furno exſiccata, ita vt in puluerem redigi poſſit, ſi ad quantitatem fabæ in vncia oxymelitis manè ieiuno ſtomacho exhibeatur, valde præſentaneum remedium eſſe creditur. Inter Empirica quoq; , & à quibuſdam experta ponitur ſtercus pauonis in vino tenui potatum. Legitur apud Dioſcoridem lichenes eſſe in equorum genibus, & ſuper vngulas induratos callos, qui triti, & ex aceto ſumpti Epilepticis mederi traduntur. Memoriæ mandauit Spartianus Heliogabalum comedere conſueuiſſe camelorum calcanea, criſtas gallinaceis demptas viuentibus, pauonum linguas, & luſciniarum, quod qui illis ueſceretur, Epilepſiam non ſentiret. Pulmones leporis ſale adſeruati cum thuris tertia parte in vino albo per dies triginta exhibentur, velut eiuſdem coagulum, & illud ſimiliter vituli marini, quod vires caſtorij repræſentat. Vrſini, & aprini teſtes ad idem valere dicuntur, quemadmodum galli gallinacei, ſi in puluerem triti, ex aqua, & lacte ieiuno præbeantur per quinque dies cum vini abſtinentia. Audiāt obſecro vnum admiratione dignum, quod refert Celſus lib. 3. cap.

23. Quidam iugulati gladiatoris calido ſanguine epoto, tali morbo ſe ſe liberarunt: apud quos miſerum auxilium tolerabile miſerius malum facit. De hac re etiam Plinius in præfat. lib. 28. Legitur in Apologetico Septimij Florentis in arena iugulatorum nocentum ſanguinem recentem de iugulo decurrentem, auida ſiti ſolitum hauriri; quod ſic comitiali morbo remedia quæri opinarentur. Quinimò Aretæus lib. 1. De morb. Chronic. 4. narrat nonnullos ſe vidiſſe phialam ſubijcientes vulneri iugulati hominis, ac hauſtum cruorem bibentes: O facinus grande, inquit, malum malo piaculo depellere; & num ita ad ſanitatem peruenerint, nemo mihi, ait, affirmare potuit. Addit inſuper quendam ſe legiſſe ſcriptorem, qui humanum iecur epulandum proponebat. Profectò illud proponitur à Scribonio Largo, à quo etiam ſcribitur, quoſdam eſſe, qui ſanguinem ex ſua vena emiſſum bibant. Democritus ille, quem tanti fecit Hipp. dicebat in nonnullorum morborum curatione opus eſſe pollutione, veluti ſunt cædes, & culpæ, & menſtrua mulieris, & ſacrarum auium, vel vetitorum animantium carnes cibo datæ, & ſanguinis potus. Iatrochymici ſtillatitiam aquam è ſanguine humano educunt, quam morbis capitis plurimum prodeſſe ſcribunt, & Platerus in ſua Praxi loco iam adducto pro comitialibus ponit aquam ex ſanguine humano cum alijs rebus, quam apud illum videbitis. Amuleta denique, necnon & Periapta vocata ad morbum comitialem tot recenſentur, quot arenæ maris, vt nulli mirum videri debeat, ſi Damocrates ille Athenienſis apud Trallianũ adoleſcens adhuc, & morbo huic obnoxius, ad Delphicum Oraculum proficiſci voluerit, rogans, cum pleriq; offerrent alliganda Epilepſiæ contraria, quonam ex eis cum vtilitate vti poſſet. Cui ſic Pythia reſpondiſſe fertur.

De grege ſume capræ maiores ruris alumnæ
Ex cerebro vermes, & ouis dato tergora circum
Multiplici vermi pecoris de fronte reuulſo.

Oraculi verò ſenſum hunc eſſe ferunt, caprarum caput iuxta cerebri baſim multis ſcatere vermibus, qui ſternutamentis animali obortis in nares capræ inſiliunt. Oportet igitur veſte prius ſubſtrata, ne terram attingant, illos excipere, vnum, vel tres, & indutum pelle nigræ ouis collo alligare. Nota ſunt quæ traduntur a Dioſcoride,

ſcoride, & Tralliano de lapidibus illis in ventre pullorum hirundinum prima fętura excluſorum adinuentis. Secentur autem Luna creſcente, & inuenti lapilli priuſquam terram tangant, in iuuencæ corio, aut ceruina pelle brachio, aut collo alligantur, vel ſub axilla geſtantur, aut in puluerem redacti cum aliquo liquore bibuntur. Ferunt omnes ſmaragdum collo geſtatum, aut etiam per os aſſumptum ab Epilepſia præcauere. Eodem vis ineſſe creditur corallio rubeo; lapidi chelidonio, chryſolito, & vngulæ auis anulo inſertæ, & geſtato. Narrãt alij caput cuculi collo ſuſpenſum ab Epileptico caſu præſeruare, & addunt hanc auem Epilepſiam ad ſe trahere, ſicut magnes ferrum. Vnde eſt, quod huiuſmodi actis ſingulo menſe Epileptica corruit. Zona de corio lupi, vel aſini ad idem valere dicitur, vt viſcus quercinus collo appenſus, & pyrethrum ſimiliter, & multò magis cum Galeno, pæonia è collo ſuſpenſa. Sed obſecro his tandem omnibus finem faciamus, quæ ſiue Empirica ſint rationalia, ſiue non rationalia, hoc eſt Homerica dicta, vt Trallianus ait, ſeu clarius Periapta, aut Amuleta, quæ, vt ſcribit Gal. 2. Catat. 2. & Plinius lib. 25. cap. 29. vel extrinſecus poſita, vel interius aſſumpta nullam habent medicam rationem, ſed iuxta quandam mirabilem proprietatem nobis incognitam efficacia eſſe dicuntur, apud Dioſcoridem, Plinium, Aetium, Alexandrum, & alios infinitos ad nauſeam vſque exarata reperiuntur. Quinimò & Galenus noſter de his librum compoſuit, prout ad varios morbos accõmodari poterant, qui tamen deſideratur. Quem librum de occultis rerum proprietatibus inſcriptum pollicetur ſexto, & vndecimo Simplicium, & citat Trallianus lib. 9. c. 4. Vbi in ſumma ægritudines longæ ſunt, & contumaces, nec tot, tantiſque præſidijs cum ratione excogitatis euinci, ac ſuperari poſſunt, omnes facilè ad prędicta confugiunt. Vnde in hiſtoriis proditum eſt, Caracallã Imperatorem lege cauiſſe, ne quartana incantationibus, & ſuperſtitionibus curaretur. Vos, vbi præcipuè hæc ſunt externa, & Phyſica, non Magica Amuleta, vti verba, characteresq; a Theologis dãnata, neutiquam repugnetis, ſed adminiſtrari permittatis, quia non lædunt; ne vetula accedens, aut Empiricus aliquis aliquod ex dictis adhibens, præmium victoriæ, quam reuera peperit recta, & rationalis præmiſſorum medicamentorum adminiſtratio, iniuria
aufe-

auferatur. Ne dicam quòd huiuſmodi ſępe per accidens, & ex euētu proſunt, propter vim imaginationis, quia plures ſanat, in quem plures credunt, & bona confidentia ægrorum (inquit Auicenna) plus poteſt, quàm omnia remedia Medicorum. Phantaſia enim habet imperium in ſpiritus, & humores morborum parentes. Cenſeant tamen quidquid velint Platonici, mihi certè ſemper placuit, ne morbis, & ſuſurris curatio fiat. Veriſſimum enim eſt quod legi olim apud Paracelſum (licet viri parum Chriſtiani, & ſolidam omnem Philoſophiam ſubuertētis ſenſus nō idem cum meo ſit) in lib. De cauſis inuiſibilibus: Verba, & characteres ſunt Medicinæ Dæmonũ; ſyrupi, & apozemata hominũ, necnon etiã ingenioſum Periclis dictum, quod ex Theophraſto refert Plutarchus in illius vita. Nam cum in morbo quodam ſæuo Periapta collo ſuſpendi paſſus eſſet, amicis quibuſdã hac de re fortaſſe mirantibus reſpondiſſe fertur. Si compos fuiſſem mentis, nunquam tales quiſquilias admiſiſſē. In proximè habenda Lectione Chirurgiam aggrediar.

De eiuſdem Epilepſiæ curatione per Chirurgiam & primò de ſanguinis miſſione controuerſiæ Medicorum proponuntur, & ſedantur, Lect. XLII.

AVDIVISTIS hactenus Epilepſiæ per eſſentiã in cerebro genitæ à materia cum pituitoſa, tum melancholica integram, ni fallor, curationem per illa medica auxilia, quæ ab inſtrumēto Pharmaceutico nuncupato elici poſſunt, quæ tamen, quia per ſe ſola, & non accedentibus alijs præſidijs, quæ à manuum operatione, vel Chirurgia depromuntur, aut nihil, aut certè modicum emolumenti ægrotantibus afferrent, idcirco differenda non ſunt, quæcunque ab hoc alio fonte pro comitialium ſalute hauriuntur. Sub trutinam ergo, atque examen venient ſanguinis miſſio tam per venã ſectam, quàm per hirudines, & ſcarificatas cucurbitulas, cauteria, & phœnigmi, ſeu metaſincritica medicamenta, quibus ab alto, & profundo foras ad extimam cutim, & peripheriam peccantes euocantur humores. Quantum ad ſanguinis vacuationem, quæritur primùm an conueniat, &, ſi conuenit,

uenit, qua copia, quo tempore, à quo loco, ſeu per quas venas hæc operatio celebrari debeat. Vnde ego, qui ſanguinis miſſionem in Epilepticis per quam neceſſariam, nedum vtilem, atq; proficuam eſſe ſemper exiſtimaui, afferam vobis prius rationes, quibus aliquis adduci poſſet, vt crederet hoc in mali genere tale præſidium locum minimè habere, deinde ſolutione allata, probabilioribuſq; adductis veterum Medicorum innixis teſtimonio, & auctoritatibus, concludam ſanguinem in Epilepſia tam curationis, quàm præcautionis gratia alacriter eſſe detrahendum.

In primis nō videtur ſanguinis miſſio in Epilepticis conuenire, & cum ratione imperari, quia, vt ſupra etiam in Lethargo dictum eſt, humores, qui morbum faciunt, crudi ſunt; ergo indigent nō vacuatione, ſed coctione. Inſuper Epilepſia à quibuſdam Medicis magni nominis, vt aliàs intellexiſtis, collocatur inter morbos chronicos, ita vt Celſus dixerit longam eſſe vſq; ad mortis diem, & vitæ non periculoſam. Sed in huiuſmodi morbis Medici non tam ad præſentes, quàm ad futuras vires mentis acie directa, ſanguinem è venis minimè hauriunt. Præterea in frigido affectu, qualis Epilepſia eſt, ſi ſanguis mittatur, eo magis recrudeſcet, ac refrigerabitur. Tandem cur ſanguinis miſſio fit, ſi cum ſanguine peccans materia non educitur, quæ craſſa plerumq; eſt, & viſcida? His rationibus, quę pariter militant pro alijs cerebri affectibus frigidis, fauet quàm maximè, quod Gal. 6. Aphor. 47. videtur potius purgationem pituitoſi humoris, quod etiam de melancholico dici poteſt, laudare, quemadmodum & in libro; Quando, & quomodo purgare oporteat. Accedit quòd cum alij, tum Meſue nullam de hoc remedij genere mentionem facit in Epilepſiæ curatione. Quibus tamen omnibus facilè reſponderi à nobis poteſt. Ad primam dicatis, materiam crudam nō egere vacuatione, intelligi, ſi ſolùm ſanitas ſeruanda ſit, non item ſi prohibendus, aut tollendus magnus morbus, qualis eſt comitialis, nec non Lethargus, vt alibi dixi. Ad ſecundam, Medicos illos, qui ſanguinem mittendum præcipiunt, ad acceſſiones reſpicere, quæ acutæ ſunt, & interdum modico temporis interuallo recurrentes, cum euidenti vitæ diſcrimine. Ad hæc, quod obijciebatur, verum eſt in morbis, qui aſſiduè affligunt, & temporis diuturnitate vires omnes eneruant, ſed Epile-

pſia

pſia periodica exiſtit, poſt cuius ſolutum paroxyſmum vires iterum refocillantur. Ad tertiam, qua multi adducti à tali præſidio abhorruerunt, refrigerari magis, & recrudeſcere affectum, veritatem habere tantummodo, ſi multa, & copioſa fieret ſanguinis miſſio, & ſi non de materia tolleretur, quæ morbum fouet, & calorem innatum ſua copia præfocat. Ad quartam, falſum eſſe vnà cum ſanguinis eductione aliquid pituitæ non vacuari. Fuſa ſiquidem eſt, & liquida in venis, vt non rarò videamus multum humoris pituitoſi etiam viſcidi ſecta vena educi, ac minorari. Auctoritates Galeni non conuincunt ſanguinem haud eſſe mittendum in Epilepticis, ſed eos quammaximè iuuari à purgationibus, quibus tamen ſolis videntur fuiſſe contenti Meſue, & alij quidam, quos vocant, Practici. Ego verò præſentaneum auxilium credo eſſe ſanguinis miſſionem hoc in caſu, velut in alio quocunque magno capitis affectu, etiam à cauſa frigida prædominante; dummodò reliquum corpus non ſit valde exangue, vniuerſuſq; habitus ad frigidum magnopere vergat: qualia ſunt ſenum corpora, de quibus præcipuè crediderim intelligendum eſſe Aetium, qui de ſanguinis miſſione in apoplexia loquẽs ait: Phlebotomia aut apoplecticos ſeruat, aut citò perimit: ſeruat ſi fuerit ſanguinea, perimit ſi pituitoſa. Epilepſia itaque magnus morbus eſt, & acutus, vt cum ex alijs, tum præſertim ex Galeno patet 5. Aphor. 30. At in omnibus acutis, & magnis morbis, dummodò vires valeant, & reliqua conſentiant, ſanguis mittendus eſt, quemadmodum clarè conſtat ex Hipp. 4. De rat. vic. in acut. tex. 24. Præterea ſanguinem mittimus quàm ſæpè in frigidis affectibus, non tantùm quia de crudo etiam, aut craſſo humore multum emittitur, & inde onere leuata natura neq; fluxionem tentat, & quod reliquum eſt concoquit, abſumitque, ſed quoniam licet ſanguis non peccet ſub ratione cauſæ principalis, nihilo tamenccetius habere ſolet aliquando rationem cauſæ adiuuantis, vel ſine qua non, in morbis potiſſimùm, in quibus ad calidiora præſidia deueniendum eſt. Vt ſileam quòd ſi non vacuationis gratia, ſaltem auerſionis nomine haud infrequenter aufertur. Quare hinc factum ego putauerim, vt non ſolùm Hipp. loco citato tex. 25. & poſt eum Celſus cap. proprio, ſed etiam Gal tum lib. De venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum cap. vltimo, De curandi rat.

per

per ſang.miſſ.cap.7.& 10.tum lib.Meth. 12.cap.18.non modò in Epilepſia,verùm quoque in Lethargo,caro,& catocho,& attonito morbo per initia ſanguinem mittendum eſſe exiſtimauerit per illa verba. Itaque ſecanda in talibus affectibus vena eſt, ſtatim ab initio,ſi modò tunc valens virtus ſit,vt ſine noxa ſanguinis miſſionē ferat,ac nihil eorum prohibeat, quæ de ſecanda vena retulimus, ſicuti,vel crudi humoris copia, vel pueriſis ætas,vel anni tempus regioue,in qua ſit extremus, aut calor, aut frigus,& reliqua. Neque poteſt veſtrûm aliquis Galenum uerbis illis, ſi adſit crudi humoris copia,prohibere ſanguinis miſſionem; quia non de crudis humoribus in uenis exiſtentibus ſermonem habet, ſed de ijs tantummodò, qui in uentre, aut uentriculo ſtabulantur, ueluti nono eiuſdem operis cap.5.& 11.cap.14.apertè declarat, ad quæ loca dubio procul reſpicit, dum ait: ac nihil eorum prohibet, quæ de ſecanda uena retulimus.Meſues,& aliorum quorundam ſententia amplectenda foret, ſi Epilepticorum corpus uniuerſum undiq; frigidis,& crudis ſuccis abundaret, itaut humores hi a ſanguinis natura longè,latèq; recederent, nec unà cum ſanguine educi, ac minorari poſſent; tunc enim ab hoc remedio abſtinendum penitus eſſet,ſaltem quoad uenam ſectam, ut per Galenum patet tam lib. De cur.rat.per ſang.miſſ. 12. quàm lib. 4. De tuen. ſanit.& 3. lib. Com.4.in 6. Epidem.Quòd ſi aliquis à me quærat, quomodo cognoſcere ualeat,quando humores a ſanguinis natura recedunt,& quando ſecus, huic pro me reſpondeat ipſe Galenus 4. De ſanit. tuen. quoniam uidelicet quando humorum à ſanguinis natura ſecretorum in uniuerſo corpore exuperantia adeſt,hoc facilè diſcernitur,prçſertim ex uirium obſeruatione,quæ quidem in multa humorū copia,qui plurimum à ſanguine receſſerint, ſeruari nequeūt robuſtæ, ac validæ,vtpote quarum vniuerſum fundamentum in ſanguine conſiſtit, & ego ſupra ex eodem Galeno dixi vobis non eſſe deueniendum ad ſanguinis extractionem in Epilepticis, niſi vires conſentiant,& vegetes ſint: quod cum affirmabam luce clarius etiam ſignificabam, in ijs abundantes humores non admodū longè diſtare à ſanguinis natura. Quam rem pariter dignoſcere poteritis ex colore vniuerſi corporis, ex colore, ac tumore venarum,necnon ex colore, ac ſubſtantia vrinarum, quæ humorum

qua-

qualitatem, & naturam ſolent oſtendere, qui in venis continentur, cum ſeroſa illorum pars per vrinas excernatur. Vnde ſi vrina ipſa colore, & ſubſtantia parum diſcrepet ab ea, quę cum rubedine craſſitudinem præſefert, ſignum vobis erit, ſanguinem exuperare, & humores a ſanguinis natura non valde recedere Sed interim dicet alter hæc habere veritatem, ſi de vniuerſo corpore habeatur ſermo, at ſi de plenitudine alicuius determinatæ particulæ, & capitis præſertim loquamur, virium robur non ita, vt antè ſignificabit. Hoc vtique veriſſimum eſt, ideoq; potius idipſum demonſtrabitur vobis ex colore, & venis malè affectæ particulæ, & in caſu noſtro ex facie, & oculis. Nam oculorum aſpiciendus eſt color, & venæ etiam in eis notandæ, an plenæ, & tumidæ: ſi benè colorata ſit facies, & calida potius, quàm frigida; Ex quibus omnibus vbi curanti Medico conſtabit, materiam, quæ Epileptico negotium faceſſit, ad ſanguinis naturam proximè accedere, protinus de ſanguine auferendo cogitabit, quidquid alij contra ſenſiſſe videātur. Conuenit itaq; hoc in affectu ſanguinis miſſio, dummodo requiſita dicta vnà reperiantur. Hinc alia inſurgit dubitatio valde vtilis, & digna quæ vobis adhuc in Arte tyronibus, & Medicinæ vix initiatis explicetur. Dato quòd curandus offeratur aliquis Epilepſia detentus, cui educere ſanguinem non poſsimus, aut quia vires non putantur duraturæ, aut ætas, vel tempus prohibent, aut ægrotus ipſe prę luxu, & animi mollitie venam ſecari non permittit, qua ratione inſtituenda erit curatio? Vbi laborātis vires imbecillæ ſanguinis vacuationem per venæ ſectionem, cucurbitulas, & hirudinis minimè ferre poſſe videtur, alia ratione auertēdus, & reuellēdus erit impetus humoris, qui in caput fertur, ſequendo nimirū, ac imitādo Gal. 5. Meth. 13. in curatione illius matronæ Romanę, quę ſanguinē è ſpiritalibus mēbris expuerat. Nō enim auſus eſt Gal. illimet matronæ, quę per aliquot dies ieiunauerat, & prę inedia debilis erat, ſanguinē mittere, ſed alia via inceſſit, ablegatiſq; omnibus alijs euacuationibus, ſolis clyſteribus acrioribus, necnō vinculis, atq; frictionibus toti corpori, excepto capite, adhibitis, & corpus vacuauit, & reuulſionē molitus fuit. Hæc omnia alacrius impetranda, ſi æger non quidem ob virium infirmitatē, ſed propter animi mollitiem, ac luxum, quod in uiris diuitibus, atque principibus ali-

aliquando contingit, à ſanguinis miſſione vobis abſtinendum erit. Dicebat enim Gal. 4. De ſanit. tuen. 2. aluũ liberalius eſſe ducendam, à quibus ſanguis non aufertur, & quia non minus medicamenta per os aſſumenda reſpuunt, ac negligunt, quàm ſanguinis detractionem, clyſteres imperentur, non ſolùm acriores, ſed ſæpius etiam inijciendi; velut frequentes, validæq; frictiones, & cætera iã expoſita. Quod ſi ſanguinis vacuatio per cucurbitulas ſcarificatas dorſo, & cruribus admotas, ſicut per hirudines hæmorrhoidibus fieri permittatur, inſtar erit aliarum vacuationum, quæ mox dicebantur, & vicem geret phlebotomiæ, vt ait Auicenna. Quare & pueris & ſenibus, in quibus per ætatem à venę ſectione deſiſtimus, ab hiſce partibus detractus ſanguis mirabiliter confert, nec vlla inde noxam in viribus timere debemus, vt eſt communis omnium Medicorum conſenſus. Quantum ad copiam, ſeu quantitatẽ extrahendi ſanguinis, memoria recolatis quod nos admonebat Galenus lib. 1. ad Glauc. 14. ſanguinem haud eſſe mittendum pro magnitudine affectus, quia ſæpè vires nimis labefactantur, in morbo pręſertim, qui paroxyſmorum frequentia, & ſymptomatum magnitudine patientem non rarò de medio tollit, & in quo ſanguis ad pituitoſum, vel melancholicum vergit. Hinc etenim ſumpta indicatione parcius vtique mitti ſanguis debet. De huiuſmodi namq; Epilepſia ſermo noſter accipiendus eſt, vtpote frequentiſſima, & de qua in primis Hippocrates, & Galenus intelligi voluerunt. Quod ſi de Epilepſia ſanguinea aliquis intelligeret, nulli dubium quòd alia ratione res hæc dirimenda foret. Hanc enim dari multi contendunt ex Hippocr. & Gal. 4. De rat. vict. in acut. tex. 23. & ex Pror. potiſſimùm verò ex illa ſententia, quæ legitur etiam in Coac. prænot. lib. 4. ſect. 2. Aphor. 20. Qui ſtatis interuallis ſanguinẽ fundunt, ſiticuloſi, ſiquidem non effuderint ſanguinem, Epileptici moriuntur. Quanam verò ratione, & quo pacto à ſanguine Epilepſia gigni poſſit, ingenioſè oſtendit Mercatus & in Praxi, & Conſultationibus conſult. 3. Refert enim ad abundantiam ſanguinis, præ qua venæ cerebri tumefactæ leui compreſſione eiuſdẽ cerebri cauitates coarctant, vt natura conetur maius malum præcauens, conuulſiuis motibus excitatis, id vitare. In hac itaque Epilepſia cui dubium, largiter, & copioſè mittendum eſſe ſanguinem,

iuxta illud quod dicebat Hippocrates aphoniã ſolui venæ ſectio-ctione. In tempore autem, quo mitti ſanguis debet, duplex conſideratio; vel enim ad anni tempus reſpicit curans Medicus, vel ad morbum; ſi ad primum Gal. de curan. rat. per ſang. miſſ. cap. 7. & 10. ijs, qui facilè in comitialem morbum incidunt initio veris ſanguinem mittit, quem nos ſequi debemus; ſi ad ſecundum audiatur Celſus lib. 3. cap. 23. qui ſic loquitur. Expectãdus eſt dies quo prolabitur, vtendumq; tunc, vel ſanguinis miſſione, vel ductione alui, vel nigro veratro, ſicut præceptum eſt. Quare vult Celſus ſecãdam eſſe venam imminente acceſſione, vt vacuetur ſanguis, & fiat à capite reuulſio. Remanet vltima dubitatio de loco, & per quas venas extrahi ſanguis debet in Epilepticis, vt omnis, quod aiunt, lapis hac in re moueatur. Aretæus ſecat venam cubiti, & frontis; cuius ſententiæ videntur etiam fuiſſe Cælius Aurelianus, & Paulus. At Celſus in citato loco, & Galenus De cur. rat. per ſang. miſſ. c. 19. e cruribus potius ſanguinem hauriunt. Ex altera parte idem Galenus eodem in libro, & 1. Com. in 6. Epidem. atque alibi ſæpè in capitis affectibus venam humeralem, quam cephalicam appellant incidendam eſſe tradit. Auicenna verò vtraſque pertundit. Pro tollenda huiuſmodi controuerſia, & hac ſedanda contrarietate ignorandum vobis non eſt, poſſe à Medico tam ſuperiores, quàm inferiores venas in Epilepſia ſecari, pro diuerſitate nimirum intentionum, proque vario ſtatu, varijſq; conditionibus corporis Epilepſiã patientis. Vbi in capite, & cerebro materia reſidet, iamq; ad læſam partem aut omnino, aut maxima ex parte fluxit humor, qui morbum fouere poteſt, neque in alijs vllis particulis notatu digna exiſtit humorum repletio, de qua verendum ſit, ne in caput feratur, tunc tutò, & cum ratione ſanguinem mittetis ex ſectione venarum propriarum capitis, vt ſunt vena frontis, venæ narium, & quæ ſub lingua latitant, vel poſt aures excurrunt, appoſitis hirudinibus. Fortaſſe etiam conferet ſecare venam illam, de qua Rondeletius in Meth. cur. morb. cap. de conuulſione, vbi hæc leguntur: In tetano tamen, alijſq; colli conuulſionibus, vt & in Epilepſia, ſecare prodeſt venam non omnibus cognitam, quæ in prima dorſi vertebra conſpicitur elata, & per ſummum vertebrarum ſpinæ ad os vſque ſacrum deorſum perreptat, & paulò ſupra primam eam

dorſi

dorſi vertebram in ſpinam ſubiens occulitur. Quod ſi habenda ratio ſit non modò præſentis,& defluxæ materiæ, ſed alterius quoq; quæ vel iam fluere incepit,aut ſaltem timor eſt,ne fluat, quoniam & alia particula ex ijs, quæ ſupra clauiculam ſunt, humorum copia repleta apparet,nec non vacuatione ſimul, & reuulſione opus eſt,nulli dubium quod incidenda erit cephalica,quia per hanc generaliorem vacuationem partes capiti vicinæ vacuantur,ac deorſum reuelluntur ſucci, ne ita facilè ſurſum ad affectam ſedem efferantur. Vbi plenitudo reperitur tam in partibus, quæ ſunt ſupra collum,& clauiculam,quàm in his, quæ ſunt infra, hæc plethora deplenda per ſectam venam mediam, quæ fit ex coalitu vtriuſque, videlicet humeralis,& axillaris. Si verò plenitudo ad viſcera quoque pertingat,& mali fomentum pendeat à iecore,& partibus circumſitis, ob eorum plenitudinem, qui non videt ſtatim eam venã eſſe aperiendam,quæ citiſſimè poteſt illud fomentum ſubtrahere, auertere fluentem humorem, & aliquid è capite detrahere? Vndecunque enim mittatur ſanguis,tandem ea vacuatio toti corporis impertitur. Eſt autem vena interior,alias baſilica, quæ velociſſimè,& plurimum ex his,quæ principes ſunt,partibus, corpus euacuat,ad quam propterea in acutiſſimis morbis ſeſe confert Hippocrates 4. De rat. vic. in acut. 22. Si denique mali origo eueniat aut ex menſibus cohibitis,aut ex ſuppreſſo ſanguine ab hæmorrhoidibus fluere ſolito,reſq; adhuc in principio ſit, dum materia in motu eſt,dubiò procul ad venas pedum,vel tibiarum pertundendas, vel ad loca illa ſcarificanda,vt ſanguis inde emanet, ac detrahatur,confugere oportet, humerali, aut alia quacunq; vena ſuperiore relicta. Alioquin enim humores ad ſuperiora manifeſtè concitarentur. De inciſione tamen venarum ad pedes attinentium, perpendenda ſunt verba Galeni ex lib. De cur. rat. per ſang. miſſ. vbi ait,quòd cum ſanguis ineunte vere mittatur alicui, qui ſit ab aliquo morbo corripi ſolitus,vt eum tueamur,antequam morbus inuadat,conſiderandum eſt, an ſit ſolitus aliqua certa particula potius affici,an verò morbus is ſoleat totum corpus capere, ſicut arthritici, qui omnibus laborant articulis; nam ſi totum pariter ſit obnoxium illi affectui vndecunq; ſanguis detrahitur, non multum refert; vndecunque enim poteſt,vt iamiam dicebam,totum exina-

naniri; ſed in quibus præcipuè pars quæpiam ſolita eſt aliquo incommodo tentari, non ita expedit ex quacunq; parte ſanguinem auferre, ſed ita hi ſunt tractandi, ſicut illi qui laborare incipiunt. Idcircò addit Galenus: Podagricos ex cubito vacuato, vertiginoſos verò, & comitiali morbo obnoxios potius ex cruribus. Ex qua Galeni doctrina facilè elicitur, uertiginoſos, & Epilepticos ab initio, & cùm primùm laborare incipiunt, uacuandos eſſe per ſectas venas in cruribus, ueluti podagricos, cũ dolere cœperint, per eas, quæ in cubito ſecari ſolent. Hæc omnia hucuſque allata de uenis ſecandis, non magis ad Epilepſiam, quàm ad alios quoſcunque capitis, & cerebri morbos pertinere videntur, ex illiſq; facilè colligitur ſolutio contradictionis propoſitæ in ſanguinis miſſione facienda in comitialibus. Si itaque totum corpus, & caput ſimul in animo ſit euacuare, nec ſuppreſſæ ſint menſtruæ purgationes, aut cohibitæ hæmorrhoides, abſque vllo dubio tundendæ ſunt venæ ſuperiores nempe brachij, quia partes illæ ad caput pertinentes ab humorum copia grauatæ ita melius exonerantur; ſi verò magis reuellere velimus, & naturam ad noxias materias in infimas, & longinquas partes ablegandas inuitare, tunc profectò uenas inferiores incidere magis expediet. Adhuc enim morbus ſuam ſedẽ in capite fixam non habet, ideoq; à tentata tunc primùm fluxione parte longe reuellere conducit. Sunt è Practicis, qui auctoritate Rhaſis tam in Epilepſia, quàm in Phrenitide, & incubo ſanguinem primò è ſaphena mittendum cenſent, quando uidelicet magna eſt totius corporis repletio, aut ex retentione ſanguinis hæmorrhoidalis, aut menſtrui mala illa proueniant, deinde cephalicam tundunt, ultimo loco uenam frontis. Hæc ergo dicta ſufficiant de uenæ ſectione in Epilepticis, & de controuerſijs Medicorum in hoc celebrando remedio. De uacuatione per hæmorrhoides, & alijs Chirurgicis auxilijs in craſtina uerba faciemus.

De

De ſanguine ex hæmorrhoidibus vacuando; de Cauterijs, & Phœnigmis. *Lect.* XLII.

QVAELIBET naturæ actio rectè facta noſtra debet eſſe inſtructio in auxilijs ægrotantibus admouendis,& procurandis.Dicit enim Hippocrates lib.de Arte:Natura ſtimulata, & impulſa artis peritis quæ facienda ſunt demonſtrat. Vnde Medicina ad naturæ imitationē effecta,eādē, quantum poteſt,imitatur, multaq; præſtantur a Medicis cum euidenti vtilitate natura magiſtra,quæ non edocta, & nullo vſa præceptore, ea,quibus opus eſt,facit,apud eundem Hippocr. 6.Epid. Sect. 5.Quod ſi vllibi,certè in prẹſenti materia quàm maximè elucet.Hęmorrhoidum enim apertio,cauteriorum excitatio,& phœnigmorum vſus in ijs,qui Epilepſiæ obnoxij eſſe ſolent, an non luce clarius à natura nobis præmonſtrantur ? Vnde paulò ante ad finem Sectionis tertiæ idem Hippocr.dicebat. Qui hæmorrhoides habent,neque pleuritide,neque peripneumonia,neq; phagædenis, neq; furunculis,neq;tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur,fortaſſis autem neq; lepris, fortaſſis neq; vitiliginibus. Multi tamen intempeſtiue curati, talibus non tardè correpti ſunt, & ſic pernicioſè fuerūt:Et quicūq;alij abſceſſus,velut fiſtulę aliorum medela ſunt.Decubitus humorum ad aliquem locum, in quibus factos affectus liberat, in his prius ipſe factus,illos impedit. Ex eodem Hippocrate in fine ſextæ Sect. illius operis colligitur, hæmorrhoides ſanguifluas prohibere incipientem atram bilem,& ſanare durum lienem.Sic habetis apud Hipp.6.Aphor.2.hæmorrhoides ſuperuenire melancholicis bonum eſſe, quod etiam tradit Galenus Com.Aphor.21.ſect.6.Ita Medici didicere in morbis nephriticis, & melancholicis venas illas aperire. Melancholiam enim, ait Gal. non ſolùm incipientem hæmorrhois ſæpius prohibuiſſe viſa eſt, ſed etiam iam factam curaſſe,& lienem induratum. Imò & varices talia curant,podagraſq;, & arthritidas.Ex quo fit, vt rarò ſine grauioris incommodi metu hæmorrhoides ſupprimātur. Dicebat quinetiam Auicenna 1. ter. tract. 5. cap.8.ex Ruffi

Epheſij ſententia, quòd cùm apparet Albaras in partibus capitis Epileptici ſignificat reſolutionem Epilepſiæ,& ſanitatem.Et Hipp. 5.Coac.prænot. Sect.1. Aph.23. ita ſcripſit:Capitis dolorē ſoluit pus per nares effluens,ſputa craſſa,& ſine odore : ſoluit quoque vlcerum eruptio: aliquando & ſomnus,& alui profluuium.Vbi Hollerius enarrans verba illa;vlcerum eruptio;& hoc,inquit,abſceſſus rationem habet κατα μετάςασιν quod imitati Medici in pertinaci dolore capitis impreſſis cauterijs materiam foras euocant, medicamentis veſicas, & vlcuſcula emouent. Sed ne ab hæmorrhoidibus longè diuertamus, audite obſecro Hippocratem in Coac.prænot.Sect.2.lib.4.Aph.21. ita loquentem:Ex hæmorrhoide parum apparente vertigines prouenientes paruam,& quæ paulatim fit,ſyderationem ſignificant. Id autem phlebotomia ſoluit. Ac quicquid huiuſmodi apparuerit,aliquid mali ſignificat.Idem Hollerius in hæc verba Hippocr.ait. Quomodo igitur profluentes hæmorrhoides melancholiam,Epilepſiam,plenitudinem, vlcera maligna,& quæ φαγέδενα,furunculos,lepram,pſoram,vitiligines, vertigines,& ſanant, & ne fiant, prohibent:ita ſi conſuetæ ſupprimantur, eadem mala poſſunt inuehere.Hic autem ſolas vertigines annotat, alia quoq; vitia inaudiens,vt Epilepſiam,cuius prænuncia vertigo.Præterea ſcripſit Hippocr.lib.7.Sect.2.ſent.3.Apoplecticis hæmorrhoides ſupernatæ vtile. Ad rem igitur noſtram propius accedendo dico, quòd hæmorrhoidum apertio in comitialibus multis de cauſis locum habere poteſt. Si ab humore melancholico craſſo,& fæculento in illis malum originem trahat,ex ſanguine à venis illis educto,par accedet vtilitas Epilepſiam patientibus ab huiuſcemodi cauſa, ac accedere ſolere conſtat experimento,& auctoritate Hippocr.& Galeni melancholia detentis. Si ab humoribus pituitoſis Epilepſia genita ſit,& in venis illorum copia exuberet; auerſionis nomine prodeſſe quoquo modo poterit venarum illarum reſeratio, quatenus deorſum ſit aliqua peccantis materiæ reuulſio,& euacuatio etiam. Quod ſi a ſanguine,vel bile, vt nonnulli contendunt,aliquando fieret id mali genus, copiam minuendo,& feruidum,ac bilioſum ſanguinem extraducendo,euidenter comitiales iuuant adapertæ hemorrhoides. Quod ſiquidē interdum tenuis, & floridus ſanguis, non ſemper craſſus,& niger

excer-

excernatur per illas venas,tum ſenſus clarè vobis demonſtrat, tũ ratio dictat,& auctoritas confirmat.Illa quidem quoniam per ora venarum quilibet ſanguis egreditur, imò craſſiore facilius prodit tenuior.Hæc quia apud Meſuem cap.De vertig. & Phrenit.legitur quòd hæmorrhoidum prouocatio plurimum in omnibus vtrorũq; affectuum differentijs prodeſt.Inſuper quando Hippocr.loco citato aſſerit hæmorrhoidibus laborantes non corripi phrenitide, neque peripneumonia,neque phagædenis, nobis manifeſtè ſignificauit à venis illis bilioſum quoque ſanguinem euacuari, eo quod morbi dicti à bilioſo ſanguine producuntur. Contra obijciet quiſpiam Galenum clarè affirmare 6.Aph. 2. venas hæmorrhoidales aptas eſſe natura, vt euacuent ſanguinem craſſum. Reſponſio ſit ſanguinem per huiuſmodi venas vacuari vt plurimum, & maiori ex parte craſſum,ac fæculentum, & ideo hæmorrhoides ſuppreſſæ aperiuntur,vt ſanguis craſſus vacuetur.Non rarò tamen inde contingit ſanguinis etiam tenuis, & bilioſi fieri vacuationem. Dici forſitan poſſet,naturaliter ſanguinem craſſum,non naturaliter verò quemcunq; ſiue craſſum,ſiue tenuem inde proſilire. Et hoc pacto componitur pugna,quæ apparet in Galeni doctrina. Aliquando ſanguis in pueris,aut alijs, ſed imbecillioribus ab hæmorrhoidibus vacuatur, dum neque ex venis brachij, neque pedum per ætatem,ac vires infirmiores haurire ſanguinem licet. Minor ſiquidem fit ſpirituum iactura,ac virium diſſolutio. De cucurbitulis tã ſcarificatis,quæ cruribus,& dorſo applicantur,ſeu vacuationis,ſeu reuulſionis gratia, quàm etiam non ſcarificatis, quæ pluribus corporis partibus ad reuulſionem à capite faciendam admoueri ſolent, ſuperuacaneum eſt vlterius loqui,quoniam res eſt cunctis manifeſta. Quantum ad cauteria,de his abundè ſupra actum fuit; & aliqua nunc etiam afferenda ſunt. Magnopere ergo fonticuli ab omnibus ferè commendantur, & à Medicis cum ratione excitantur ad inſtar vlcerum illorum, per quæ à natura ſponte facta multi,ac ſæui morbi euincuntur. Accedit Cornelij Celſi teſtimonium lib.3. cap. 23. vbi ad hoc præſidij genus veluti ad ſacram anchoram, ſeu ad vltimum remedium in comitialibus nos confugere affirmat:In quorum tamen præſcriptione non temerè, & inconſideratè procedendum, imò diligenter memoria recolendum

fonticulos eſſe ſimiles abſceſſibus, quos natura, dum rectè operatur, ſemper infra morbum molitur. Vnde Hippocr. 2. Epid. Sect. j. Abſceſſus boni ſunt, qui infra morbum fiunt, & optimi qui longiſſimi, ac remotiſſimi ſunt à morbo. Hoc ideo dico vobis, vt prius quam Epilepticis cauteria affigantur, de loco, & parte, cui conueniunt, certi ſitis. Si etenim in Epilepſia per conſenſum ab infernis partibus enata, partes capitis inurantur, in ipſiſq; fonticuli fiant, quis adeò ſtolidus, qui nõ cognoſcat hoc eſſe materiam Epilepſiæ ad locos affectos in cerebro attrahere, & morbum adaugere? Tunc enim aperiendi ſunt in cruribus, non brachijs, & multò minus in capite. Vnde non poſſum vndequaque probare conſilium Plateri, dum lib. j. Obſeru. in Epilepſia diuturna, quæ à tumore in manu ſuborto, & in vlcus conuerſo originem habebat, cauterium occipiti affixit. Vt occurrerem, inquit, paroxyſmo, qui metuebatur, cauterium in ceruicis poſteriore regione fuit appoſitum; niſi dicatur affectum tunc potius è ſympathia in idiopathiam demigraſſe ex longa patiendi conſuetudine. Concludit nihilominus idem ſcriptor hominem illum deſperabundum ſeſe interfeciſſe, neſcio ex animi triſtitia propter morbum inſuperabilem, an quia inde pſeudomaniacus factus. Nam & in melancholicis per conſenſum capitis cauteria damnantut, quamuis in altera melancholia non ita ſe res habeat. Vnde non deſunt, qui cauteria capitis melancholicis multum prodeſſe putant, eo quod ex vulneribus caſu in capite receptis, melancholicos ſanatos fuiſſe, ex hiſtorijs a Gordonio, & Rondeletio allatis clariſſimè cernitur. Ideo Mercurialis cap. de Mania ad finem: ſed, ait, non ſolùm cauterium vnum, vel alterum in capite iuuat, ſed ſi fiat etiam in ambobus, & brachijs, & cruribus mirificum adiumentum afferunt: Et ego ſcio quandoque hîc Patauij nobiliſſimum iuuenem furentem, poſt infinita remedia, tãdem redijſſe ad mentem, vſu quatuor cauteriorum in brachijs, & in cruribus. Quando verò ex propria, & peculiari cerebri affectione Epilepſia oritur, cauterium decliuiori capitis parte ad occiput affixum, diuq; locus ille adapertus conſeruatus paſſim a Medicis celebratur, vt per huiuſmodi emiſſarium, atque fonticulum continuo exeat materia in cerebro genita, atque collecta, diuertaturq; hac arte à ventriculis, & nobilibus cerebri particulis. Sunt

etiam

etiam qui laudant ſuper commiſſura vocata coronali; puto tamen ego illius partis fonticulum neque ita tutũ, neque ita proficuum. Quinimò Aretæus perforabat primam caluariæ laminam, & ante illum Hippocr. 2. De morb. in eo morbo; ſi fuerit aqua in cerebro; poſt alia præſtita auxilia; Inciſo, ait, capite, iuxta ſinciput, ad cerebrum vſque perforato, & veluti ſectionem, ac perforationem curato. Idem paulò ante ad cerebri morbos contumaces applicat octo quaſi cauteria, duo in occipite, totidem in naſo iuxta maiorem angulum, duo pone aures, totidem ſupra arterias, quæ ibi pulſant, quas ideo vrit, & callo obducit, vt vaporum aſcenſum prohibeat, quod pariter in vertigine ad eundem vſum ſuaſit Galenus. Scribit Iacobus Fontanus lib. 1. ſuæ Pract. c. 19. falconarios, aut qui falconibus præſunt, eos liberare ab Epileptico morbo, aperto oſſe capitis prope roſtrum inter duas nares, cum ferro candente. Per foramen enim egreditur ichor quidam, quo egreſſo falco ab Epilepſia liberatur. Verùm dum egreditur aqua ex foramine, ſenſim eſt educenda, vt in hydrope, & iecoris tumoribus præter naturam. Marcellus Donatus lib. 2. de Hiſt. Med. experimentum adducit, quod profectò dignum eſt veſtris auribus, cum præſertim hoc ſolo vſus cauteriorum in Epilepticis abundè ſatis comprobetur. Hoc autem, inquit, auxilij genus in occipitio, vel etiam ſuper commiſſura coronali in profliganda Epilepſia principem obtinere locum experimento didicimus. Nouimus dum Patauij Medicinæ ſtudijs incumberemus, nobilem Gallum, qui dum Epilepſia laboraret, nec à Gallicis Medicis curari poſſet, Italos conſulere decreuit, dumq; iter faceret in Pedemontana ditione prope alpes, ab Hiſpanis quibuſdam, qui tunc ibidem bellantes ſtipendia merebantur, aggreſſus, ſpoliatus, perempto ſeruo, pluribus vulneribus confoſſus, tanquam mortuus derelictus, a ſocio, qui aufugerat, reuertente in proximum vicum tranſportatus, Chirurgo curandus traditur, qui eum curauit. Verùm quia magnum admodum in frõte vulnus ſuſceperat, cum inſigni oſſis deperditione, non niſi multo poſt tempore integrè ſanata fuit ea pars, ita vt cum Patauium perueniſſet, adhuc ceratum ſupergeſtaret. Conſueuerat ſingulo menſe corripi Epilepſia, & iam tertius menſis à vulnerum ſuſceptione agebatur, nec vnquam malum perſenſerat. Quare conſulentibus primarijs

Medicis

Medicis Patauinis ab omnis generis præſidijs tunc abſtinuit ob aeris hyemalis inclemẽtiam, in proximum ver curationem diſtrahens; quo iam aduentante nullo amplius malo tentatus in patriam ſanus reuerſus eſt, ab ijs ſanitatem nactus, à quibus mortem ſuſcepturum ſe crediderat. Infiniti ſunt, qui cauteria capitis in comitialibus extollunt, ac, vbi datur occaſio, imperant, & hi quidem primę notæ, & illuſtrioris famæ, quos ego nunc breuitati ſtudens recenſere omitto. Sed Hieronymus Montuus in Morb. Anaſc. cap. 15. prope finem hæc habet verba: Nonnullis ſolis cauterijs putant ſanari poſſe Epilepticos. Et ſi ea, quæ anterioribus cerebri neruis moueri ſolent, qualia os, lingua, oculi illæſa ſunt, vertebræ candens ferrum imponunt, vnde nerui conuulſi membri deriuantur. Quod ſi à collo infra totum corpus conuellitur, à tertia ad quintam vertebram cauterium imponunt, hoc ſolo ſuffragio, vt putat Cardanus, auxiliari poteris. Vltimum auxilium eſt, vt idem ait, iuxta talum ex vtroq; crure paululum ſanguinis mittere, occiput incidere, & cucurbitulas admouere. In occipitio quoque, & infra, qua ſumma vertebra cum capite committitur, deducere duobus locis, vt per vlcera pernicioſus humor euadat. Nos cõtra multos vidimus cum ſalubri victus ratione, & medicamentis citra cauterium ad ſanitatem redactos. Andreas Ceſalpinus lib. Art. Medic. cap. 30. damnat cauterium occipitis in pueris, ſcribens non eos bene agere, qui hodie infantes inurunt in occipite, quia ipſis adhuc lactantibus nutrici ſolùm proſpiciendum, nihil verò circa ægros moliendum. At vos dicatis Medicos illos rectius agere, qui naturam rectè operantem æmulantur, ac omni adhibita diligentia eiuſdem proficuos motus imitari ſtudent. Iam enim conſtat per Hippocrat. Auic. & alios, inter pueros minus corripi Epilepſia, quibus recenter natis caput vndiq; vlceribus madidis circumdatur, per quæ nimirum erumpunt latitantia in cerebro excrementa. Vnde nos videmus pueros illos, quibus hæc non apparent, aut vix exorta remeauerint, vel naturæ impotentia, vel extrinſecus factis remedijs, maxime omnium comitiales euadere. Quare, aut ego toto cælo aberro, aut non temerè, ac malè conſulunt Medici, qui pueris recenter editis cauterium ad occiput imperant, maximè ſi ex parentibus ſint oriundi malè affectis, atque eo magis, ſi alij ex ijſdem

nati

nati diro ſymptomate corruerint, necnon ſub aere frigido, ac tenui, cuiuſmodi Florentinum eſſe perhibent, aut etiam calido, ſed humido, & inconſtanti, qualis hic noſter eſt, & in ſumma, in quo pueri facilè comitiales euadũt. Accedit quòd cum ignoret Medicus an in capite pueri tunc primũ in lucem editi, vlcuſcula ad præſeruationem Epilepſiæ, aliorumue capitis morborum apparitura ſint, rectè, docente natura, vlcus arte parat, quod illorum vicem ſuppleat. Quicunq; verò ſolis cauterijs, nullis alijs prius tentatis auxilijs Epilepticos omnes ſanari poſſe autumant, non minus fortaſſe hallucinantur, quàm qui ablegatis cauterijs, alia tantummodò remedia experiri volunt. Quoad phœnigmos, ſeu veſicantia, & quæ Græci metaſincritica appellant, hęc pariter in comitialibus conueniunt, ac locum omnino habent, quæ etiam citius, & euidentius operantur, quàm cauteria, licet vſtio igne facta celerius ab acceſſione Epileptica ſuſcitet; De quibus, ſi de parte quæratis, cui debēt applicari, illud idem ſtatuendum, quod de ipſiſmet cauterijs mox dicebamus. Nec putetis hoc præſidij genus fruſtrà, & inconſideratè excogitatum à Medicis fuiſſe, quia & hoc multis modis natura nobis præmonſtrauit. Sic enim habetis apud Gal. 5. Meth. cap. 12. in quadam peſtilenti conſtitutione illos maximè euaſiſſe, quorum corpus vlceribus ſcatebat, per quæ ſcilicet internum virus, ſeu qualitas venenata exhalabat. Vnde ſumpta occaſio a Medicis veſicantium in febribus prauis, ac deleterijs, quorum conſilium à bona medentium parte eſſe approbatum minimè ignoratis. Quinimò quando Hippocrates lib. De ſac. mor. ſcripſit quòd pueri, qui ab Epilepſia euaſere cum alicuius partis læſione, non amplius ab ea tentantur, quia videlicet via fit excrementis ad illã partem, an non clarè Medicis aperuit vſum tam cauteriorũ, quàm phœnigmorum? Vnde in morbis capitis non ſolùm ſi vacuare, ſed etiam ſi reuellere, ac deriuare velimus, nullum præſtantius, nullumq; magis præſentaneum reperiri poteſt medicamentum veſicantibus ipſis, de quibus iterum audiatis obſecro quid memoriæ mandauerit Paulus Aegineta lib. 3. cap. 9. de Lethargo loquens: Iam fæmora, & crura medicamentis exulcerãtibus rubicunda facta ſæpe numero iuuant. Ideo magna cum ratione & brachijs, & extremis partibus adhibentur, necnon, vt ſupra ex Merenda demonſtra-

monſtraui,in ſuperiore etiam parte dorſi fiunt prope occiput,cùm ſcilicet deriuandi potius,quàm reuellendi intentio viget. Tandem ſi peccans materia in cerebro,& capite reſidet,nec aliunde fomẽtum ſuſcipit,poſt exactam totius corporis purgationem,cuti capitis hæc exulcerantia applicata miram afferre ſolent vtilitatem. A centro enim capitis ad peripheriam moleſtos ſuccos euocant, à Græcis propterea metaſincritica nuncupata, quaſi ab alto, & profundo ad exteriores partes trahentia,de quorum vtilitate in morbis per idiopathiam cerebrum infeſtantibus, multi fide digni admiranda enarrant, ſed ne ab Epilepſia recedamus,placet mihi referre quæ nuper legi apud Ludouicum Septalium in ſuis Animaduerſionibus,cùm de hoc affectu loquitur:In confirmata Epilepſia per proprium cerebri affectum,ſi quis deraſis capillis veſicantibus per vniuerſum caput vtatur, atque ad peripheriam humores virulentos trahat, diutius vlcuſculis cutim capitis infeſtantibus relictis,vt per longum tempus ſeroſi illi humores per vlcuſcula emanent,optimè curationem inſtituet.Contumaciſſimos enim capitis morbos huiuſmodi ratione curatos vidimus. Remanet vt horum medicamentorum formulas in medium afferam, quæ tamen à vobis,cũ in Arte aliquandiu exercitati fueritis,ad libitum componi, & pro natura ægrotantis,& morbi alterari poterunt. Pro duobus itaque veſicatorijs applicandis vel cruribus,vel vlnis,vel occipitis regioni, pro diuerſitate intentionum,accipiatis Cantharid. præparat.drac.iij.Romę tamen,quantum obſeruo, cantharides non ſunt illius efficaciæ,cuius expertus ſum Venetijs, vnde quantitas, ſeu doſis ad quatuor etiam,& quinque drachmas adaugenda, euphorbij drac.j.ſinapi drac.ij.fermenti,& aceti acerrimi an. q.ſ.pro conficienda paſta pro duobus veſicatorijs. Emplaſtrum metaſincriticum ad hunc modum confici iubebitis: Rec. ammoniaci diſſ. cum pinguedine anatis,aut milui vnc.ij.fermenti vnc.j.ſinapi ſubtiliſſ.pulueriẓati vnc.ſ.canthàr. drac.ij. ſeminum pæoniæ drac. ij. fiat empl.Quod in primis magnam capitis partem occupet,& præſertim regionem coronalis, & ſagittalis ſuturæ,capillis deraſis. Deinde verò adhæreat, donec pars rubefiat, & veſicas excitet, poſt quarum extuberantiam auferatur,& ex pinguedine milui fiat inunctio. Rurſus apponatur emplaſtrum, quod toties fiat,dum cu-

tis exulceretur, & exulcerata per duos menſes aperta detineatur. In pueris maiori cum emolumento fiunt in poſtica parte capitis, vt admonet Gualterus Bruele in ſua Praxi in Appendice. Et hæc de curatione Epilepſiæ eſſentialis per auxilia è duplici fonte hauſta, Pharmacia inquam, & Chirurgia. De Diæta, & ſex rebus nõ naturalibus vocatis agetur in craſtina, nec me accuſetis, quòd alibi de Diæta prius, hoc autem in morbo poſterius agam, quoniã id nihil refert, & quæ ad libitum ſunt, nulla cum ratione damnantur.

De Fonte Diætetico in Epilepticis, primùmq; de Aere, mox de Somno, & Vigilia. Lect. XLIV.

IN Epileptici morbi curatione, non præſentis tantùm acceſſionis amotionem, quam ſæpe natura abſq; manu medica abigere ſolet, verùm longè magis prouiſionem, ne iterum acceſſio redeat, deſideramus; ideoq; ratio præſeruandi erit, vt caueamus, ne, poſteaquàm materia illa viſcida, & craſſa fuerit ablata, alia itidẽ eius loco ſuboriatur, atq; ſuccedat. Id ipſum melius aſſequi non valemus, quàm victus ratione adamuſſim ſeruata, non particulari ſolùm, quæ circa cibos, & potus tantummodò verſatur, ſed illa etiam vniuerſaliori, in qua ſex omnes res non naturales vocatæ continentur. Quam quidem qui cõtẽpſerit, abſq; dubio fruſtra tanti morbi curationẽ aggredietur; Cum præſertim ſcribat Galenus cap. 1. De victu atten. ſola viuendi norma paruam, & incipientem Epilepſiam extingui, magnã verò, ac inueteratam euidentiſſimè infringi. Propterea Epilepticos intemperantes, & inobedientes curare recuſabitis, exemplo ipſius Galeni, qui inobedientes, ac ventri, gulæq; deditos nec purgatione, nec ſanguinis miſſione poſſe iuuari cẽſet lib. De curat. per ſang. miſſ. cap. 7. quia ſcilicet per vitæ intemperantiam crudorum humorum copiam ocyſſimè colligunt. In hos mirè quadrat, quod apud eundem Galenũ legitur 6. De tuen. ſanit. 8. Ars, quæ ſanitati tuendæ preſidet, his qui ſibi paruerint affuturam ſanitatem promittit, qui verò parere recuſant, his perinde eſt, ac omninò non eſſet.

eſſet. Quare non minori opus eſt diligentia in hoc tertio fonte, ſeù inſtrumento exactè inſtituendo, quàm factũ ſupra ſit in alijs duobus, dicente maximè Galeno lib. de Ther. ad Pamphil. Nullum tam efficax remedium habet Medicina, quod ſolitum auxilium adferre queat, ſi ei victus ratio, aut reſiſtat, aut non adiuuet. Prima res ergo non naturalis, quæ nobis occurrit, aer eſt, de quo ſummopere ſoliciti eſſe debemus, quia cerebri morbi ab aeris qualitatibus facillimè alterantur, vt patet ex Hippocr. lib. De ſac. mor. Ne dicam quòd, veluti alimentis quibuſdam familiaris nobis ineſt qualitas, quibuſdam aliena, ita putandum etiam aeris qualitatem quandam aliam quidem familiarem, & amicam ſpiritui ipſius animalis eſſe, aliam verò alienam, ac corruptricem, vt habetur apud Galenum 7. De vſu part. 8. Vnde meritò Auicenna: Vt aer conueniens inueniatur, confert mutatio de loco ad locum, de regione ad regionem. Aer itaque frigidus, & humidus, necnon calidus quoq; & humidus valde, præcipuè verò ſi vnà ſit inconſtans, & inæqualis, vt eſt Romanus, quantum fieri poteſt, vitandus; illis præſertim anni temporibus, quæ propria, & ſuapte natura ſolent hoc mali genus promouere, dico hyberno, verno, & autumnali. In hyeme ſiquidem, quæ ſui tum frigiditate, tum humiditate pituitam gignit, vertigines, apoplexiæ, cæteraq; id genus mala producuntur 3. Apho. 23. Sic pluuium tempus comitiales, & attonitos, veluti & auſtrale parit, cùm humido vapore caput oppleat, vnde & vertigines fiunt, quæ Epilepticos proximè antecedunt. Regiones quoque eiuſdem naturæ ſolent quàm maximè hunc affectum progignere, veluti venti omnes validi, vehemens calor, maximumq; frigus, & quicquid in ſumma Epileptici corpus vehementer commouet, agitatque. Vernum tempus valde opportunum & ipſum videtur huic promouendo ſymptomati, quia tunc humores à tepido aeris calore diffunduntur, acciditq; quod in plenis obſeruatur corporibus, quæ ſi intempeſtiuè, ac nimis exerceantur, interdum Epilepſiam incurrunt, fuſis, ac liquatis humoribus exercitatione. Et hinc eſt, quod Gal. Conſil. pro puero Epilept. ineunte vere purgationem in Epilepticis fieri debere præcipit. Non ęquè tamen hyems comitiale malum generat, ac ver, vt notat Auicenna 2. primi; vbi etiam tradit Epilepſiam ſeptentrionalibus ferè non contingere, quia ſunt

introrſum ſani,& calore exuperante,ſi tamen eueniat, eſſe valde atrocem,quia cauſa præpotens eſt. Autumnus ob ſubitam ad contraria mutationem comitiales magnopere afficit, quoniam meridianis temporibus calor,nocturnis verò,matutinis, atque veſpertinis frigus viget. Accedit quod corpus æſtate,& ſubinde meridianis caloribus relaxatum,repentino frigore excipitur. Nihil autem magis comitiales acceſſiones exacerbat, quàm huiuſmodi ſubitæ temporum mutationes. Quamobrem omni vtendum ſedula opera,ne id genus temporum mutationi occurrat Epilepticus. Mora ſub Sole plurima,& ſub Lunæ radijs quàm euidenter lædat,diffusè in Catarrho demonſtratum eſt, vbi etiam quæ de ventis egimus, hùc facilè transferri poſſunt. Aer ergò tranquillus ſit oportet, & poſtea quàm totum corpus erit diligenter expurgatum, calidior, ac ſiccior eſto, ſed protinus ab initio non ſit impensè talis, ne materiæ in capite ſtabulantes colliquatæ ampliorē locum deſiderent, occupentque,& hac ratione maiorem inuehant obſtructionem. Vbi verò huiuſmodi aer talis ſua natura non ſit, corrigatur a vobis,ac præparetur, prout opus eſſe videtur. Sedulò enim agēdum eſt,inquit Gal. 9. Meth. 14. vt ambientem aerem, quoad fieri poteſt,qualem eſſe expedit, præparemus, in morbis calidis,& ſiccis ſcilicet,frigidiorem,humidioremq; reddendo,ſicut è diuerſo,ſi frigida ſit,humidaq; morbi ſpecies,calefaciendo,ſiccandoque. Cum itaque à frigida, & humida materia, vt plurimum, Epilepticum ſymptoma oriatur, & pars in eo affecta cerebrum ſit frigidum in omnibus,& humidum,propterea ad calidum,& ſiccum alterandus erit aer ipſe, accenſo nimirum igne in cubiculo ex iuniperi lignis, laurique, ac roris marini, & conclauis pauimentum conſpergatur origano,mentha,calamintha,ſaluia,maiorana,ſerpyllo, ſpica nardi,ſatureia,lauendula, hyſſopo,ruta,rore marino,& ſimilibus. In primis verò laudantur paſtilli quidam pro ſuffitu adhunc modum. Rec.ſuccini albi drac. ij. ſandaracæ, thuris ana drac.i.ſ.cinnamomi,caryophyllorum ana drac.j.ligni aloes,macis, ana drac. ſ. lauendulæ,maioranæ,rutæ ana ſcrup.j. trochiſc. galliæ moſch.drac. ij.ladani puriſſimi drac.iij.m.& fiat puluis,qui excipiatur cū tacomahaca,vel infuſione tragacanthæ, & ſtyrace liquida ana q. ſ. & formentur paſtilli parui, ſeu trochiſci pro ſuffitu. Vel conficiantur

tur candelæ pro fumo, intra cubiculum detinendæ, hac ratione. Rec. tacomahacæ vnc. ij. ladani vnc. j. ſ. ſtyracis calamithæ, liquidæ ana vnc. j. aſæ dul. olibani ana drac. v. ſ. ſandaracæ, thymiamat. ana vnc. ſ. carabes albæ, granor. iuniperi ana drac. ij. ſpicæ nardi, maioranæ, lauendulæ, rutæ ana drac. j. nucis moſch. caryophyll. ana drac. ſ. olei ſpicæ drac. j. carbonum tiliæ vnc. vj. cum infuſione tragacanthæ facta in aqua rutæ, vel lauendulæ q. ſ. fiant candelæ. Priuſquã verò fumus iſte, & acutus odor excipiatur, debet vndiq; corpus, & caput ab excrementis in eo collectis expiatum eſſe. Alioqui magis inde læderetur Epilepticus, oppleto magis capite, & commotis humoribus. Sic videmus gagatini lapidis, & aliarum rerum graueolentium odoratus multos proſterniere. Tandem in aere illud animaduertendum, quòd lucidus, ac purus eſſe debet, quia in tenebris materiæ magis occluduntur. De ſomno, & vigilia ſtatuendum eſt hoc in affectu quod vniuersè dixit Hipp. 2. Aph. vtraque, ſi modum excedant, malum, preſertim in Epilepticis quos impensè lædunt, vtriuſque enim exceſſus pituitam in cerebro cumulat, quoniam μακρὸς ſiue longus ſomnus, qualis eſt qui à ſeptem ad duodecim vel plures horas extenditur, apud Hippocratem lib. de Flatibus, ſanguinem frigefacit, quo frigefacto languidiores fiũt eius meatus. De hoc pariter intelligebat 2. De vic. acut. 56. In ſomnum mutatio diſſoluit corpus, & coctionem languidam, capitiſque grauitatem inducit. Refrigerato ergo ſanguine, neceſſariò etiam frigeſit, & aliquando deletur calor innatus, qui eſſentiam ſuam in ſanguine habet 6. Epid. Sect. 4. com. 45. & De curat. per ſang. miſſ. c. 5. Ideo naturales operationes omnes corruunt, quarũ præcipua concoctio eſt, excrementa ſuperabundant, obſtructiones intenduntur, & ſpiritus animalis impeditur, quominus expeditè per omnia inſtrumenta pertranſire, omneſq; functiones adminiſtrare queat. Nimiæ quoque vigiliæ, ſeu nimium breues ſomni, & hi ſunt horis ſeptem breuiores, ſua & ipſi habent incommoda, quia cum præ illis dico vigilijs innatus calor in extimis tantùm partibus retineatur, nec vnquam ad internas vocetur, vt ex Hipp. patet 6. Epid. Sect. 4. tex. 14. concoctiones ſimiliter peruertuntur, cruduſq; & non ſatis concoctus cibus per corpus totum digeritur, qui propterea eiuſdem meatus conſtipat, obſtructioneſq; varias,

vario-

variorum morborum cauſas progignit. Accedit quod cerebrũ per vigilias nunquam non fungitur officio ſuo, continuèq; defatigatur, ſicut vice verſa per ſomnum quieſcit, & non parum recreatur, vt conſtat ex Galeno 1. De ſympt.cauſ. 8. Ideo ibidem dicit cerebrũ & requie, & virium inſtauratione indigere, tum ob facultatis, quã tranſmiſit, inanitionem, tum ob labores, quibus per multas functiones iam defatigatum eſt. Audite precor Platonem 7. de Leg. Somnus multus, neque corporibus, neque animis noſtris, ſed nec actionibus vtrorumq; conuenit per naturam. Nam qui dormit, nullius pretij, reiq; eſt, haud magis, quàm ſi non viuat; & Senecam de Tranquil. animi. Nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt; hunc tamen ſi per diem, noctemq; continues, mors erit. Communis tamen opinio medentium eſt in Epilepſia potius vigilandum eſſe, quàm dormiendum, quæ mihi quoque multum probatur, non in Epilepſia ſolùm, ſed in alijs quoque frigidis, & humidis affectionibus, quia in ſomno ſemper materia ad profundum, & ad viſcera fluit; contra in vigilijs fit, quæ propterea etiam magis digerunt, magiſq; reſoluunt, vt conſtat ex 12. Meth. cap. 3. Obſeruandum præterea in ſomno, ne ſupinus æger dormiat, cum dicat Auicenna talem cubandi modum grauiſſimos parere morbos, quales ſunt apoplexia, Epilepſia, incubus, & huius generis alij. Quibus omnibus tempus conueniens dormiendi, ac vigilandi adiungẽdum eſt. Scribit itaque hac de re Hipp. 2. Prædict. in hunc modum. De ſomno quemadmodum ex natura, & in conſuetudine eſt, interdiu vigilandum, noctu dormiendum eſt. Ab aſſumpto autem cibo magnopere cauendum, ne ſtatim ſomno patiens indulgeat, cum tradat 4. Aphor. Com. 67. Galenus à cibo conuerſis ad ſomnum impleri caput, & in plethoricis diſpoſitionibus ſomnos ipſum replẽtes aggrauare cerebrum. Non ergo poſt aſſumptum cibum illicò dormiendum, ſed poſt tres, aut quatuor horas, donec cibus in fundo ventriculi concoctus ſit, aut ſaltem, quod minus eſt, poſt duas horas. Exiſtimo enim ego ſatis eſſe in imum ventrem, ſeu ventriculi fundum cibum deſcendiſſe. De reliquis fiet ſermo in proximis.

De motu, & quiete; ſub quibus de exercitationibus, & frictionibus; De animi pathematis; Inanitione, & repletione, ſub quibus de vſu Balnei, & Veneris in Epilepticis. Lect. XLV.

QVALIS aer eligendus, quomodoq; præparandus pro Epilepticis, deq; ſomno, & vigilia in ijſdem, heri non obſcurè ſum locutus. Hodie reliqua expendam, præter ea, quæ ad cibum, & potum pertinent, quibus integra debetur Lectio. Succedunt ergò motus, & quies, & quemadmodum exercitationes magnopere proſunt, ſic è contra nimia quies multum obeſſe ſolet. Vnde Gal. Conſilio pro puero comitiali ſummam curationis huius morbi in recta fermè corporis exercitatione, & vacuatione conſtituit. Profectò exercitationes omnes, vt patet ex Gal. 2. De ſanit. tuen. cap. 9. communem habent effectum, quòd inſiti caloris augmentum animalibus ex ipſorum corporibus excitant. Ita. 1. eiuſd. oper. cap. 14. legitur. Ab exercitationibus accedit firmitas quædam membris, quoniam naturalis ipſe calor accenditur, & ex partium inter ſe attritu, duricies quædam, indolentiaq; comparatur. Sexto Epid. Sect. 1. & in Ar. medic. c. 85. totum corpus ſalubriter perflari facit exercitij moderatus vſus. Fugiendum ergo quantum fieri poteſt ocium, modiceq; corpus exercendum, ne calor natiuus frigeſcat, quo non excitato pituita redundat. Fiant tamen corporis exercitia, quęcunque illa ſint, manè ante cibi aſſumptionem, potiſſimumq; videntur conuenire ambulationes, à principio paruæ, & lentæ, deinceps verò vehementiores, ac velociores. Confertim enim validiores aggredi exercitationes omnibus cùm debilibus, tum robuſtis corporibus valde noxium eſt. Sint autem longæ, & non flexuoſæ, ſub arboribus myrto, aut lauro, vel per loca, in quibus herbæ benè olentes gratum ſpirent odorem, vt eſt calamintha, pulegium, thymus, mentha, & con ſimiles præſertim agreſtes, quæ vt ſicciores, ita acutum magis halitum emittunt. Sint hæ deambulationes procul à fluminibus, ne delabentem aquam Epileptici intueantur; vertiginē enim, &, co-

initiale malum aquæ fluxus non minus affert, quàm faciat aſpectus rerum quæ in orbem mouentur, & procul, longèq; à locis altioribus, atque profundis. Poſt ambulationes, loco tepido, vehemẽter, & diu, nec minus ducenties, vt ait Celſus, niſi infirmus erit, æger perfricetur. Eſt autem & frictio inter exercitationes non poſtrema habenda, in corporibus illis præſertim, quæ præ imbecillitate alia exercitationum genera ſubire nequeunt. Quanti verò fieri debeant frictiones, oſtendit apertè nobis Gal. 5. De tuen. ſanit. cap. 3. ſcribens frictionem conuenienter vſurpatam tantopere conferre, vt & vitale robur excitet, & modicè calefaciat, diſtributionemq; nutrimenti faciliorem, & nutritionem promptiorem reddat. Euacuare quin etiam, & humorum repletionem minuere frictiones, nemo puto inficias ibit, cum Hippocrates ſcribat 6. Epid. frictionem, circuitum multum corpus calefacere, & exiccare, atque ob id exinanire vires. Profectò cum per eam incaleſcant venæ, & arteriæ, paulatimq; ob id excitetur calor, & euocetur, aliquo modo totum corpus, ſaltem per accidens, vacuare tenendum eſt. Licet enim frictionis vis, & facultas ad externas tantum partes, & cuti finitimas pertingere videatur, tandem nihilominus & ad intimiores corporis partes peruenit. Quod ſi quis dixerit à frictione multa vniuerſum corpus non minui, neque vacuari Galenũ apertè tradere 4. Aph. 2. & lib. 3. De ſanit. tuen. huic ego reſponſum velim, negare Galenũ per frictionem vniuerſum corpus minui, eo ſcilicet modo, quo vacuant pharmaca deiectoria, quorum comparatione ibi loquitur. At quando, & quomodo facienda eſt frictio Epilepticis? Quoad tempus, fieri debet matutinis horis ante prandium, ieiunoq; ſtomacho, quo tempore cibus eſt præparatus, atque concoctus, aliàs crudus adhuc cibus per frictionem diſtribueretur in omne corpus. Vnde Galenus 1. De ſanit. tuen. cap. 10. nutricibus præcipit, vt pueros quotidie mediocriter fricent, ac lauent, tum quammaxime fieri poterit, quando lac crudum non hęret in ventriculo, quod periculum ſit, ne prius quàm probè ſit concoctum, in totum infantis corpus digeratur, multòq; magis ſi quis ventriculum adhuc lactis plenum infricet, tunc corpus implebit alimento crudo, caputq; onerabit. Quoad modum, frictio primùm continenter, paulatimq; à ſuperioribus ad inferiores vſque partes

facienda eſt, donec corpus rubeſcat, à brachijs, manibuſq; initio ducto, ſicq; ad pectus, ac ventrem deſcendendum, poſteaq; crura fricanda, vt in ea videlicet ex ſuperioribus humidæ materiæ deducantur. Tandem verò ad caput perfricandum deuenire oportet, nullo modo ante, & à principio, quia dum corpus redundat humoribus, ad eam partem, quæ calefacta prius eſt, ſuperfluitates omnes contrahuntur, & auolant. Quare pars omnium poſtremo loco fricanda caput erit, idque linteo aliquo, & pectine abſque vllo prorſus oleo, cum alioqui in reliquis partibus oleo amigdalarum dulcium, amararum, liliaceo, anethino, aut camæmelino vti liceat. Non tamen protinus ab exercitatione, ac frictione accedat æger ad cibaria capienda, quia ab huiuſmodi commotionibus turbatio quædam oritur, qua niſi prius ſedatá, compoſitaque, nihil eſſe, vel bibere conuenit, vt notat Galenus 3. De vic. acut. 55. Animi pathemata grauiora, curæq; aſſiduæ uix dici poteſt quantum comitiales afficiant, præſertim verò triſtitia, anxietas, timor, inuidia, ira, & ſimilia. Ideo ſumma cum ratione docet Gal. in Ar. med. cap. 85. omnes immodicos animi affectus eſſe cauendos, quoniã alterant, & à naturali ſtatu corpus auertunt. Itaque Galenus ipſe 1. De ſanit. tuen. 8. dicit, ſe quotannis ægros non paucos perſanaſſe, ſolis animi motibus ad debitum modum reuocatis. Lætitia, atq; animi hilaritas comitialibus multum prodeſſe ſolet, & leuis iracundia non inutilis fortaſſe, quando natiuus ab ira calor excitatur. De quibus plura in Catarrho; vbi quæ ſimiliter de inanitione, & repletione dicta ſunt, facilè comitialibus accommodari poſſunt. Breuiter ſcitote excrementa omnia quotidie à ſomno rite expurgari debere, qualia ſunt, quæ per palatum, nares, aures, veſicam, & aluum extramitti ſolent, ideoq; ſi natura hac in re deficiat, arte coadiuuetis. Cum per balneum aquę dulcis inanitio fiat excremẽtorum tertiæ coctionis, meritò dicet aliquis non eſſe malum in Epilepſia balneum. Sanè ab Auicenna proponitur, dum loquitur de Epilepſia per eſſentiam à pituita. Vnde ſi ſecundum Auicennã probatur balneum in Epilepſia pituitoſa, quantò magis in melancholica? Proponitur ſimiliter ab Aureliano 1. Crhonic. Paſſion. 4. Contra obijciet aliquis Galenum De venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum c. vltimo in Epilepſia improbare balneum; Cornelius Cel-

ſus

us balneum & ipſe prorſus damnat lib. 3. cap. 23. Sciendum igitur vobis eſt balneum ſolummodo conuenire poſt ſolutionem ventris, & euacuationem materierum cum citra, cum vltra hepar, & vbi patiens dies aliquot à medicamentjs quieuerit, ſic enim administratum balneum vacuat excrementa tertiæ coctionis, nec vllum inde imminet periculum vel obſtructionis, vel repletionis capitis, quæ damna impendent, ſi balneum vſurpetur corpore, & vẽtriculo ſimul repletis. Ideò Auicenna noxium eſſe dicit diu morã facere in balneo, & ante cibi concoctionem. Galenus verò damnat vſum balnei in Epilepſia, corpore exiſtente pleno, in quo corpore opus eſt potiſſimum venæ ſectione, alioqui balneum corpus illud exinanire non poteſt, quemadmodum oportet. An balneum à Celſo, & Galeno damnatur, quod calidius? Cuius ſcilicet calore incaleſcat caput, eiuſque excrementa fundantur, quæ dehinc diffuſa in cerebri ſinus Epileptici caſus ſint cauſæ? Aurelianus verò & Auicenna conſulunt de temperato balneo, quo tantùm coquantur, temperenturque inutiles ij ſucci, non etiam incaleſcat caput? Sub inanitione, & repletione comprehenditur & Venus, de cuius vſu in Epilepticis aliqua breuiter in medium adducenda ſunt. Concubitus ergò videtur damnandus in ijs, qui Epilepſiæ ſunt obnoxij, quia, vt dicebat Democritus apud Galen. 3. Epid. Sect. 1. tex. 4. parua quædam eſt Epilepſia, quanquam id A. Gellius lib. 19. cap. 2. & Macrobius lib. 3. Satur. in fine Hippocrati referunt acceptum. Aretæus etiam dicit venerem prouocare hunc affectũ. Epicuri quoque ſententia fuit, quam refert Gal. in Ar. med. c. 86. veneris planè nullum eſſe vſum ſalubrem. Ad hæc dicebat Gal. 6. De ſanit. tuen. cap. 4. venerem aduerſam rem eſſe ijs etiam, qui ſupra ſiccitatem frigidi quoque ſunt. Ex altera parte refert Aretæus ipſe Medicos quoſdam videntes curari hunc morbum eo tẽpore, quo homines incipiunt venerem exercere, laudaſſe huius vſum in Epilepticis, inter quos fuit Aſclepiades. Huc facit quod dixiſſe ferunt Scribonium Largum, curari mulieres ab Epilepſia, quo tempore deuirginantur, & viros quo tempore vti venere incipiunt. Inſuper dicebat Hipp. 6. Epid. Sect. 5. tex. 22. Venus pituitoſis cõfert morbis. At morbus a pituita genitus eſt comitialis. Accedit quod Epilepſia ſoboles eſt plenitudinis. At venus ex va-

cuatione non ſinit plethoram ſubali 3.Epid.Sect.2. comm.4. Dicatis cum eodem Hippocrate 6.Epid.Sect. 6. tex.5. Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria. Pro diuerſitate pariter ſubiectorum quoad ætatem, & multò magis quoad temperamentum res hęc diffinienda eſt. Innoxia prorſus venus his eſſe fertur, qui calidi ſunt, humidiq; , vt qui genitura naturaliter abundant, dummodo tamen mediocritatis limites non tranſcendant. Tunc enim venerem neruos, & cerebrum lædere, virtutemq; tum exſoluere, tum imbecillem reddere legimus 6. Epid. Sect. 3. com. tex. 87. Quare & Alexander ille Magnus prudenter dixiſſe fertur, duabus potiſſimùm rebus ſeſe mortalitatem ſuam intelligere, coitu nimirum, ac ſomno. Quare Democriti, & Aretæi dictum aliqui putant intelligendum de venere modum excedente, & in viris imbecillioribus. Epicurum alioqui de grege porcum abundè refellit Galenus loco citato ſcribens. Venereorum iuxta Epicuri ſententiã nullus eſt vſus ſalubris, ſed reuera confert, ſi tantum interualli in eorum vſu adhibeatur, vt reſolutio ſentiatur aliqua, & ipſe homo ſeipſo quodammodo leuior factus, ac ſpirare melius videatur. Reliqua videatis apud ipſum Galenum. Exiſtimo tamen ego ſi, rẽ hanc non ita genericè definire velimus, in Epilepticis vſum veneris potius eſſe damnandum, quàm ſecus, licet in aliquibus magis, in aliquibus minus pro varia ætatis, ac temperamenti ratione. Semper enim venus caput totum reddit imbecillum, ideoq; coitu vtentes eadem perpeti videntur, quæ cadendo Epileptici. In coitu inſuper cerebrum impensè refrigeratur per conſumptionem ſpirituum, & caloris innati. Propterea iuremerito Aſclepiades à Cælio reprehenditur, & nos ad Scribonium dicere poſſumus illud ipſum non tam referendum in coitus beneficium, quàm in ætatis, ac temperamenti mutationem. Quædam leguntur de euiratione, ſeu caſtratione Epilepticorum apud Heurnium, quæ meam confirmãt ſententiam. Remanent cibus, & potus, de quibus diffusè agam in ſequenti.

De Cibo, & Potu; vbi dubitationes quædam circa panem, & de carne hædina, & coturnicum, de vſu apij, & coriandri in Epilepticis breuiter diluuntur. Lect. XLVI.

HACTENVS audiuiſtis ferè omnia, quæ ad Diætam Epilepticorum ſpectant, prout nimirum huiuſmodi vocabulum generali ſignificatu à Medicis vſurpatur, pro omnium rerum non naturalium adminiſtratione,ſicut ex lib. De diæta ſalubri, item De rat. victus in morb.acut. & 1 1. Meth. cap. 15. liquet, & deſcribitur etiam lib. Defin.medic. Nunc verò de ipſamet Diæta, ſed magis ſpecialiter ſumpta, pro conſilio cibi,potuſq; ſumendi, prout ſcilicet definitur lib. De introduct. aut Med.cap. 8. agendum à me eſt. Iuxta quem ſenſum accepit multò ante Plato 3. de Rep. dicens tempore Troiani belli Medicos illos ſolitos fuiſſe curare tantum vulnera, morboſq; intemperie aeris, & pro anni tempore aliter, atque aliter incidentes,non item, qui ob luxum in victu fiunt,quales ſunt flatus,atque Catarrhi. Ad intemperantiam enim in cibo, & potu ſolummodo reſpexit. Sciant itaque in vniuerſum quòd moderata fames, & ſitis hoc in affectu multum conferre ſolet, eo quod pituitoſa materia morbum efficiens minuitur,faciliuſq; per halitum digeritur,ac ſuperatur; contra ſatietas cum cibi, tum potus perpetuò damnoſa, & ideo per omnem vitæ curſum,quoad fieri poteſt,fugienda;qua in re memoria tenendum Socratis præceptum, vt eos caueamus cibos,qui nõ eſurientes denuò ad edendum inuitent, cauendos eſſe potus, qui non ſitientes ad bibendum illectent.Sic ego dicere ſolitus ſum vina optima,& palato amica,eſſe omnium peſſima, quia ſcilicet in maiori,quàm conueniat, copia,& quantitate bibuntur. Non ſint præterea cibi,& potus,qui ventrem cohibeant, & halitus, ac vapores in cerebrum mittant,qui difficilè concoquantur,quiq; pituitoſum ſuccum in venis pariant. In primis verò non ignorent Epileptici,& qui Epilepticis medicinam faciunt attenuante victus ratione vti oportere, quæ, vt dicebam ſupra ex Galeno, comitiales caſus paruos quidem, & incipientes penitus ſanat,inueteratos au-

 tem

tem iuuat non mediocriter. Cauendum inſuper in hoc mali genere, quod diuites habent in more tam communi, quàm vitioſo, vt plures, & diuerſi cibi diſſimiliter apparati ſimul ingerantur, quia diuerſæ variorum ciborum facultates actiones ventriculi perturbant, malamq; coctionem efficiunt, quam corruptionem comitari dicit Galenus 3. de Sympt. cauſ. cap. 1. Vnde etiam dicebat Auicenna 3. primi. doctr. 2. cap. 7. nihil deterius eſſe, quàm diuerſa nutrientia ſimul adiungere. Tandem videtur hîc locum habere quod ſcribebat Paulus Aegineta lib. 3. cap. 18. & in eandem ſententiam Aetius 5. Tetrab. ſerm. 2. cap. 27. Curandum eſt, inquit, vt accipiat cibos quotidie quidem, verùm paucos, ac leues, ac calidos, & exterſoria vi præditos, plerumq; cum melle edulcatos. Sed obſecro iam videamus quidnã in ſpecie ſub cibo intelligi debeat. Primùm ergo erit panis, quo aſsiduè veſcimur; qui debet eſſe factus ex optimo frumento, exactè contuſo, mediocriter fermentatus; &, quod miror Romæ negligi, modicè ſalitus, qui ſi etiam conditus ſit ſeminibus aniſi, fœniculi, cyminiue valde melior erit. Non ſit autem aut nimis recens, aut nimis vetuſtus, non calidus, ſed actu frigidus. Nam Hippocr. 5. De victu acut. tex. 35. ſic loquitur: Calidus panis ingeſtus ſitim inducit, & ſubitam plenitudinem; ob ſiccandi vim, & tardum tranſitum. & poſt eum Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 572. dicit. Panis calidus non comedatur, quia non eſt apud naturam benè receptibilis; ſitim facit ſua caliditate, & natat in ventriculo ſupernè, propter humiditatem ſui vaporoſam, & ſatiat velociter propter illud, & eſt velocis digeſtionis, & tardę deſcenſionis. Sic & Auenzoar inquit: Calor panis igneus infunditur ſtomacho, & ipſum corrumpit, redditurq; difficilior ad digerendum; ideoque vult idem Auenzoar non eſſe comedendum panem, qui diem non pertranſeat. Nec eſt quòd aliquis obijciat omnem caliditatem iuuare coctionem, & propterea panis actualem calorẽ eidem quoq; prodeſſe debere, nec vllo pacto præpedire concoctionem in ventriculo, quoniam falſum eſt quòd omnis caliditas adiuuet coctionem, eo quod ſingulorum membrorum, partiumue naturalis calor tantùm id facere videtur. Panis autem calor aſcititius eſt, nec ventriculo naturalis, aut ingenitus. Vel potius dicatis (allata enim reſponſio non affatim ſatisfacit) quòd panis calor eſt quidam calor

vapo-

vaporoſus conturbans, atque debilitans ventriculum, ſurſumq; vapores in caput emittens, à quo propterea & cerebrum magnopere læditur. Verùm ſicut panis admodum recens comedi non debet, ita nec triduo multum vetuſtior concedendus, quòd tunc amiſerit humiditatem ſuam, & leuitatem, pauloq; durior euaſerit, & ſiccior, vnde ventriculo moleſtiam affert, ventrem conſtipat, & craſſiores gignit humores, qui in venis quaſi gluten impacti hærent, & multos hic, & illhic pariunt obſtructiones. Ad hoc reſpiciebat Auicenna 3. primi. doctr. 2. cap. 7. quando dicebat. Scire debes quòd impedimentum panis, cum non digeritur, eſt multum. Quare cum omnis repletio vitanda, tum præſertim panis, quæ peſſima eſt. Scimus enim etiam ex Hippocr. lib. De affect. quòd alimenta, quanto ſunt meliora, & accommodatiora, ſi propter copiam corrumpantur, eorum corruptela multò eſt deterior, quàm illorum ciborum, qui & minus nutriunt, & deteriores ſunt. Secundum locum obtinēt carnes, inter quas maximè conueniunt, quæ à perdicibus, ac ſtarnis, phaſianis, capis non ſaginatis, ſed liberè educatis, gallinaceis, gallinisque tenellis, & vitulis non amplius lactentibus deſumuntur; columbi item gregarilis, turdique, merularum, & omnium auicularum, quæ mõtanæ ſunt, ac in dumetis verſantur. Auerroes lib. 5. Collec. cap. 32. tradit carnem veteris columbi, & maris comitiali malo, & neruorum reſolutioni perpulchrè ſubuenire. Caput, & cerebrum leporis laudat Auicenna, imò carnem totam Galenus, ſi præcipuè intelligitur de Epilepſia pituitoſa. Auium aquatilium, & paluſtrium omnium carnes vitandæ, veluti porcinæ, agninæ & conſimiles iuſto humidiores. Dubium eſt in carne coturnicum & hædorum, & pro coturnicibus paruæ illæ potiſſimùm & ruſticæ, ſic vocant, perdices accipiuntur, quæ à vocis ſono qualeæ vulgò dicuntur. De quibus verba faciens Gal. 6. Epid. Sect. 5. tex. vltimo eas videtur admodum damnare; quando ſeſe inquit Athenis vidiſſe omnes, qui coturnicibus veſcerentur, conuulſos ea ratione fuiſſe, quòd coturnices veratri ſemine, vtpote nocentiſsimo nutrirentur. Plinius lib. 10. cap. 23. ſcribit, veneni ſemen coturnicibus gratiſſimus cibus, quam ob cauſam eas damnauere menſæ, ſimulq; comitialem propter morbum, quem ſolæ animalium ſentiunt præter hominem. Quibus tamen poſtremis verbis vehemen-

ter hallucinatus eſt Plinius. Auicenna quoque addit, non tantùm quòd veratri ſemine alantur, conuulſionem parere, neruiſque obeſſe, verùm propria quadam, atque inſita facultate illud idem præſtare. Contra Rhaſis, & Auerroes coturnices laudant tanquã ex ſui natura probi ſucci, imò Auerroes lib. Collec. 5. cap. 32. conuulſionem haudquaquam parere literis mandauit. Addatis quòd eſu coturnicum veriſimile ſit, eum, qui comitiali morbo ſit obnoxius, liberatũ iri potius, quàm inde in Epilepſiã caſurum. Sic legitur de Hercule, qui huiuſmodi morbo ex atra bile detinebatur, vt ex Ariſtotele in Probl. & alijs colligitur; de quo extat verſiculus apud Pierium in Coturnice.

Fortem coturnix ſoſpitauit Herculem.

Eſu nimirum coturnicis factus eſt ab hac affectione liber, & immunis, non ob cauſas ab eodem Pierio allatas, ſed magis propter effatu dignam peccantis humoris melancholici euacuationem inde ſubſecutam, veratri, quo illud animal veſcitur, ratione: ob quã ſimiliter cauſam, qui illis auibus multum, & frequenter vtuntur, in conuulſiones ex inanitione, vt reor, incurrunt; licet reuera in Italia hactenus ego non audiuerim coturnices, & qualeas hoc mali genus inferre, ſiue hoc eueniat, quòd veratri ſemine non veſcantur, ſiue quòd non frequens admodum ſit earum vſus. Scribit enim Galenus ſe eos, qui aſſiduè coturnicibus Athenis veſcerentur, conuulſione captos vidiſſe. Tandem ſi ex veratri ſemine coturnices tam bellè nutriuntur, vt ex eo magis magiſq; pingueſcant, vnde Lucretius;

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Ego quidem non video, quomodo ex hoc ſemine in comitiale malum incidant, vt ob hoc ipſas eſitantibus communicetur. Quare crediderim, ſi coturnices, & earum vſus vim aliquam habent in Epilepitco producendo morbo, id totum propriæ cuidam, atque inſitæ facultati acceptum referendum eſſe, veluti exiſtimaſſe videtur Auicenna. Interim dum hæc controuerſa ſunt, nec in genere auium deſunt nobis infinitæ aliæ, quæ tutius, & abſque vllo prorſus dubio concedi poſſunt Epilepticis, ablegentur coturnices, qualeæ, & omne perdicum genus. Quod pariter de hædina carne facilè

pro-

Pronunciauerim, quam Galenus in Conſilio illo improbat; licet Rhaſis, Auicenna, & Meſue commendent, & Clemens Alexandrinus Strom. 7. auxiliari Epilepticis creditum fuiſſe tradat. Nam capra, vt ſupra ex Hippocrate dictum eſt, laborat Epilepſia; quinimò caro capræ dicitur etiam excitare comitiale malum eo modo, quo de coturnicibus tradit Auicenna, non quidem facultate manifeſta, ſed occulta, & ſubſtantiali, quæ ſemper communicatur à parentibus. Ideo Plutarchus in fine Quæſt. Roman. ſcribit Iouis ſacerdotes abſtinuiſſe ab eſu capræ, quòd illa cum laboret Epilepſia, tangentibus, & veſcentibus malum communicet. Non eſt ergo cur periclitemur in re non neceſſaria, cum multæ aliæ ſint carnes probi vndiq; ſucci, & extenuantes, quibus tutò vti licet, quæ iam ſignificatæ ſunt, & à Galeno ponuntur lib. De vict. attenuante. De loc. aff. De cibis boni, & mali ſucci, & alibi. Qui piſces concedendi, & qui prohibendi, ſatis ſuperq; demonſtratum in Catarrho, vbi pariter de caſei vſu loquuti ſumus, ſed tam carnes, quàm piſces aſſentur potiùs, quàm elixentur, quoniam morbus iſte calidiorem, & ſicciorem victus rationem potiſſimùm exigit, & aſſata ſiccius præſtant alimentum, vt quæ elixa ſunt multam ab aqua humiditatem frigiditatemq; obtinent; Nec terreat vos Ariſtotelis ſententia 4. Meteor. vbi tradit aſſas carnes elixis humidiores eſſe, magiſque propterea nutrire, quoniam diuerſa ratione aſſa humectare creduntur, & elixa. Hæc enim ab externa aquea humiditate, illa propria, ſibique inſita humectare putantur, ſed hoc in morbo humiditas illa propria, quæ in aſſis reperitur, non eſt aſpernenda, quando minus neruos tentat, quàm quæ ab aqua in elixis aquiritur. Si tamen elixis etiam vti aliquando volueritis, incoquatis ſimul aliquot e ſimplicibus afferendis, præcipuè verò piperitim, maioranã, ſaluiam, ſatureiam, rorem marinum, & ſimilia; ſic enim & gratiora, & vtiliora euadet. Lac, caſeus, & omnia fercula ex lacte non probantur. Inter olera non diſplicent, quæ ſequuntur: Braſſica, quoniã etſi ſuccum parit melancholicum, propria tamen facultate Epilepticos iuuare creditur; Hinc Dioſcorides lib. 2. cap. 133. tremori auxiliari ſcripſit, nihilq; hac magis neruos tueri Eraſiſtrati ſectatores affirmabant. Sanè Galenus ipſe ebrietatem ea ratione auferre dicit, qua vapores cerebrum impetere prohibet, quod ante eum

ſcripſe-

ſcripſerat & Ariſt. Sect. 3. probl. 17. In comitialibus itaque ſaltem ab humore pituitoſo improbanda braſicca non eſt. Beta pariter, non autem blitum, & aſparagus, cynaraque, quam Fuchſius vnū, & idem eſſe cum ſcholymo contendit contra Paulum, & Aetium; hyſſopus, ſerpyllum, mentha, polium, thymus, origanum, calamintha, ſeſeli tam Maſſilienſe, quàm Creticum, quod Paulus gordylon vocat, & quæcunq; tandem calfaciendi, atque ſiccandi facultatem poſſident, neutiquam prohibentur. De apio, quod eſſe petroſelinum noſtrum aliqui exiſtimant, licet id Fuchſius aſſeueranter neget, dubitatio non leuis eſt, quia Galenus in eo varius eſſe videtur; Alexander tanquam noxium damnat. Simeon Sethi, proprietate, inquit, quadam comitiales lædit, & oportet hos omnino abſtinere. Sæpe enim quidam, qui ferè ex hoc morbo conualuere, parati autem in eum incidere, ex eius vſu iterum comitiales facti ſunt. Dicerē ego apium ſiue paluſtre ſit, ſiue hortenſe, & ſatiuum, viribus inter ſe ſe parum differre, & ideo vtrumque tempore quo caput vnà cum ventriculo humoribus redundat, parum eſſe tutū; in ijs præſertim, qui hoc mali genus pati conſueuerunt; vbi expurgatum vndiq; corpus eſt, & cum eo ventriculus, & caput, puto ad humorum, qui ſuperſunt, extenuationem, ac diſſipationem, cum calidum ſit, & ſiccum poſſe concedi. Tutius tamen forſitan erit ab eo abſtinere, & alia vſurpare ſimplicia, quorum ingens eſt ſylua. Alij aliud afferunt reſponſum, quod etiam facit pro ſedanda controuerſia, quæ eſt de coriandro, quod nonnulli laudant, contra quidam reprobant, ac vnà cum Dioſcor. lib. 6. inter venena connumerant, nempe coriandrum viride Epilepſiam prouocare, vt etiam petroſelinum dicitur à quibuſdam id facere, ratioq; eſt, quia viride craſſos mittit in caput vapores, qui facilè cum humoribus ingrediuntur cerebri ventriculos. Siccum autem coriandrum conuenit, quia diſſipat, & attenuat, præterquam quod facultatem habet corroborādi neruos. Viride quinetiā coriandrū tetro ſuo odore id mali genus cōcitare valet. Salſamenta, & ſalita omnia id cōmodi præſtant in comitialibus, quod pituitā à vētriculo detergūt, quapropter à Paulo non improbantur, præcipuè verò laudantur cappares ſale adſeruati, & aceto, oleo, & ſaccharo conditi. Hoc idem efficiunt colymbades oliuæ ante omnem cibum eſitatæ.

Fru-

Fructus omnes denegandi eſſent Epilepticis, ſed quia hoc eſt impoſſibile præſertim pueris, ideo concedantur quidem, ſed leuiter, & qui minus noxij creduntur. Concedantur ergo ficus recentes maturæ, veluti & vuæ, ſed quæ fuerint inſolatæ, item aridæ, paſſæque; Ficus aridæ, cum humores ad cutim propellant, à neruiſq; eos retrahant, & attenuandi vim habeant, calefaciendi, & ſiccandi, Epilepticis aptiſſimæ iudicātur, velut piſtacia, nuclei pinei, amigdalæ, paſſulæ. Nuces auellanæ, iuglandes, dactyliq; prohibeātur, quia caput aggrauant, linguamq; grauiorem efficiunt, auctore Auicenna lib. 2. can. 1. Inter fugaces fructus pyra, malaq; roſea, & appia, quæ prius fuerint adſeruata, pauca, & rarò oblata non damnantur, vt nec pruna ſyriaca, maſſilienſia, & hyberica tum recentia, tum exſiccata, inque iure, vel mellicrato, vel vino ſubdulci decocta, & in prima menſa deuorata. Aluum enim lubricam ſeruant. In fine menſæ cydonitis, cui aliquantum piperis albi, & zingiberis additum ſit, admodum idonea exiſtimatur. In potu me breuiter expediam. Tempore, quo inſtant acceſſiones, à vino penitus cenſeo abſtinendum, quia in caput euaporat, illudq; replet, præcipuè ſi ſit antiquum. Huiuſmodi vinum puto eſſe quod in Epilepſia per eſſentiam damnant Celſus, Alexander, & Auicenna. Alioqui in affectu diuturno, & vltra puerilem ætatem affligente, poteſt etiam vinum concedi, ſed pauciferum, ſubaſtringens, medicatum, non vetuſtum, & moderata copia ſumptum. Aurelianus vini abſtinentiam exactam negligebat hoc in mali genere, qui, ni fallor, de vino intelligebat, vt nuper ego dicebam. Aqua Epileptici non niſi decocta vtantur, vt præcipit Celſus. Mulſa loco vini à multis præſcribitur, ab alijs aqua, in qua paſſulæ, & modicum cinnamomi ſit decoctum. Galenus Conſilio pro puero Epileptico exhibet oxymel aqua dilutum, hyeme calidum, æſtate frigidum. Reſpiciebat enim ad Epilepſiam per eſſentiam. Idem tamen lib. 5. De loc. aff. cap. 6. in Epilepſia per conſenſum ab ore ventriculi, dicit; ſi patiens ſitibundus ſit, panem eſſe exhibendum, cum vino diluto, albo, ſubaſtringente, quod quidem ventriculum roborat, & caput minime petit. Quæ dicta ſufficiant de Cibo, & Potu.

De

De Prandio, & Cœna, hoc eſt de vtriuſque quantitate in Epilepticis, & de Epilepſiæ per conſenſum ortæ curatione. Lect. XLVII. & vltima.

SVB Victu Epilepticorum comprehenditur quæſtio illa iam pridem inter Medicos agitata, de quantitate prandij, & cœnæ, de qua ſupra etiã in Catarrho non aſpernenda attulimus, quæ ad rem præſentem pariter facere alicui videbuntur; Verùm, vt propius ad comitiales, de quibus hic ſermo, accedamus, nonnulla alia de hac eadem materia nunc adducenda ſunt. Galenus, & Aetius maiorem cœnam commendant, Auicenna, & Actuarius vberius prandium. E recentioribus autem hic iſtis, hic verò illis gaudet. Quidam volunt, vt eſt Paternus, Auicennæ textum corruptum eſſe, quidam alij, vt eſt Valleſius, in Galeni potius locum mendum irrepſiſſe putant, vel etiam deceptum fuiſſe Galenum, cuius ſententia manifeſtiſſima eſt in Conſilio pro puero Epileptico. Aetius cap. de Inflatione hæc habet verba. Cibus autem ipſorum diuidatur, ita vt in prandio tertiam, in cœna verò reliquas duas accipiant partes. Rhaſis quoque eiuſdem eſt opinionis, qui lib. 1. Contin. cap. 8. cœnam ampliorem prandio comitiali malo affectis exhibendam eſſe tradit. Auicennæ verba par. 3. tract. 5. cap. 11. ita leguntur. Et ille cuius conſuetudo non tolerat, vt ſemel reficiatur, diuidat cibum ſuum, qui ſit minor ſaturitate ſua, in partes tres, & ſumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cœna poſt exercitium ſubtile. Actuarius eſt cum Auicenna, vt patet 2. De actionibus, & affectionibus animalis ſpiritus cap. 10. Hieronymus Capiuaccius breuiſsimè reſpondet, nec putat, vt elicitur ex eius verbis, Auicennæ locum mendum continere, tempore Galeni extitiſſe conſuetudinem, vt homines cubitum nõ irent, niſi poſt multas à cœna horas. Inſuper ait reſpicere Galenum ad pueros, qui interdiu dormiunt. Cum Galeni tempeſtate dies, quicunque ille fuiſſet, aut æſtiuus, aut hybernus in duodecim horas diuideretur, ad cuius tertiam viri illi prandebant, cœnabant ad nonam, ita vt horæ diei tres ſupereſſent, poſt cœnã

ante

ante Solis occaſum,non temerè , non abſque ratione lautius cœnabant . Haud enim verendi erant vapores, qui à copioſiore cœna efferuntur in cerebrum, quia antequam dormitum irent, iam omnino ferè diſcuſſi erant,ſi verum eſt , quòd horæ quatuor ventriculo ad chylificationem ſufficiunt . Noſtro hoc æuo alius mos , diverſa conſuetudo , quam arbitror etiam fuiſſe tempore Auicennæ,& Actuarij , ideoque aliter res hæc diffinienda , videlicet breuiorem cœnam ex vſu magis eſſe,cum vix per horam,vel ad ſummum duas à ſomno abſtineamus ; Vnde caput facilè multis vaporibus repletur.Maior enim cœna tunc eſſe poteſt,quando interſtitij tantum ab ipſa ad ſomnum interceſſerit,vt vapores ab vberiore cibo elati diſſipentur , atque reſoluantur , vt eueniebat Galeni ætate.Alioqui cœna debet eſſe tenuis, & parca , noſtris præſertim temporibus , in quibus ferè ſtatim à cœna cubitum imus . Nuper ego medicinam feci iuueni cuidam ſtudioſo Mediolanenſi , quem vnà mecum aliqui veſtrûm inuiſerunt ; qui quidem interdiu nunquam,noctu verò haud infrequenter comitiali corripiebatur acceſſione . Vbi vel ſine vlla prorſus cœna,vel cum tenuiſſima dormitum ire incepit, valde rarius,& longè minus ab hoc ſæuo morbo infeſtari viſus eſt. Patet ergo ex hactenus adductis , quomodo res hæc cõtrouerſa ſedanda ſit,nec nõ etiã intelligenda,abſq; quo Galeni, & Auicennæ loca mendum in ſe habere dicamus , vt perperã viri alioqui doctiſſimi exiſtimaſſe videntur. Remanet curatio Epilepſiæ per cõſensũ ortæ à partibus,& membris ſuo loco enumeratis, quam nunc breuiter iuxta ſcopos propoſitos expediam .

Frequens admodum Epilepſiæ generatio eſt à ventriculo, non rara etiam , quæ ab vtero in mulieribus , vel à ſemine retento , & corrupto , vel ſecundinis reſtitantibus, vel à ſuppreſſis menſibus, vel ab aliqua putri materia,tempore,quo vtero geritur, ortum habet , & quæ ſimiliter ab interaneis in pueris propter lumbricos enaſcitur perſæpe inſurgit;quæ à ſplene,teſtibus,& alijs huiuſmodi partibus vix ſemel viſa eſt . Illa certè denique Epilepſiæ generatio decantata ab omnibus eſt,quæ ab externa aliqua particula , media quadam maligna , ac venenata aura ſurſum in caput expirante,oritur.Propterea quantum ſpectat ad curationem Epilepſiæ per conſenſum à ventriculo, diligenter attendendum,quali nam

ſca-

ſcateat humore, aut quis humor in eo ſit coaceruatus: nam ſi ex frigida intemperie imbecillior redditus pituitoſum protulerit humorem, qui illius occupet cauitatem, & conſortij lege caput ipſum malè afficiat, & Epilepticam pariat conuulſionem, abſq; dubio in primis, & ante omnia expiandus erit ſtomachus ab excrementis pituitoſis, quod fieri à nobis poteſt vomitu, medicamento purgante, & clyſteribus etiam. Et quantum ad vomitum, quemadmodum ſi affectio primariò in capite fiat, non temerè eſt cōſulendus, quia caput inde potius oblæditur, ſic in Epilepſia, quæ à ventriculo naſcitur, iuuantiſſimus eſſe creditur, quemadmodum Paulus lib. 7. cap. 10. & eum ſecutus Auicenna 4. pr. cap. 11. & 13. & prima 3. tract. 5. cap. 11. memoriæ traditum reliquere. Quare vomitorium præſcribere poteritis aut ex hydrelæo, aut ex decocto ſeminum raphani cum oxymelite, aut ex oleo cyprino, quod efficaciſſimum eſſe ferunt ad vomitum ciēdum, digitis, aut pennis in id intinctis, demiſſiſq; in guttur, aut alio quomodolibet. Sic namque pituitoſos humores in ventriculo ſtabulantes vacuabitis, necnon etiam à capite reuelletis. Medicamentum pro educenda pituitoſa materia in ventre toto exiſtente multiplex eſſe poteſt, ſed in primis probatur mihi iſte puluis à Rondeletio deſcriptus: Rec. tartari vini albi vnc. ſ. ſenæ orient. vnc. j. ſalis gemmæ, & zingiberis ana ſcr. j. aniſi drac. j. fiat puluis, ex quo capiat cochleariū vnū cum decocto mercurialis, vel cum iure capi, vel pulli, vel pauca quantitate ſyrupi violacei. Sal etiam purgatorius, qui ad Actuarium refertur lib. 5. cap. 9. mihi magnopere arridet, quia craſſiorem, & viſcidiorem pituitam, quæ tum ventriculo, tum interaneis omnibus inhæret, facillimè educit; ideoq; etiam vtiliſſimus illi exiſtimatur, qui ex vitio ſtomachi ab hac ipſa cauſa ſæpius comitiali malo concidit. Quo ſi vtatur, non paruas, inquit, mihi gratias referet: à morbis enim vindicat omnes, qui ipſo familiariter vtuntur. Accipit autem petroſelini, maſtiches, zingiberis, ſingul. drac. iij. piperis, euphorbij, vtriuſq; drac. vj. ſalis ammoniaci drac. xv. ſcammonij drac. vj. Datur cochlearij dimidium in prandio, ad intinctum, cum piſce, vel gallina: pondus autem ſint drac. ſ iv. Quòd ſi efficacius purgare oportuerit, manè ieiuno ex ſucci ptiſanæ, aut aquæ mulſæ drac. vj. præbebitis, ſed robuſtioribus dra. vij. imbecillioribus verò drac. iv.

dari

dari poterunt. Ad eundem vſum valde vtilis erit hiera tum ſimplex, tum quæ ex ſylueſtri cucurbita paratur, vti quæ compoſita eſt, & Galeno adſcripta. Vſus quin etiam terebinthinæ, vſus aquæ tetuccianæ cum melle roſaceo ſolutiuo improbandi non ſunt. Ad quæ tamen & ego deueniendum haud eſſe cenſeo, niſi præmiſsi ſint concoquentes vocati ſyrupi, qui lentam pituitam ſecent, abſtergantque, vbi præſertim eiuſdem vẽtriculi tunicis infarcta erit. In hoc præſtando palmam obtinet oxymel tam ſimplex, quàm cõpoſitum, & ſcillinum quandoque. Reliqua nota ſunt è ſupra relatis. In purgando tamen ventriculo illud ſemper memoria habendum, quod leui indigemus medicamento, nec in eius affectibus pręſcribenda ſunt fortia medicamenta, quia omnia lędunt ventriculum ipſum, & ita ingeminatur morbus. Ideo ſunt qui laudant pilulas hoc modo confectas. Rec. maſſæ pilularum de aſſaieret, & de hiera comp. vel de maſtiche, agar. troch. ana ſcr. j. formentur pilulæ cum ſyrupo de hiſſopo, vel cum aqua menthæ, vel abſinthij. Inter hæc purgantia libet mihi referre vinum purgatorium Eraſti, quod ita paratur. Rec. abſynthij, cardui bened. verbenæ, betonicæ, vel agrimoniæ, eupatorij, aſpleni, tamariſci, rad. capparor. ana m. j. cinnamomi, macis, galangæ, zingiberis ana drac. j. vel ij. flor. pæonię, vel rad. & ſem. pæon. ana drac. j. ſ. ſem. citri drac. ſ. fol. ſenæ vnc. ij. turpeti inciſi, agar. ana drac. ſ. vini veteris menſ. iij. miſceantur in vaſe diligẽter clauſo. Capiat æger alternis diebus poculum vnum His, vel conſimilibus vti poterit frequenter quicunque vitio ventriculi, & crudorum humorum in eo collectorum morbis capitis, & præſertim Epileptico obnoxius eſſe conſueuit. Clyſteres autem cuiuſmodi eſſe debeant, abundè ſupradictum eſt. Poſtea de roborando ſtomacho erit cogitandum, ne rurſus talia congerat excrementa; Vnde extrinſecus laudantur ſtillicidia, vel ex aquis thermalibus calefaciendi, & ſiccandi facultatem habentibus, vel ex oleis ſtomachicis cum decoctione ſimplicium, & aromatum conuenientium, de quibus nos in noſtris Conſultationibus, vel inunctiones ex oleo abſinthite, nardino, maſtichino, & de mentha, & alijs alibi expoſitis. Fotus quoque varij, variaq; traduntur cerata, de quibus etiam aliàs. Intrinſecus infinita à Medicis præſcribuntur, ius galli antiqui, decoctum chinæ, & ligni ſaſſafras, mitrhi-

datium, zingiber conditum, antidotus trium piperum, diacalamintha, tabellæ variæ ex oleo aniſorum, ex oleo ſaſſafras; In quibus tamen animaduertendũ vobis eſt, immoderatè calefacientia eſſe vitanda, quia reſoluunt natiuum calorem ventriculi, & tandem frigiditatem inducunt. Vnde puellæ, quæ zingiber, & ſimilia edunt apud Gallos, a pallidis occupantur coloribus. Quare non ſine delectu, ventriculo malè affecto, vti illis oportet. Placet propterea vſus ſequentis opiatæ. Rec. cortic. citri condit. vnc. j. conſeruæ anthos, zingiberis conditi, conſeruæ ſtœchadis ana drac. vj. pul. arom. roſ. drac. j. ſ. pul. diamoſci dra. j. pul. diarrhod. abb. drac. ſ. pul. cranij hum. rad. pæoniæ, & viſci querc. ana drac. j. ſem. aniſ. cymini, & ſeſeleos tenuiſſimè tritorum ana ſcr. j. cum ſyrupo de corticibus citri fiat opiata. Quod ſi ad ventriculum regurgitent acres, & bilioſi ſucci, moleſtiq; ichores, indeq; caput vnà laboret, & Epilepſiam patiatur, vt aliquando contingere ſolet in corporibus præſertim picrocholis vocatis, quibus hepar, ac totũ venoſum genus impenſè feruidum eſt, ventriculus verò valde imbecillis, in his quoque ante omnia diligenter expurgandus eſt ventriculus à prauis illis humoribus, vomitu, ſi ad vomitum propenſus æger ſit, ante cuius tamen excitationem vel ptiſanæ cremorem, vel quid aliud quod humectet, exhibebitis, poſtea vomitorium vt ſupra offeretis. Quod ſi tunicis eius impactus ſit bilioſus humor, abſinthij potum, aut medicamentum ex aloe, πίκραν vocant, ſæpius in anno his propinare neceſſum erit, vſuq; enematum humorum impetum à ventriculo ad aluum vocare, & auertere. Patiens autem animum impenſius minimè exerceat, vel ſtudijs, vel alijs ſolicitudinibus, aut quibuſuis negocijs, potiſſimùm verò non excãdeſcat, non famem, aut inediam toleret, ſed vbi cibaria preſtò non ſunt, ſaltem offam panis vino aliquo non generoſo madefactam deuoret. In his enim locum habet quod ſcribit Auicenna 3. primi. doctr. 2. cap. 7. Oportet ne quis comedat niſi poſt deſiderium, nec in hoc tardetur, cum fuerit deſiderium excitatum, niſi fuerit mendoſum, vt ebriorum deſiderium, & habentium faſtidium: quoniam tolerare famem ſtomachum malis, & virulentis replet humoribus. Quod quidem ſimiliter tradiderunt Hippocr. 4. De morbis, & Galenus 3. De natur. facult. cap. 13. Sequitur Auicenna; nec quicquam

quam comedant, qui ſanitatem cuſtodire volunt, niſi deſiderium fuerit certum,& ſtomachus,& ſuperiora inteſtina à primo nutriẽte fuerint euacuata, quia nihil in corpore deterius eſt, quàm nutriens ſuper nutriens, quod non eſt digeſtum, mittere. In hac fortaſſe Epilepſia conuenit circa caput adhibere oxyrhodinum repellendi facultate præditum,quod à Rhaſe proponitur, & ab aliquibus neotericis commendatur. Ad hæc roborandus ventriculus per ea, quæ leuiter adſtringant, & modicè tantùm refrigerent, cuiuſmodi ſunt cytonitis ſaccharo confecta, ſaccharum roſaceum, electuarium de ſorbis, de cornibus, diamarenatum. Quæ omnia, ſi ab ingeſtis cibis illicò deſumantur, os ventriculi adſtringendo cor roborant, arcentq; vapores, qui ſurſum ad caput conſcendere ſolent, vt faciunt etiam pyra, meſpila, cotonea, & huius generis alia. Extrinſecus inũgatur vẽtriculus, ſi æſtas ſit, oleo melino, ſi hyems nardino, ſi ver, & autumnus, maſtichino. Roborantia caput, & cerebrum, ne tam promptè ſuſcipiant rem infenſam aliunde trãſmiſſam alibi dicta ſunt abundè, in primis verò celebrantur magnæ antidoti mithridatium, & theriaca; ſed in biliósis theriaca antiqua non ſit, imò omnino recens. Vbi Epilepſia prouenit ex affectibus vteri, ſiue hoc fiat ob retentionem, vel corruptionem ſpermatis, ſiue menſium, aut ſecundinæ retentionem, ſiue deniq; ob imprægnationem, methodus curatrix ita ſe habere debet. Si fiat Epilepſia ex vteri conſenſu propter ſeminis, aut ſecundinarum retentionem, vtrumque eijci debet ex vtero, deinceps vterus corroborandus. Solemus nos paſſim ad ſemen retentum, & corruptum in viduis, atque virginibus vti hoc peſſario. Rec. ſpec. benedictæ lax. vnc.ſ. agar. troc. drac. j. colocynthidis, ſem. nigellæ romanæ ana drac.ſ. cum ſucco mercurialis, terebinthina, vel melle fiat peſſariũ, & vuluæ indatur. Ad id pariter conferunt cucurbitulæ inguinibus adhibitæ. Quæ ſternutamenta prouocant hìc etiam locum habere poſſunt. Plura qui cupit, legat quæ traduntur à Practicis in curatione hyſtericæ paſſionis. Si fiat id mali genus propter cohibitos menſes, prouocentur omni ſedula opera, & quia hoc in opere validis aperientibus vti oportet, cauendum prius, ne in ventriculo, & prima, quam vocant, regione cruditas adſit, qua præſente, inſtituatur à vobis purgatio, prout expedire videbitur, poſtea ad ea,

quæ menſes educunt, deueniendum. Pro corroboratione verò, & exſiccatione humiditatum vteri, præter theriacam, & mithridatiũ, laudatur ſummopere triphera magna ſine opio, & puluis diambræ, quemadmodum exterius admotum emplaſtrum ceroneum Nicolai, malaxatum oleo liliorum, vel ſpicæ. Tempore, quo vtero gerunt mulieres, ſi ab Epilepſia corripiantur, difficillimè admittunt curationem, & nos, niſi à quarto ad ſeptimum menſem, purgantibus medicamentis vti prohibemur, ideo expectandum tempus partus, ſed quò morbus mitior ſit, aliquot leuioribus præſidijs vtendum. Roboretur in primis ventriculus, qui facilè compatitur, vnctionibus quibuſdam odoratis, ſacculis, & emplaſtris. Inſuper præſcribantur cerata, ſeu emplaſtra duo, quorum vnum admoueatur ventri ad regionem vteri, alterũ ponatur ſupra renes in dorſo. Fiãt autẽ ex maſſa emplaſtri pro matrice cuius deſcriptio habetur apud Vvekerum in Antidot. ſpec. lib. 2. ad roborandum, ac retinendum fętum, & ex maſſa emplaſtri ceronei, quod ibidem ex N. affertur, ad purgandum ſimul, & exiccandum vterum, additis aliquot granis moſci, & oleis liliaceo, & de ſpica. Quod ſi tandem Epilepticus affectus hominem ex particula aliqua exteriori inuadere percipiatur, vlcere fortaſſe carioſo parte illa laborante, à qua aura putris, & venenata aſſurgit, Medici ſcopus erit partem, quæ eſt ſupra mineram, ſiue focum, arctiſſimè deligare, & membro primariò laboranti cauterium applicare, vt via pateat auræ putri, & venenatæ, ſimulq; ipſa ſiſtatur putredo. Expedit hoc in caſu inter partem affectam, & caput, loco ſcilicet, qui ſuperior eſt laborante particula, imponere medicamentum confectum ex ſanguine draconis, bolo armena, hypociſtide, gallis immaturis, malicorio, myrto, & ſimilibus. Pars verò tandem, à qua prima mali emanat origo, inuratur cauterio vel actuali, ferro inquam, aut auro ignito, vel potentiali, applicito phœnigmo ex cantharidibus, ſinapi, euphorbio, fermento, & acerrimo aceto, ſeu ex thapſia, vt faciebat Galenus, ſeu ex herba lepidio, quæ partem exulcerat, extenuat, & calefacit. Quidam cucurbitulam multa cum flamma, cute prius inciſa, defigunt, quidam & hirudines adhibent, quo quo modo fiat, non curo, dummodò pars illa diu detineatur aperta, vt inde mala qualitas, ac venenatus vapor exire, & euaneſcere poſſit. Sic enim in-

ter alios Fernelius ſanauit quendam Epilepticum, cui ſub cranio venenatus humor coaceruabatur, admoto parti fonticulo. Interim verò non omittatur, ſi opus erit, congrua humorum prædominantium purgatio per hieram diacolocynthidos, per cochias, aut alia conſimilia medicamenta; vapores etiam à ſupernis partibus cum vinculis dolorificis, tum frictionibus validioribus auertendo. Similis prorſus eſt curatio Epilepſię ex alicuius animalis ictu, & morſu venenato prodeuntis.

Et ecce colophon impoſitus non tantùm Epilepſiæ, ſed alijs quoque frequentioribus, & curatu difficilioribus CAPITIS morbis, nempe Catarrho, Phrenitidi, & Lethargo, quorum cognitio, & curatio ad alios omnes eiuſdem membri facillimè à perito in Arte adaptari poterunt. Si hæc autem candido Lectori vtilia, &, vt ſpero, digna, quæ in eruditorum Medicorum manus diuulgentur, iudicabuntur, eundem ſeruabo ordinem in morbis Pectoris, & Ventris, eoſq; pariter in communem vtilitatem propallabo. Tandem verò, vt prioribus poſtrema reſpondeant, nec minus principio, & medio grata, ſeu Chriſtiana ſit coronis, ſciat quiuis Medicus, quiuis homo veriſſimum eſſe quod non ſolùm in Sacris paginis traditur, ſed etiam apud Hipp. legitur De decenti ornatu; omnes morbos, quos Medicina vincit, ope diuina vincit. Apud quem ſimiliter lib. De Sacro morbo verba hæc veritatem Catholicam redolentia habentur: Si quid contingat aliquem pati, oportet cupere id à Deo purgari, & purum effici. Deus namque, inquit, eſt, qui maxima, ac ſceleratiſſima peccata purgat, & liberatio noſtra exiſtit.

DEO Trino, & Beatiſs. ſemper Virgini MARIAE, laus omnis, & gloria, & Sanctis quoque Ioanni Baptiſtæ, ac Ioanni Euangeliſtæ Patronis meis, totique Aulæ Cæleſti.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

ABSCESSVS *optimi quinam ſint apud Hippoc. pag.62. & 456*

Abuſus olei, ſeu liquoris vitrioli. 400. *vſque ad* 414

Aceti vſus in capite Phreniticis an conueniat. 165

Aceti vſus in pueris dormituris ad quid valeat. 399

Acetum præparatum ad excitandos Lethargicos 207. *Epilepticos.* 421

Acetum non eſſe corpus ſimplex. 411

Acetũ calidum, & frigidũ. ibid.

Acida in febribus cur conueniãt. 402

Acida non adſtringere contra Iachinum. 402

Acidus ructus aliquando caloris ſoboles. ibid.

*Acre, & mordax confundi, & cõmune eſſe tribus ſaporibus.*406

Acre quomodo de frigidis etiam dicatur. ibid.

Acria ab igne qui fiant minus calida. 410

*Actuarius Galeno cõciliatus.*260

Acutæ febres cur magis in iuuenibus, quàm in ſenibus. 305

Acuti morbi varij ſunt. 141

Acuti morbi à quibus fiant humoribus. 292

Acuti morbi qui dicantur. 293

Acuti morbi cum febre continua. 296

Acuti morbi periculoſi. 297

Acuti morbi Galeno qui dicantur. 299

Acutorum morborum terminus. 141

Acutorum morborum plures differentiæ. 293.294.295

Aer Catarrhum promouens qualisnam ſit. 19

Aer cuiuſmodi eſſe debeat in Catarrho. 25

Aer in morbis cerebri quanti ſit faciendus. ibid.

Aer in Phrenitide cuiuſmodi eſſe debeat. 143

Aer in Lethargo quomodo parandus. 206

Aer quomodo ſit Epilepſiæ cauſa. 286

Aer

Aer noxius Epilepticis. 462
Idem in Epilepticis quomodo parandus. 463
Aeris tepiditas cur diſtillationes pariat. 1
Aeris Romani qualitates. 3.4. 25. 26
Aeris ſubita mutatio quid pariat 25
Aeris neceſsitas ad vitam. 79
Aeris prouiſio quanta ſit habenda. 462
Aetas Catarrho obnoxia. 16
Phrenitidi. 118
Lethargo. 196
Epilepſiæ. 305.307.308
Aetas melancholicis humoribus generandis idonea. 339
Aetij opinio nō probata. 166.167
Aetij locus enarratus. 201.202. 446
Agarici trochiſcati, & non trochiſcati diſcrimen. 67
Agaricus Medicina familiæ. ibi.
Agaricus Medicina cardiaca. ibid.
Agaricus vētriculo parum amicus. ibid.
Agaricus contra vermes. 399
Agaricus cur mirabilis in Epilepſia. 417
Albaras in capite Epileptici quid oſtendat. 454
Alcis vngulæ virtus attributa. 420.437
Alcmæonis opinio de ſemine. 376
Alexandri Magni de concubitu opinio. 470
Aloe ſoporem inducit. 217
Aloe quos purget humores. ibid.
Aloes facultas. 303
Altimarus reprehenſus à Capiuaccio. 230
Altimarus defenſus. 350
Aluus lubrica quibus fiat. 92
Aluus lubrica in morbis capitis cur vtilis. 202
Amati Luſitani *cōtradictio quo modo tollenda.* 403
Amauroſis quando fiat à Catarrho. 11
Ambra griſea ad Epilepſiā. 431
Amazonidum conſuetudo. 310
Amuleta varia ad Epilepſiam. 443. *& ſequent.*
Amuleta Phyſica, & Magica an vſurpanda ſint in Epilepſia. 443.444
Analyticum præceptum in Medicina. 41
Anatomes vtilitates. 174.175
Andernaci opinio reiecta. 406
Anguillæ cur damnatæ ab Hippocr. 84
Anima Galeno quid ſit. 108
Anima pueri cur ab Ariſtot. æquiparetur animæ belluæ. 254. 255
Anima vna eſt pluribus ornata potentijs. 251
Animæ potentiæ læſæ in Phrenit. 109

Animæ potentiæ diffuſæ per totũ cerebrum. 110
Animæ potentiæ à quibus nam qualitatibus maximè lædantur. 179
Animæ potentiæ in cerebro ſint ne loco diſtinctæ. 182
Animalia exenterata quo tempore capiti applicanda in Phreniticis. 168
Animalis facultas quotuplex ſit. 251
Animalis ſpiritus generatio, munus, & ſedes. 252
Anni tempus indicare humorem prædominantem. 337
Antimonium quando conueniat Epilepticis. 428
Antonio Muſæ Auguſti Medico honores adaucti. 171
Aphoniam ſolui venę Lectione. 450
Apij vsº an cõueniat Epilept. 480
Apollonij medicamentum a Galeno correctum. 411
Apoplexia a Catarrho quando generetur. 11
Apoplexię & Epilepſiæ ſimilitudo, ac disſimilitudo, veluti natura, cauſæ, ſymptomata, Vide quæ notantur in Epilepſia.
Appetentia a Catarrho cur lædatur. 12
Apri veſicæ cum vrina vſus; Teſtes. 441
Apophlegmatiſmi in Catarrho cur parum tuti. 45
Apophlegmatiſmi ex quibus fiãt. 45
Iidem in Epilepticis cuiuſmodi eſſe debeant. 429. & ſeq.
Aqua an vino vtendum in Catarrho. 87
Aqua frigida an bibendæ a cibo, & ante ſomnum. 90
Aqua coriãdrorũ cur ſuſpecta in Phrenit. 150. In Epilepſ. 480
Aqua, cui modicum chalcanthini liquoris admiſtum ſit, frigida, an calida remaneat. 407
Aqua theriacalis, & eius vtilitas. 75
Aquarum thermalium vſus pro capite in Catarrho. 76. 77. Earundem vtilitates in Epilepſia. 434
Aquæ variæ ad ſitim ſedandam 90
Aquæ potus in Phrenit. frigidus ne, an calidus conueniat. 150
Aquę chalcanthinæ quibus exhibeantur, & in quem finẽ. 412
Aquæ ceraſorum nigrorum dulcium facultas mirabilis. 422
Aquæ variæ, & præſentaneæ cõtra Epilep. 422. 437. & ſeq.
Aquilo vt Catarrhum promoueat. 20
Aquilo cur frequentiſsimus ventus. 25
Arabum doctrina defenſa. 187. 189

Arbores cur decreſcente Luna putandæ. 275
Archăgeli anatomici opinio. 245
Archigenes a Gal. reprehĕſus. 290
Eiuſdem medicamentum in Cardialgia ſimile veſicatorijs 541
Aretæi locus de ijs, qui ſanguinem aduerſus Epilepſiam bibebant 442
Argenterius reprehenſus. 7
Argentonius citatus. 171
Argumenta negantium in Phrenit. ſubiectŭ eſſe cerebrŭ. 111
Eorundem *ſolutio.* 112
Argumenta quibus videtur prohiberi misſio ſanguinis in Epilepſia. 445
Solutio ibid. & ſequen.
Arnaldi medicamentum contra Epilepſiam. 441
Ariſtoteles defenditur, & explicatur. 114. 259
Ariſtoteles vbi poſuerit primum ſenſorium. 290
Ariſtotelis opinio de modo generationis Catarrhi. 16. 289. *& ſequent.*
Ariſtotelis error notatus a Galeno. 179
Ariſtotelis dictum. 200
Ariſtotelis opinio de ſomni, ac Epilepſiæ *cauſa proponitur, & confutatur.* 288. 289
Ariſtotelis locus explicatus. 291
Ariſtotelis opinio de origine motus pulmonum minime probata. 354
Ars medendi inter quas collocetur a Platone. 316
Artes omnes naſcentes rudes. 38
Artis opera vnde ineunda. 317
Aſa Rex cur podagra obierit. 227
Aſclepiades habitum contradictionis habebat. 144
Aſclepiades defenſus. 152
Aſclepiadis ſententia. 64
Aſclepiadis dictum erroneum. 83
Aſclepiadis opinio de potu damnata. 87
Aſclepiadis opinio reiecta. 153. 157. 158
Aſſa in Epilepticis *magis conuenire elixis.* 475
Aſſæ carnes an, & quomodo ſint humidiores elixis. 475
Aſini vngula, & caluaria ad Epilepſiam. 432. *Eiuſdem lac, & iecur.* 440
Asſidentia ſigna quæ vocentur. 317
Aſtringentia in morbis pectoris quæ, & cur conueniant. 89
Atrophia quomodo fiat a Catarrho. 12
Attica regio cur prudentisſima ferat ingenia. 274
Auctoris intentio in hoc opere, in Epiſt. *ad Lect.*
Auctoris intentio in explicatione Epilepſiæ. 381
Auctoris intentio in diſceptatione

ne de liquore chalcanthi. 413
Auctoris lib. de Flat. de cauſa Epilepſiæ opinio. 283. 284.
Eadem refellitur. 285
Auditus organum quodnam ſit. 331
An duplex. ibid.
Auenzoar quartanarios perſicis ſanabat. 147
Auenzoaris opinio reiecta. 113
Auerroes temerè Galenum deridet. 224
Auerrois lapſus. 175
Auerrois opinio de cauſa obliuionis amplectenda. 258
Auerrois opinio de cauſa efficiente Epilepſiæ. 282.283
Eadem opinio refellitur. 285
Auguſtus pane ſecundario cur vtebatur. 92
Auicenna defenditur. 282
Auicennæ lapſus. 197.348
Auicennę locus explicatus. 233. 245. 362
Auorum morbi in nepotes parentibus illæſis quomodo tranſeāt 378. & ſequent.
Aurium tinnitus Epilepſiam indicat. 331
Aurium tinnitus quomodo, & a quibuſnam cauſis fiat. ibid.
Auſter quanam ratione fluxionē a capite progignat. 20
Idem cur frequentiſsimus. 25
Auſterum vinum an conueniat in Catarrho. 89
Autumnus cur Epilepticis omnibus noxius. 340
Autumnus cur tantopere Epilepticos afficiat. 463

B

Balneum aquę dulcis in Catarrho. 46
Idem in Epilepſia quando, & cur conueniat. 469
Bellerophon melancholicus quid faceret. 323
Beta, & ſuccus eius. 91
Illioſorum humorum præparatio cur, & qui fiat. 162
Bilis diuerſitas diuerſa facit deliria. 120
Bilis an generet Epilepſiam, & apoplexiam. 280. 281
Bion Hippocrat. à lienis tumore quomodo liberatus. 18
Bonum, & finis reciprocantur. 5
Brachipotę cur vocati Phrenitici 151
Branchus quid. 4
Braſſaulus defenditur contra Paſchaſium. 4
Braſicę vtilitas. 475. 476
Britannicus fuit Epilepticus. 371
Bronchos Græcè quid ſit, & qui fiat. 54

C

Cachexia a Catarrho qui fiat. 12

Cadu-

Caducus morbus cur dicta Epilepſia. 22.64
Cælum Romanum Catarrhum cur frequentiſſimè generet. 25
Cælum Romanum *vulneribus capitis non infeſtum.* 25
Cælum Rauennate nebuloſum. 74
Cæleſtium corporum vis in hæc inferiora. 273. 274
Calij Aureliani *opinio non probata.* 206.207
Cæſar fuit Epilepticus. 371
Calculi generatio a frigiditate veſicæ an detur. 260
Calculus in veſica magis in pueris, ſed in ſenioribus magis in renibus, & qua de cauſa. 314
Caligula Epilepticus. 371
Cãbyſes Epilepſia *laborabat.* 371
Candelæ pro cubiculo Epilepticorum. 464
Cantharis cur, & quando præbeatur in iſchuria. 411
Cantharides Romæ non ſunt magnæ admodum efficaciæ. 460.
Canum rabies cur Phrenitidi aſſimilata. 118
Capiplenium quid. 4
Capita Perſarum cur debilia, Aegyptiorum fortia. 101
Capitis ratio quanta habenda ſit à primis annis. 101
Forma quæ ad prudentiam, vel fatuitatem conducit. 106
Morbi externi cur non explicati. 172
Partium eius anatome. 174. & *ſequent.*
Forma *cuiuſmodi ſit.* 176
Partes quot, & quę nam ſint. 176
Dolor quomodo & a natura, & ab arte tollatur. 454
Capitones vulgo ceſali cur damnati ab Hippocr. 84
Capiuaccij opinio reiecta. 230. 231.232.137.238
Caprę Epilepſię *obnoxię & cur.* 370
Eiu*ſdem caro an & quomodo* Epilepſiam *communicet.* 475
Caput dupliciter nos afficit. 13
Cucurbitæ, ac tecto cõparatũ. 15
Calidum cur facilè à frigore lædatur. 51
Cur cæterorũ morborũ parẽs. 175
An propter cerebrum, vel oculos factum. 175
Cur piloſum. 176
Sine ſuturis cur doloribus obnoxium. 178
In Phrenitide quomodo ſpecialiter vacuandum. 163
A veteribus cur veneratũ. 224
Caracallæ Imper. lex aduerſus curantes quartanam ſuperſtitionibus 443
Cardanus quomodo curauit duos Epilepticos. 440
eiuſd. opinio de oleo vitrioli. 400
Carnes in Catarrho quæ conueniant, & quæ non. 83

In

In Lethargo. 208
In Epilepſia. 473
Carolus V. Epilepſiæ obnoxius. 372
Caros qui diſcernatur a Lethargo. 201
Caros an cum febre. ibid.
Caros ex quibus cauſis. ibid.
Carthami facultas, & vſus in Letargho. 45
Caſeus quibusnam malus. 85
Caſeus quomodo cõcedẽdus. ibid.
Caſsia in Epilepſia cur ſuſpecta. 426
Caſtorei vſus. 167
Caſtoreum an conueniat in Lethargo. 217.218.220
eiuſdem vſus in Epilepſia. 421
eiuſdem extracti virtus in Epilepſia. 436
Catalepſis in quo a Lethargo differat. 202
Cataphora Galeno quid ſit. 202
Cataplaſma ad ventrem pueri Epileptici. 395
Cataputia Alex. ad Epilepſiam. 417. 428 (44.45
Catapntiæ vtriuſque facultas.
Cataputiæ vsꝰ in Epilepticis. 428
Cataracta à Catarrho. 11
Catarrhi nomenclaturæ explicatio. 4. 5
Catarrhi nomẽ tripliciter ſumi. 5
Definitio. 5
Ductus quot, & quinam ſint. 9
Generatio ſimilis lienteriæ. 14
Catarrhi, & pluuiæ generatio per quam ſimilis. 15
Cauſæ variæ. 17
Differentiæ 21. & ſequent.
Signa dignoſtica. 22
Frigidi, vel calida ſigna. 22
Delabentis ad varia loca quæ ſigna ſint. 22
Prognoſticum in genere. 23
Præſeruatio in quonam potiſsimùm conſiſtat. 26
Cauſa calida in Catarrho frigido. 52
In ventrem defluentis ſigna. 53
Calidi verę notæ. 76
Catarrho conuenientia lenitiua. 41
Catarrho calido tenui, vel craſſo quę alterãtia præſcribẽda. 42
Calido purgantia accõmodata. ibid.
Frigido idonea minorantia. 43
Frigido præparantia quæ ſint ex vſu. 43
Catarrho incipiente vacuandum ne ſit. 69
Catarrhũ patientes quot, & quibusnam morbis obnoxij. 23
Catarrhus morborum omnium cur frequentisſimus. 2
Catarrhus Romanis inquilinus, & cur. 3
Quidnam eſset veteribus. 4
Et ſymptoma, & morbi cauſa. 7
Qua ratione a cerebro ad alias partes tranſmittatur. 8

Quot,

Quot, & quę nam mala pariat in Epiſt. ad Lect. 9.10.11.
Arthritidis cauſa per quos ductus ad artus deſcendat. 12
A quonam cerebri morbo. 13
Periculoſus *quinam ſit.* 23
Malignus qui dicatur. 24.70
In quibus non concoquatur. 24
Tempore Homeri vix cognitus. 26
Cur noctu adaugeatur. 27
A *frigore an per colliquationē, an per expreſſionē diffluat.* 17
Ab *hepate in qua parte cauterium indicet.* 40.41
Inſulſus etiam in intemperie calida. 51
Quomodo ventriculũ lædat. 53
Quomodo febres gignat. ibid.
Quare aliquando magis, aliquando minus periculoſus. 69
Turgens qui dicatur. 71
In autumno cur moueatur. 81
Cauſa finalis non datur in morbis. 5
Cauſa ſimpliciter ſumpta Gal. quę nam ſit. 6
materialis pro ſubiecto morbi. 7
Catarrhi calida, Catarrho ipſo frigido. 52
Efficiens Phrenitidis. 114
Summa quæ dicatur. 267
Efficiens Epilepſiæ. 279.280
Cauſæ internæ tam efficientes, quàm materiales eſſe poſſũt. 6
Catarrhum fouentes. 15
Catarrhi variæ. 17
Phrenitidis. 116.*vſque ad* 119
Internæ, & externæ Lethargi. 196. 197
In morbis conuenientem indicant curationem. 267
A *Medico conſideratæ quæ ſint* 268
Secũdæ an ſint veræ cauſę. 171
Internæ morborum duę. 279
Efficientes Epilepſiæ. 279
Proximæ Epilepſiæ. ibid.
Epilepſiæ per conſenſum. 300
Præparãtes Epilepſiæ. 304.305
Cauteria vtrinam capitis parti affigenda. 39
A *quibuſdam malè damnata.* 390
Cauterij, & ſetonis diſcrimē. 40
Cauterij occipitis iuuamen. 63
Cauterij in ea partè qua oritur Epilepſia per conſenſem vtilitas. 424
Cauteriorũ vſus in morbis a Catarrho. 38
In Epilepticis. 456
In melancholicis. ibid.
Cauterium ſincipitis laudatur, & cur. 39
Occipitis quando conueniat. 39
In pueris Epilepticis conuenire. 391. *vſque ad* 396
Capitis quando fugiēdum. 415
Celſi locale medicamentum pro capite Epilepticorum. 432
Celſi locus expenditur. 29

Explicatur, ac defenditur. 89. 406
Celſi locus quomodo intelligendus. 233
Celſus ab Auctore notatus a Mercuriali non benè defenſus. 85
Cephalæa quid ſit. 297
Cepæ cur maxime damnatæ in Lethargicis. 208
Ceratum exulcerans pro capite. 37
Ceratum Capitale, & Catarrhi ſuſpēſorium. 62
Ceratum pro Epilepticis. 432
Cerebri excrementa duorum eſſe generum. 6
Conſenſus cum ventriculo vnde. 17
Hominis, & bruti ſimilitudo, ac diſſimilitudo. 107. 108
Subſtantia an poſſit inflammari. 111
Subſtãtia cuius ſit naturę. ibid.
Cur medullæ aſſimilata. 179
Cur mollis, & alba. ibid.
Cerebri anfractus in quem finem fabrefacti. 180
Pars exquiſitiſſimè sẽtiẽs. 245
Humidioris & ſiccioris in operationibus animę diſcrimen. 255
Cerebrum quo ſanguine nutriatur. 8
In Phrenit. vt patiatur. 114
Cerebrum cur oportuit frigidum eſſe & humidum. 179
In Epilepſia vt lædatur. 230. 237
An ſentiendi principium. 247
An ſit frigidiſſimum, & humidiſſimum. 259. 260
Cur ſomno delectetur. 469
Chalcãthi, & eiuſdem olei facultas erodens ac ſeptica eſt. 403
Chalcanthini olei vſus in qua ſpecie Epilepſiæ conueniat. 400
Cibi quantitas, & qualitas in Catarrho. 26. 82. 83. & ſeq.
In Phrenitide. 144. 145
In Lethargo. 208
In Epilepſia puer. 419
Aliorum. 471. & ſeq.
Ciborum varietas quàm noxia ſit. 83. 472
Cinerum vis, & facultas. 409
Claudini opinio de vſu olei Chalchanthi. 405
Clima Romanum temperatiſſimum Vitruuio. 4
Clyſteres a capite vacuare. 58. 159
In Phrenitide cuiuſmodi eſſe debeant. 153. 171. 162
Ad Lethargicos. 208
Ad Epilepticos. 421
Quando poſt ſanguinis miſſionem. 155
Ad pueros Epilepticos. 395
Clyſteres in puerulis cur ſine oleo, & ſale fieri debeant. 359
Iidem ex quibus parandi. 399. 426

Coagulũ leporis, & hædi ad quid valeat. 345.440
Cœna debet eſſe tenuior prandio in Catarrho. 27
In Epilepſia. 482
Apud antiquos cur lautior eſſe poterat, quàm tempore noſtro. 483
Colicus dolor a Catarrho. 12
Collegij Conimbricenſis opinio non probata. 355
Colocynthidis præparatio, & vſus in Epilepſia. 427
Color cutis quando ſimilis prędominanti humori. 328
Color pallidus qñ fiat. 329.330
Colores an vera dicant. ibid.
Columbi opinio noua de loco generationis ſpir. anim. 253
Columellę locus de perſeis, et perſicis. 146
Coma duplex. 202
Coma cur inter ſigna pleuritidis & peripneumonię. 203
Comitialis morbus cur dicta Epilepſia. 220
Conchylia augeri, & minui cum Luna. 275
Concuſſio Epilepticorum an impedienda. 420
Confectiones varię ad Epilepſiã. 434
Conſenſus partium quot, & quibuſdam modis fiat. 268
Conſeruæ cephalicę. 46
Ad Epilepſiam puerorum. 418
Controuerſia de Prandio, & Cœna in Catarrho. 86
In Epilepſia. 482. & ſeq.
De Veneris vſu in Catarrho quomodò ſedanda. 31.99.100
In Epilepſia. 469.470
Cõtrouerſia de ſanguinis miſſione in Catarrho ſedatur. 32.33
In Phrenitide. 153. & ſequent.
In Lethargo. 211.212
In Epilepſia. 445. & ſeq.
Cõtrouerſia de vſu ſinapiſmorũ, & veſicantium in Catarrho. 35.59
De ſtillicidio aquarum thermalum in Catarrho. 76.77
De moliẽda vacuatione ab initio Catarrhi. 69
Controuerſia ſedata. 96.104.105.144.157.158
Sedata inter Cælium, & Galenum. 141.142
Græc. & Arab. de medicamento in Phrenit. 158. & ſequent.
Controuerſia de qualitate oxyrhodini in Phreniticis. 166
De vſu animalium, quæ capiti extrinſecus in Phren. adhibentur. 168
De ſede principum facultatum in cerebro. 182
De delirio Lethargicorum. 190.191
De vſu vini in Lethargo. 209
Propoſita, & ſedata. 196
In caro. 201.202

De

De potu in Catarrho. 28. 29. & Conſil. In Phrenit. 149. 150
De purgatione molienda in Lethargo. 214. 215
In medicamento Alex. in Lethargo. 216
Inter Gal. & Auic. quomodo tollenda. 295
An Epilepſia ſit conuulſio. 230. & ſequent.
De loco affecto in Epilepſia. 238. 239. & alibi.
De motrice facultate, an concurrat ad Epil. 240 & ſequent.
De cerebri ſenſu. 242. & ſeq.
Controuerſia An Epilepſia fiat ex obſtruct. carotidum arteriarum, & venarum iugularium. 246. & ſequent.
De læſione potentiarum animæ in Epilep. 256. & ſequent.
Sedata. 305. 306
De incubo. 321
De oris ſpuma iu Epilepticis. 349. & ſequent.
An Epilepſia deſinat in paralyſin. 363. & ſequent.
De curatione Epilepſiæ in puerulis. 366. 446
An ſoli homines Epilepſia laborent. 369. vſq, ad 371
De vini vſu in nutricibus puer. Epilepticorum. 387. 388
De liquore chalcanthi, ſeu vitrioli, eiuſq; abuſu. 400. vſq; ad 414
De ſãguinis miſſione in Epilepſia 445. & ſeq.
De vſu balnei in Epilepticis. 468. 469
De carne coturnicum, et hædorũ in Epilepticis. 473. & ſeq.
De apio, & coriandro an conueniant Epilepticis. 476
De tuſſi à vermibus. 414. & ſequent.
Controuerſiæ duæ de vſu, ac tempore purgantium in Catarrho. 42. 43
Controuerſiæ variæ in Lethargo. 185. & ſeq.
Conuulſio, & conuulſiuus motus vnà cum Epilepſia. 229. & ſequent.
Ambo an ſint de Epilepſiæ eſſentia. 233. 234
Conuulſio an ſit in Epilepſia per conſenſnm. 234
Conuulſio omnis à quibus cauſis oriatur. 234
In Epilepſia qui fiat. 236
Coriãdrorũ aqua cur ſuſpecta in Phrenit. 150. In Epilepſia. 480
Corona ex pæonia cur vtilis pueris Epilepticis. 419
Corpora Epilepſiæ obnoxia. 336
Coryza quid nobis, & Hippocr. 4. 5
Coſmeticam Medicinam cur ſcripſerit Galen. 172
Coturnices Epilepticæ. 370
Coturnices quæ ſint, & an prohibendæ

bendæ Epilepticis. 473.474
Crama quid Celſo ſit. 88
Cranij vires in Epilepſiæ *curatione.* 433
Cranium cur ita dictum. 177
Cranium cur craſſum, & rarum. ibid.
Crocus cur adhibitus remedijs pectoris. 89
Cruſta panis ad ventriculum imbecillum vt præparanda. 396
Cuculi auis proprietas contra Epilep. 443
Cuculus piſcis concedendus in Catarrho. 184
Cucurbitulæ in Catarrho vbi applicandæ. 58
Cucurbitularum rectus vſus. 157
Curatio Epilepſiæ *duplex, & quomodo.* 419
Paroxyſmi Epileptici *in omnibus* 419. *& ſeq.*
Epilepſiæ *in pueris an facienda.* 366. *&* 367
Epilep. *in pueris grandioribus.* 397. *vſq; ad* 419
Epilepſiæ per eſſentiam in omnibus. 425. *vſque ad* 483
Per conſenſum. 483. *vſque ad finem.*

D

D*Aemonũ Medicinę quę ſint* 444
Damocrates Athenienſis *fuit* Epi*lepticus.* 371
Idẽ cur ad Oraculũ iuerit. 442
Decoctum in Catarrho debellando. 46
Decoctum diſcuſſorium roboranſque. 74
Ad Epilepſiam *perſanandam.* 433
Decubitus ſupinus cur damnatus. 95
Decubitus in Catarrho cuiuſmodi eſſe debeat. 95
Definitio Catarrhi 5. *Phrenit.* 104
Lethargi. 185
Epilepſię. 226. 227
Definitio quid ſit. 221
Definitio apud Logicos *duplex.* 221
Definitio morbi mitis Gal. Au*ctori ſuſpecta.* 294
Deliria per Gal. quãdo fiãt. 114
Delirium an ſit continuum in Phrenitide. 104
Delirium ex diaphragmate cur ſit continuum. 121. 122
Delirium in Lethargo qui fiat. 192.193
Delirium Lethargicorum cur leuius delirio Phreniticorũ. 193
Democedes Medicus Darij. 171
Democriti dictũ de Veneris vſu. 31
Eiuſdẽ *opinio de curatione quorundam malorum.* 442
Deriuatio quando facienda. 71

Deus cur,& quomodo cauſa morborum. 265. 270.271
Languores ſanat. 272
& in Coronide Operis.
Epilep. *cauſa quomodo ſit.* 273
Cur in Sole potisſimum eſſe dicatur. 183
Diacarthani facultas. 399
Diacodionis vtilitates. 152
Diæta duplici modo ſumpta. 471
Qualis eſſe debet in Catarrho. 25.26.27.28.29.30.31.78. 79.*& ſeq.*
In Phrenitide 143.*vſq;ad*153
In Lethargo. 205.*vſq;ad* 211
In Epilepſia. 461.*vſq; ad* 483
Diaphoreſis cur, & quando locũ in Lethargo habeat. 219
Diaphoretica medicamenta in Epilepſia. 430.*& ſeq.*
Diaphragma cur phrenas vocatum. 111
Inflammatum cur delirium faciat continuum. 121. 122
An ad prudentiam conferat. 122
In celebranda reſpiratione quomodo ſe habeat. 354
Diaphragmatis conſenſus cum cerebro vnde fiat. 123
Diarrhœa a Catarrho. 12
Dictamni albi,& Cretenſis vſus 390
Differentiæ Catarrhi. 21
Phrenit. 119
Lethargi. 194
Epilepſiæ. 261
Dioclis opinio à Cælio damnata. 155
Dioſcorides defenditur. 406
Dioſcoridis locus explicatus. 30
Dioſcoridis *plura remedia ad* Epilepſiam. 441
Dogma nouum Fernelij. 12
D*olor capitis a Catarrho.* 11
D*olor capitis a Catarrho.* 11
D*olor capitis & ſignum,& cauſa Epilepſiæ.* 327
D*olor capitis indicat etiam* Epilepſiam *per conſenſum.* 345
D*oſis medicamentorum ex veteribus non temerè admittenda.* 216
D*iuinum in morbis quid ſit Hippocr.* 269.272
Diuinus morbus cur vocata Epilep. 224
D*ubitatio perpulchra, & ſcitu neceſſaria in curat.* Epilepſiæ. 448
D*ucciæ S.Philippi facultas.* 419
D*ureti opinio non probata.* 204
D*uretus contra Fernelium.* 12.
D*uretus notatur.* 226

E

ECcleſiaſtici variæ ſententiæ de Medicina.* 171
De vtilitate vomitus. 93
E*cſtaſis cur dicta* Epilepſia. 225
E*lectuariã contra* Epilepſiam *in pueris.* 418

In

In alijs. 435. *& ſeq.*
Electuarij Eleſcoph *vires, & vſus* 399
Electuarium *pectorale Auctoris.* 73
Elementa *ſecunda quæ dicantur a Gal.* 334
Embrocationes *capitis in Catarrho calido.* 46
Empirica *remedia in* Epilep. 440 *& ſequent.*
Emplaſtrum *pro ſinapiſmo.* 38
Catarrhi ſuſpenſorium. 62
De betonia. 418
Metaſincriticũ ad Epilepticos. 460
Ceroneum, & pro matrice ad vterinam Epilepſiam. 488
Empyreuma *quid.* 409
Idẽ quando augeatur, & amittatur. ibid.
Epicharmi *ſententia.* 128
Epicurus *cur a Gal. reprehenſus.* 271
Eiuſdem de venereorum vſu reprobata. 470
Epidemiam *a Deo propter peccata immitti.* 269
Epilepſia *a Catarrho.* 11
Epilepſia *diurna potius, quàm nocturna.* 28
Vnde dicta. 223
Semper morbus capitis. 224
Symptoma eſſe probatur. 227
Et ſymptoma, & morbus. 297. 298
In quibus differat ab alijs conuulſionibus. 229
An ſit conuulſio. 229. 230 *& ſequent.*
An fiat ex obſtruct. carotidum arteriarũ, & venar. iugulariũ 246. *& ſequent.*
A quot nam partibus, & quomodo per conſenſum oriatur. 263 *vſq; ad* 267
An in Deum *ſit referenda.* 268
A ſanguine, & bile an detur. 280. 281
Quomodo a ſanguine generetur. 449
Quando inordinatè moueatur. 278
Quomodo acuta, & chronica paſſio dici poſſit. 292. *& ſeq.*
Occultum habet principium. 294
Cur ſtatim aliquando iugulet. 298
Quam ætatem maximè afficiat. 305
An ex ſola intemperie. 305
Etiam in vtero nobis oboritur. 307
Cur ætatis mutatione ſæpè deſinat. 307
Ab humore pituitoſo qui dignoſcatur. 335. *& ſeq.*
Ab humore melancholico. 341
A vermibus. 341
Ab hypochondrijs. ibid.

Ab hepate, & liene. ibid.
Ab vtero, aliiſue partibus. 346
Ab aura venenata. ibid.
An in paralyſin deſinat. 363
Inueterata cur inſanabilis. 360
Per eſſentiam cur difficilior altera per conſenſum. 368
Ab humore melãcholico cur deterior altera, quæ fit ab humore pituitoſo. 368. 369
An ſemper à venenata cauſa cum Hipp. & Celſo. 370
Degenerans in melancholiam quæ ſit. 373
Hæreditarius morbus. 374
Plerumq; cauſa Nutricum. 386. 387
A vermibus quot modis fieri poſsit. 398
Quibus nam ſcopis aggredienda vt debelletur. 398. 399
Epilepſiæ nomenclatura, ac etymologia. 222. 223
Definitio. 226
Differentiæ. 261. *& ſequent.*
Cauſæ. 267. *vſq; ad* 315
Signa præcedentia. 119. *vſque ad* 333
Cauſæ efficientis nempe, vel pituitoſi, vel melancholici humoris. 333. *& ſeq.*
A vẽtriculo, aliiſq; corporis partibus. 341. *vſq; ad* 247 (360
Pathognomonica. 347. *vſque ad*
Symptomata circa finem. 360. *& ſequent.*
Signa Prognoſtica. 365. *vſque ad* 381
Curatio in puerulis an facienda. 266. 367
In pueris per Nutricem, & leuia quædam medicamenta fieri poteſt. 389
Ex lacte vitiato. 394. 395
Ex culpa ventriculi in pueris. 395
In pueris ablactatis & grandioribus. 267. *vſq; ad* 419
In omnibus per Pharmaciam. 425. *vſq; ad* 444
Per Chirurgiam. 444. *vſque ad* 461
Per Diætam. 461. *vſque ad* 483
Et inde vſque in finem Epilepſiæ per conſenſum.
Epilepſiam a Deo non immitti quomodo probet Hipp. 172
Epilepſiam in pueris, & iuuenibus minimè fieri debere oſtenditur. 308. 399
Epileptici cur ſtolidi, & immemores. 253. 254
Epileptici cur fiant in interlunio concepti, vel editi. 276
Cur eodem tempore, ac in plenilunio ab acceſſione maxime tẽtentur. 276. *& ſeq.*
Quamobrem iracundi. 33
Cur, & quãdo muti fiant. 352

Cur ſenſus omnes deperdant. 357
An ſoli homines fiant. 369
Maxime omnium euadunt ingenio præſtantes,& cur. 371. 372 (376
Cur gignant alios Epilepticos.
Cur fiant nepotes ex auis, illæſis parentibus. 378.& ſeq.
Epilepticus apud S.Marcum. 273 (429
Quoties in anno purgandus.
Epiphora a Catarrho. 12
Epithema capitis ad Lethargum. 219
Eraſiſtratus tria Artis inſtrumẽta excogitauit. 57
Eraſiſtratus quomodo potum definiret. 88
Eraſiſtratus cur a Galeno reprehenſus. 107
Eraſti opinio non probata. 350
Error. 180
Aqua mirabilis ad Epilepſiam. 439. & ſequent.
Eroſio ventriculi vnde fiat, & cuiuſnam ſpeciti Epilepſiæ nota euadat. 343. 344
Errhina cur tutiora apoplegmatiſmis in Catarrho. 45
E quibus fiant. ibid.
Cur ſuſpecta in morbis pectoris. 73
Quando fortia, & quando debilia conueniant. ibid.
Liquida quomodo parentur.
In Lethargo. 219
In Epilepticis. 429
Eryſipelas à quo fiat humore. 117
Eſſentia rei vnde eliciatur. 221
Euripides cur ab Ariſt.reprehenſus. 5
Euripidis locus de vſu vini. 87
Exercitÿ terminus. 97
Exercitÿ moderati commoda. ibid.& 470
Exercitium quando calfaciat. ibid.
A cibo cur malum. ibid.
Experientiæ temerariæ finis. 413
Experimenta fallacia. 412
Experimenta quando amplectenda. 413

F

Facies quid Medico oſtendat. 328
Facies cur platea hominis dicta ab Eccleſiaſtico. 392
Fames quę corpora iuuet. 2
Lædat. 48
Facultates per ſe impaſſibiles. 13
Falcones qua arte ab Epilepſia liberentur. 454
Febres Romanæ cuiuſmodi olim eſſent: in Epiſt. ad Lect.
Febres Epidemiæ Excellentiſſimę Domus Caetanorum cuiuſmodi forent. 413
Febres quietæ aliquãdo omnium peſſimæ. 294
Febris hemitritæus hodie Romæ non ita frequens vt Gal. tempore

pore in Epiſt. *ad* Lect.
Febris Catarrhalis. 12
Febris ardens quomodo fiat. 116
Febris tertiana inter acutos morbos cur numeranda. 298
Febris excitanda ne ſit in morbis Frigidis. 369
Fęcum exeretio inuoluntaria in Epilepticis *vnde fiat.* 360
Fernelij opinio reiecta. 243.244. 364
Eiuſdē *opinio de cauſa efficiente Epilepſiæ proponitur.* 284.285
Refellitur. 287
Fernelius Auicennæ *dogma reprehendit.* 17
Vbi cum Galeno congruat in aſſignanda cauſa efficiente Epilepſiæ. 286
Finis idem reſpirationis, qui pulſus. 358
Florentini cur maximè ab Epilepſia tenteniur. 372.459
Fœminæ cur deberent eſſe magis obnoxiæ Epilepſiæ, *quàm mares.* 309
Fotus cum ſpongia pro capite in Epilepſia *puer.* 418
Frictiones loco ſunt purgationis. 91
Quibus conueniant, & quātum conferant. 471
Frictionum in Catarrho vtilitas 58
In Epilepſia. 471.472
Frigus aeris qua ratione Catarrhum promoueat. 20
Frigus nulli functioni ex vſu eſſe quomodo intelligendum. 254.258
Frontinus de aere Romano quid cenſeat. 79
Fructus qui concedendi in Catarrho. 85.86
Qui concedendi, & denegādi in Epilepſia. 481
Fuchſius reprehenſus. 1.91

G

GAleni locus explicatus. 105.154.183.188.191. 241.258.299.310. 311.353. 356. 363. 364. 390. 361. 447
Opinio de motu reſpirationis. 355
De ſemine. 377
Interpretatio non probata. 138. 139.235.353
Galenus conciliatus. 10.14.115. 117.118.222.455.
Cur ſcripſerit Coſmeticam Medicinam. 172
In qua re ab Auicenna *diſcrepet.* 28
Fuit Phreniticus: 120
Melancholicus. 373
Conciliatus Actuario, & Oribaſio. 260
Defenſus. 35.36,60. 286. 324
Vt Phyſicus in quo Moyſem reprehendat, & Epicurum, 271

Aegro-

Aegrotans vouit Aeſculapio. 272
Cur arteriacum medicamentũ ad ignem decoquere noluerit. 405
Corrigit Apollonij medicamentum, & qua de cauſa. 411
Xenocratem cur reprehendat. 413
Cur inobedientes curare recuſabat. 461
Galeotti Martij opinio de Perſicis. 145
Gargariſma ſiſtens Catarrhum. 72
Idem pro Epilepticis. 432
Genuenſes vt plurimum oblongis naſcuntur capitibus, & cur. 375
Glãdula pituitaria quæ ſit, eiuſq; vſus. 182
Gordonij mirabile magiſterium ad Epilepſiam. 431.432
Grammaticus Galeni Epilepticus vnde fieret, & quomodo ſanatus. 303.382.383
Guainerij aqua contra Epilepſiam. 422
Gymnaſij Romani ordo in explicandis hum. corporis morbis. 172

H

Habitus corporis calidus & hũmidus cur diſtillationibus obnoxius. 16
Hæmorrhoides an aperiendæ in Phrenitide. 156
A quibus præſeruent morbis. 453.454
Quomodo conferant Epilepticis. *ibid.*
An ſolummodo craſſum, & fæculentum ſanguinem excernant. 454.455
Heliogabalus quas animalium quorundam partes comederet, vt præſeruaretur ab Epilepſia 441
Hellebori vſus, ac præparatio in Epilepſia. 428
Hepatis caliditas quomodo attemperanda. 78
Heracliti ſententia. 257
Idem quomodo vocet Epilepſiã. 216
Hercules fuit Epilepticus. 225
Quomodo ſanatus. 371.474
Melancholicus. 373
Hermolai Barbari locus. 225
Herodoti *locus de inuſtione capitis ad præſeruationem* Epilepſiæ. 392
Herophili dictum. 267
Hieræ vſus an conueniat in Lethargicis. 216
Hippocrates deceptus à ſuturis. 175
Defenſus. 71.173.235.512
A contradictione liberatus. 339.340
Inuſtiones plures in capite faciebat.

ciebat. 392.457
Hippocratis contradictio tollitur 139.340
Locus explicatus. 18.19.24.65.68.105.106.133.139.201.203.204.269.272.299.311
Suſpectus. 310
Enarratus. 250
Varie acceptus. 368
Opinio de ortu ſeminis. 361.367
Hirundinum facultas contra Epilepſiam. 422
Hirundinum pullis inſunt lapilli contra eundem morbum. 443
Historia Matronæ Romanæ Catarrho laborantis a paucis intellecta. 36
Historia Vxoris Dealci examinata. 134
Sileni. 135
Cuiuſdam Phrenitici ex Iacobo Fontano. 144
Metonis. 151
Pueri Epileptici Galeni expenſa. 431
Cuiuſdam Veneti Epileptici, cuius caput diſſectũ fuit. 327
Alterius *Veneti, qui poſt auriũ tinnitum in* Epilepſiam *incidit.* 331.332
Alterius cuius a minimo manus digito Epilepſia *incipiebat* 346
Nobilis cuiuſdam Galli, qui ex vulneribus in capite ab Epilepſia *ſanus euaſit.* 457
Historiæ duorum Grammaticorum comitialium. 265
Patientium Epilepſiam ab infernis partibus. 262.263
Holleriј opinio reprobata. 278
Homerica remedia quæ ſint. 243
Homerus quos Medicos laudet. 171
Humor Epilepſiam efficiens quò trudatur. 364
Humores eſſe qui morbos generant quomodo, & quãdo. 334
Humores ſinguli in quibus dominentur ætatibus. 335
Humores *cum pituitoſi, tum melancholici cur vna purgatione contenti minimè ſint.* 429
Humores *a ſanguinis natura recedere vt cognoſcatur.* 447. & *ſequent.*
Hypocausti *vſus in Catarrho.* 46

I

Iacobus Canterus Medicus Ludouici XI. 171
Iacotij interpretatio magis laudata quàm Galeni. 139.140
Eiuſdem *opinio non probata.* 140
Icteritia a pituita qui fieri intelligatur. 19
Iecur quando Catarrhi cauſa. 17

Iecur

Iecur humanum ad Epilepſiam. 442
Ieiunium Quadrageſimale commendatum aduerſus Fuchſiū. 1.2.91
Ieiunium ſanitati conferre. 91
Imaginatio cur in anteriore cerebro collocata. 183
Incrementum corporis in quo tēperamento fiat. 312
Incubi deſcriptio apud Hippocr. *& Virgilium.* 320
In cubus quid ſit, & à qua cauſa proueniat. 291
Idem cur noctu affligat. ibid.
Idem cur nunciet propinquam Epilepſiam. ibid.
Idem in qua parte fiat contra neotericos diſputatur. 320
Indicatio prima in opere quæ ſit. 383
Indicationes curatrices in quacunque Epilepſia. 381. *& ſeq.*
Inedia cur ventriculo inimica. 303
Inflammatio quomodo fiat. 111
Inflammatio tripliciter accepta. 114
Inflammationes piæ, ac duræ matris qui differant. 113
Ingenia vbi perſpicaciora. 274
Ingenioſi cur Epileptici. 371. 372
Initium bene medendi vnde ſumatur. 333
Inſomnia quæ, & quomodo à Medicis conſideranda. 139
Inſomnia Phreniticorum quæ bona, & quæ mala. 139
Inſomnia naturalia cur à Medico perpendenda. 326
Turbulenta cur Epilepſiam indicent. 326
Clara, vel confuſa in quibus fiant. ibid.
Intellectus operationes ab imaginatione. 255
Intelligibilia per ſenſibilia apprehendi. 335
Intemperies Catarrhum generantes. 14
Intemperies humida ſimplex, & ſicca ſimplex quomodo Catarrhum progignat. 15
Intemperies capitis calida ne, an frigida ſit, quomodo dignoſcatur. 51
Intemperies capitis calida qui ſit Catarrhi cauſa. 52
Intemperies cerebri frigida per ſe eſt cauſa Catarrhi. 52
Intemperies cerebri ſola, & ſine materia an poſſit eſſe cauſa Epilepſiæ. 305
Intemperies tanquam cauſa diſponens in quibuſnam morbis ſit. 307
Intentiones curatrices in Epilepſiæ curatione. 430
Intercipientia Catarrhum ne fluat. 46
Interpretatio ferè noua loci cuiuſdam Galeni. 37

Inun-

Inunctio capitis infantis Epileptici. 389
Ioannis Zecchij opinio reiecta. 40
Ioannis Agricolæ *aqua contra* Epilepſiam. 422
Iora Rex cur, & quomodo a Deo punitus. 269
Ira in morbis frigidis concitanda. 98.99
Ira quomodo iuuet, & noceat. 210
Iridis conditę vſus. 92
Iuuenes magis, & minus calidi pueris qui dicantur. 310
Iuuenes qua ratione ab Epilepſia *tententur.* 312

L

L*Ac Nutricis pueri Epileptici vt rectificandum.* 387. 388
Labor *melancholicos gignit humores.* 341
Lac in ſacrificijs Nutricum, non vinum cur adhiberetur. 386
Lac ex ſanguine qui fiat. 383
Lactuca *ventrem ſubducit.* 91
Lætitia *animi cur impinguet.* 98
Langij opinio de Catarrho a frigore diſtillante. 20.21
Eiuſdem aqua, & compoſitio mirabilis aduerſus Epilepſiam. 438
Laonæus cur laudet oleum vitrioli in quartana. 405
Lapilli *in pullis hirundinum reperti contra Epilepſiam.* 421
Leonicenus notatur. 314
Leporis coagulum, & cor ad Epilepſiam. 440
Pulmones. 441
Lethargi etymologia. 184
Definitio. 185
Lethargi, *& Phrenitidis ſimilis, & diſsimilis curatio cur, & quando.* 188
Differentiæ quot, & quænam ſint. 194.195
Locus affectus in cerebro. 194
Cauſæ. 196. *& ſequent.*
Signa præcedentia. 197
Pathagnomonica. 198
Diſtinctiua. 200
Prognoſtica. 203
Curatio. 205. *& ſequent.*
Lethargi, *ac peripneumoniæ ſimilitudo, ac diſſimilitudo.* 202. 203
Lethargici *vtrum delirent, & quomodo.* 190
Quo aſtu a profundo ſomno excitentur. 207
Qui euadant. 204. 205
Lethargicorum vrina, reſpiratio, & pulſus. 199
Potus. 209.210
Cibus. 208
Lethargicus *quam ob cauſam excitandus a ſomno ſit.* 207
Lethargus *ad ſalutem ſerò, ad mor-*

mortē citò cur perueniat. 205
Cur *dicatur ſecundum ſpeciem contrarius Phrenitidi.* 188
Modius inter coma vigil & carum. 192
Symptoma ne ſit, an morbus. 193.194
Quomodo morbus in via. ibid.
Per conſenſum an detur. 195
Cur *ſuperueniat Phrenitidi. ibid.*
Cur *frequens Romæ.* 174.196
An *æſtiuo etiam tempore oboriatur, & qua de cauſa. ibid.*
Vtrum ab humore melancholico, vt putat Auic. 197
Imminens per quæ ſigna dignoſcatur. 197.198
Præſens. 198
Quomodo ab alijs conſimilibus morbis diſcernatur. 200. 201
An ſemper lethalis. 203
Leu*cophlegmatia a* Catarrho *qui fiat.* 12
Leu*ini Lemnij opinio de vi pæoniæ.* 285
De vi vngulæ alcis. 421
Li*enis tumor in Bione quomodo per vrinam ſolutus.* 18
Lienteria *a* Catarrho. 12
Li*enteriæ, &* Catarrhi *generatio ſimilis.* 14
Lingua Phreniticorum cur ſicca, ſcabra, citrina, & nigra. 129
Li*ngua incontinens quæ ſit, & quomodo indicet Epilepſ.* 330. *& ſequent.*
Li*nguæ motus vnde proueniat.* 331
Li*nimentum pro ſtomacho frigido.* 78
Lixiuium pro Epileptico. 432
Li*uius Druſus Epilepticus quomodo ſanatus.* 372
Lo*ca edita cur ſana.* 79
Lo*ca maritima cur ſalubria.* 80
Locus capitis cui metaſincritica adhiberi debent. 37
Affigi cauteria. 39. 40
Alia topica. 109.184. *& alibi.*
Lo*cus in quo habitant Phrenitici lucidusne, an obſcurus eſſe debeat.* 143.144
Lo*ra duplex & quid ſit.* 88
An *tentet caput.* 388
Lotio capitis pro Epilepticis. 432
Lo*tiones capitis in* Catarrho *calido.* 46
Lu*cretij carmina de ſymptomatibus omnibus Epilepticorum.* 359
De ortu ſeminis humani. 375
De coturnicibus. 434
Luna an ſit Epi*lepſiæ cauſa.* 293 *& ſequent.*
Cur *poſt Solem nos maximè afficiat, alteretque.* 275
Qui oſtrea, & conchylia alat. ibid.
Lu*nares radij quando, & cur vitandi.* 81.82
Lu*naris morbus cur vocata* Epi-

Epilepſia. 225
Lunæ vis in alterandis corporibus. 82
Calor in quo differat à calore Solis. 278
Luxurioſi calui ſunt, & cur. 377
Lybiæ populi cur verticẽ quadrimis pueris inurerent. 38. & alibi.

M

Macrocephali a macrocephalis cur fiant. 375
Magnitudo in morbis quotuplex ſit, & quomodo conſideretur. 295
Materia hominis Aphrodiſeo quæ dicatur. 334
Matthæus Curtius notatur. 27. 178
Matthæi de Graddis filius in Epilepſiam cur inciderit. 226
Malua ad ventrem ſubducendũ. 91. 92
Manardi opinio de oleis chymicis. 405
Quando ſit cum febre. 188
Mania à qua bile fiat. 130
Marcelli Virgilÿ error. 146
Mare cur fugiendum de Platonis ſententia. 80. 148
Marſilÿ Cagnati opinio laudata
Maſticatoria varia. 72
Pro Epilepticis. 429. 430
Matronæ Romanæ hæmoptoicæ cur ſanguis non extractus a Galeno. 34. 448
Diſtillatio frigida ne fuerit, an calida. in Epiſt. ad Lect. & 36. 37
Medicamenta varia tam leniẽtia, & præparantia quàm purgantia ad Catarrhum. 41. vſque ad 45
In Phrenitide 159. vſq; ad 163
In Lethargo. 214. & ſequent.
In Epilepſia. 425. vſq; ad 429
Medicamẽta roborãtia caput cur ſtatim à cœna ſumantur. 68
Purgantia cur longè a cibo offerenda. 67. 68
A capite vacuantia quo tempore propinanda. 67
Medicamenta in forma ſolida in quibus damnanda. 160
Localia ſincipiti admouenda. 184
Simplicia, & compoſita varia ad Epilepſiam. 433
Medicamentorum tam alterãtium, quàm purgantium cur varianda forma. 418
Medicamentum purgatorium ad omnes capitis morbos calidiores. 162
Medicamentum Alexandri ad Lethargicos examinatur, ac defenditur. 216. 217
Medici in quo reprehenſi a Galeno. 15. 52
Cur controuerſi. 65
In qua parte primum ſenſoriũ collocent. 29

Medi-

Medicina practica circa quæ verſetur, & in quot partes diuidatur. 170
Medicinæ practicæ Encomiũ. 170
Medicorum quorundam opinio reprobata. 228
De ortu Epilepſiæ *reiecta.* 268
Medicus cur debeat eſſe inſtar boni olitoris. 124. 125
Qui aptus ad ſanandum. 267
Qui maxime laudatus ab Hippocr. 125. 298
Melancholia a Dæmonio quomodo intelligendum. 270
Melãcholia heroum pathos. 373
Melancholiæ hipochõdriacæ generatio. 262
Melancholicus humor an eſſe poſſit cauſa Lethargi. 197
Mellis vtilitas ad Epilepſiam. 389. 395
Scillini vſus pro pueris Epilepticis. 418
Memoria in Phreniticis læſa. 104
Memoria cur amittatur. 228
Cur in poſtica cerebri parte. 183
Quomodo principaliter læſa in Lethargo. 189. 190
Meningis vtriuſque craſsæ, ac tenuis anatome. 178
Mens in Epilepticis *cur amittatur.* 348
Mercati opinio non vndequaq; probata. 21. 25. 192. 193
Laudata. 449
Aqua mirabilis contra Epilepſiam. 439
Mercurialis opinio non probata. 31. 204. 240. 241. 363
Meſue defenditur. 89. 212
Vt intelligendus. 447
Metalla an ex igne mitiora fiãt. 226
Mithridatium in pueris cur damnatur. 396
Mœſtitia quomodo noceat. 98
Quomodo, & cur Epilepſiam præſagiat. 322. 323
Montagnanæ aqua, & aliud præſentaneum remedium contra Epilepſiam; 437. 441
Montui opinio de Cauterijs *in* Epilepticis. 458
Mora in fine prandij apud Horatium quomodo intelligendũ. 148
Morbi ſyntrophi qui ſint. 57
A Deo immiſſi qui nam ſint. 268. 269
Morbi hæreditãtur à parentibus, & auis, & qua de cauſa. 374
Vnde ſumant denominationem. 222
Morbi cuiuſq; duplex cauſarum diſcrimen. 279
Morbus ſacer quare dicta Epilepſia. 223. 224
Diuinus, Puerilis: Herculeus; Magnus; Mater puerorum. 224. 225

Luna-

Lunaris, Sonpticus; Qui inſpuitur. 225. 226
Caducus, Comitialis. ibid.
Morbus mitis an magnus. 194
Mordax, & acre confundi. 406
Moſcouitæ cur facilè fiant Phrenitici. 119
Motrix facultas an concurrat ad Epilepſiam. 140. 241
Quomodo à cerebro influat. 253
Motus voluntarius cur amittatur in Epilepticis. 228
Quando, & quomodo ſeruetur deperdito ſenſu, & è contra. 228
Quando fiat. 252
Moyſes cur à Galeno reprehenſus. 271
Muliebria cur potiſſimum in fine menſis appareant. 276
Mulier viro imbecillior, & cur. 310
Mulier viro calidior quomodo dicatur. 310. 311
Cur ambidextera non fiat. 310
Mulieres quam potiſſimum Epilepſiam patiantur. 301
Mulieres qua ætate nihilominus quàm viri Epilepticę fieri poſſint. 312. 313
Muſica harmonia cur Phreniticis conueniat. 144. 155

N

Natura Artis peritis agēda qui demonſtret. 453
Eadem ſine doctore magiſtra. ibid.
Nephriticus dolor a Catarrho. 12
Nominum in morbis conſideratio vtrum neceſſaria. 221. 222
Nox antecedens in Epilepſia, & alijs morbis per acceſſiones recurrentibus cur adeo moleſta. 333
Nutrices ſemper famelicæ, ac ſitibundæ. 386
Nutricum lac pro pueris Epilepticis quale eſſe debeat, & quomodo rectificandum. 387
Nutrix infantis Epileptici cur, & quibus intentionibus purganda. 388

O

Obliuio cur Epilepſiam prædicet. 235
Obſtructio vnde oriatur. 279
Obſtructio ventriculorum cerebri in Epilepſia quomodo intelligenda. 28
Occaſiones morborum cur a Medico indagandæ. 49
Oculi cur à primo ortu ferè ſint perfecti. 9
Oculi Phreniticorum interdum cur lachrymentur, interdum verò ſqualidi ſint. 129
Oculi cur potiſſimum deprauentur

tur in homine. 370
Odoramenta cur, & quomodo fiant in Lethargo. 220
Olea cur ſuſpecta in oxyrhodinis Phreniticorum. 165
Olea varia inſtillanda capiti Epilepticorum. 421. & ſeq.
Olea chymica vim ignis æquare, & quædam ſuperare. 405
Per os aſſumenda in Epilep. 436
Olei thuris, & vitrioli vſus contra vermes. 400
Olei vitrioli abuſus. 400. vſque ad 414
Eiuſdem vſus in Quartana. 405
Iſchuria. 411
In Epilepſia. 440
Olera probata in Epilepticis. 475
Oleum vitrioli an ab igne calidius euadat. 405
Vnde aliqui colligant frigidum eſſe. 406
Acre, & non acidum eſſe. ibid.
An ſitim extinguat, & quomodo. 407. 408
Oleum chymicũ mirabile ad vermes enecandos, & vulnera glutinanda. 415
Oligarchia quænam Reſpublica ſit. 8
Onirogonos, ſeu venereus ſomnus cur Epilepſiam antecedat. 333
Opiata duplex ad Epilepſ. 415
Alia ad ventriculum corroborãdum a quo criatur Epilep. 486
Oraculi reſpõſum Damocrati Epileptico datum, eiuſque interpretatio. 442
Ordo in explicandis febribus non idem Gal. & Auic. & cur. 173
Ordo in cibis ſeruandus, & cur. 147
Oribaſij locus explicatus. 43. 117. 390
Oris ventriculi ſenſus adeo exactus vnde illi accedat. 344
Os ſphænoides, & cuneiforme cur ita dictum. 177
Os ventriculi non in omnibus æque exacti ſenſus. 265
Oſſicula organi auditorij quot ſint. 177
Oues Epilepſiæ obnoxiæ. 370
Oxyrhodina varia ad Phreniti-dem. 417
Eadem vtrum frigida actu, an tepida calidis capitis morbis conueniant. 165. 166
In Lethargo cuiuſmodi eſſe debeant. 218. 219
In Epilepſia quando locum habeant. 487
Oxymeli ſcillinum pueris conuenire. 417
Ozæna a Catarrho. 12

P

Paeonia duplici nomine Epilepticis confert. 385
Paeoniæ virtus. 419. 431

Eius-

Eiuſdem radix quando colligenda pro Epilepticis. 440
Palpitatio cur indicet Epilepſiã *à ventriculo.* 342
Eadem *quid ſit, an poſſit eſſe ſignum* Epilepſiæ *ab alijs partibus quàm a ventriculo, & quãdo vel Epilepſiam vel Melancholiam hypochõdriacam præſagiat.* 342. 343
Panis quomodo parari debeat. 85
Confuſaneus aluũ ſubducit. 92
Secundarius Auguſto familiaris, idem præſtat. ibid.
Cur fermentatus & ſalitus ſit oportet. 85
Pro conſeruatione ſanitatis cuiuſmodi eſſe debeat. 472
Calidus quàm noxius ſit, & cur. 472. 473
Vetuſtior qua de cauſa damnatus. ibid.
Eiuſdẽ repletio cur peſſima. ibi.
Calentis aqua extracta pro Epilepticis. 440
Paris cruditas pernicioſa. 85
Paracelſi philoſophia a Cacodæmone. 413
Paracelſus vt curet Epilepſ. 440
Paroxyſmi Epilepticorum omniũ curatio. 419. & ſeq.
Paroxyſmus Epilepſiæ *per conſenſum a varijs partibus quomodo curandus.* 423. 424
Partes quæ magis ſentiunt magis læduntur. 64
Partes corporis dupliciter ſumuntur. 172
Paſſeres Epileptici. 370
Paſſiones animi quæ mala progignant. 98. 472
Paſtilli pro ſuffitu ad morbos frigidos. 463
Pathognomonica ſigna quæ dicãtur. 317
Eadem *Medicis ſunt quæ Philoſophis techmiria.* 347
Pathologia quid ſit, & in quot partes diſtribuatur. 316
De quibus agat. 170
Pathos Galeno quid ſit. 194
Paulus Aegineta defenditur. 312. 350
Paulus an conciliari Galeno poſſit. 116
Periapta varia ad Epilepſiam. 443. & ſeq.
Periclis dictum ingenioſum. 444
Pericranium, & perioſtion, an vnum, & idem ſint. 176
Pericranium vnde, & quomodo fiat. 176
Peripneumonia in quo differat a Lethargo, & conueniat cum eo 202. 203
Perſæ dãnabãt ſpuere, & cur. 26
Capita cur habeant imbecillia. 101
Perſica an venenatam habeant qualitatem. 145
An ante, vel poſt alios cibos aſſumenda. 147. & ſeq.

Perſicorum bonitas. 146.147
Perſicus, & perſeus quomodo differant. 145.146
Petrarcha fuit Epilepticus. 372
Cur Medicos, & Medicinam odio proſequebatur. ibid.
B. Petri Damiani locus de Romano cælo, & febribus Romanis ſui temporis. In Epiſt. ad Lect.
Petri Merendæ experimētū. 423
Petronij opinio de inæqualitate aeris Romani. 3
De cōtrouerſia prandij, & cœnæ in Catarrho. 28
Phantaſia habet imperium in ſpiritus, & humores. 444
Philoſophi per quę ſpeciē neceſſariò concludant. 347
Phœnigmorum vſus in morbis calidis. 57
Phrenitici cur floccos, & feſtucas colligant. 127
Cur ſtyptici. 152
Quando, & cur doleant. 128
Brachipotę cur vocati ab Hippocr. 128
Cur modò audaces, modò timidi aliquando hilares, aliquando triſtes appareant. 136
Tūdēdi ne ſint vel ne. 157.158
Quomodo fallendi in exhibitione medicamentorum. 159
Phrenitici quomodo ſomnient ſi vigilant. 141
Quot diebus intereant. ibid.
Phreniticorum error, in qua ſit animæ potentia. 111
Deliriū qūo fiat ex Hipp. 115
Robur maius quàm in ſanitate, & qua de cauſa. 237
Potus qualis eſſe debeat. 145.150
Victus ratio. 143. & ſeq.
Phrenitidis definitio. 103
Cauſæ. 116. & ſeq.
Differentiæ. 119. & ſeq.
Signa diſtinctiua. 124. & ſeq.
Tā impendentis, quā præſentis. 127. vſque ad 134
Prognoſtica. 134. vſq; ad 143
Permutationes quando bonæ, vel malæ. 134
Phrenitis vnde nominetur. 103
Quid propriè ſit. 104
A *quonam morbo fiat.* 106. 108
Qua ratione generetur. 116
Hectica quæ ſit, & qūo fiat. 121
Per conſenſum a diaphragmate. ibid.
An inter lethales, vel ſalubres morbos collocanda. 131
Mali moris quæ dicatur. 132
Cur in *Lethargū mutetur.* 134
Quieta, & ſilens cur ſit alijs periculoſior. 135
Eadem duplex. 136
An poſſit eſſe cauſa hecticę totius corporis. ibid.
Ad ſalutem, aut ad mortem quo modo deſinat. 142
Quæ nam poſtulet in principio & alijs temporibus. 163
Ex diaphragmate quomodo curanda.

randa. 169
Phrenitis ex cauterio ſincipitis. 64
Picturæ cur non debeant eſſe vbi Phrenitici. 144
Pierius quidnam ſentiat de Perſicis. 147
Pilulæ Catarrhum *ſiſtentes.* 72
In febribus cur ſuſpectæ. 160
Vvekerÿ contra Epilepſiam. 427
Variæ ad Epilepſiam. 426
Pilularum de cynogloſſa in Catarrho vſus, & duplex deſcriptio. 46
In Phrenitide. 152
Pindari locus. 274. 275
Piſces omnes tam molles quàm duri cur vitandi. 84
Qui concedendi, & qui denegandi. ibid.
Petroſi, & errones qui differant. ibid.
Pituita, quæ dicatur Ariſt. 48
Propriè, & impropriè dicta quę ſit. 84
Hyeme, & vere etiam dominatur. 337
Plateri aqua contra Epilepſiam. 439.440
Platerus notatur. 456
Plato damnat loca maritima, & cur. 80
Plato quos Medicos admittat. 171
An tres animas re vera diſtinctas poſuerit. 251
Platonis dictum in Sophiſta. 200
Præ*ceptum pro ÿs, qui dant operam filÿs.* 386
De curatione capitis. 429
Plenilu*nÿ tempore quomodo frigidi gignantur morbi.* 277
Eodem tempore quinam Epileptici maximè cadant. 278
Plen*ilunium mouere Epilepſiam.* 276
Pl*euriticus qui dicendus.* 347
Pl*inÿ error.* 371
Pl*otinus Philoſophus fuit* Epil*epticus.* 371
Plutarchi locus. 370
Pod*agra a Catarrho quomodo fiat.* 12
Pod*agra præſente læſio longe a capite, & quare.* 49
Po*mum odorandum ab* Epil*epticis.* 431
Populi Epilep. obnoxÿ ab humore pituitoſo, vel melancholico. 340
Potus quid ſit, quidq; efficiat. 88
Quomodo cibi vehiculum. ibid.
Po*tus in* Cat*arrho.* 29.30
In Phr*enitide.* 145.150
In Lethargo. 216
In Epilepſia. 481
Pr*æcepta duo valdè ſalutaria pro pueris* Epil*ept.* 296. 397

Præſeruatio Epilepſiæ per quæ fieri debeat. 461.& ſeq.
Præſeruationis eadem remedia, quæ curationis. 91
Prãdium an debeat eſſe copioſius cœna in Catarrho. 26. 27
In Epilep. 482. & ſeq.
Principium motus vnde Ariſtot. Auerroi, & Fernelio. 252
Principium in quauis re quanti faciendum. 387
Problemata quędam in Catarrho 94.95.96
Problemata ſoluta. 258.259
Plura ad Phrenitidem ſpectantia. 136.vſq; ad 143
Prognoſtica ſigna duplicia. 317
Proprietates occultæ non ſunt denegandæ. 251
Pruna ad aluum ſubducendam quando ſumenda. 148
Ptyeliſmus quid ſit, & vnde oriatur. 11
Pudoris ſedes vbi collocãda. 329
Pueri Catarrho obnoxij, & cur. 16
Pueri cur nec diſcere, nec recordari poſſint. 255
Cur obliuioſi, & fatui. 258
Ex qua cauſa frequenter Epileptici. 301. 302
Pueri cur crudis abundent ſuccis. 336
Calidiores iuuenibus quomodo ſint. 310
Quot, & quibus de cauſis Epilepſia laborent. 385
Quando incipiant Epilepſiam pati a vermibus. 397
Epileptici cur ſint edaces. 419
Pueri natura quid Platoni ſit, & Ariſtoteli. 384
Pueri Epileptici purgatio per lac Nutricis. 338
Pueris ante octauam diẽ cur minimè imponerentur nomina. 384
Puerulorum Epilepticorum an ſuſcipienda curatio. 384.416
Pulmo, & pectus quibus roborentur præſidijs. 78
Pulmo quomodo cerebro conſentiat. 123
Pulmones quomodo moueantur. 354
Pulmones animalium ad Lethargum quomodo parandi. 220
Pulmones calidiores Catarrhum promouent. 18
Pulmonis temperamentum. 204
Pulſus Phreniticorum qui ſint. 129
Lethargicorum. 198.199. Epilepticorum. 358
Pulueres exiccatorij pro capite. 75.389.390
Exhibendi cum lacte pueris Epilepticis. 389
Puluis Tartari, & Mecohacan ad ventrem purgandum. 92
Contra lactis coagulationẽ. 395
Pro Cucufa ad pueros Epilepticos. 418

Pro naſipurgio. 429
Pro capite Comitialium. 432
Purgatoris in cruditatibus ventriculi. 484
Purgatio in Lethargicis *an conueniat.* 212.214
Purgatio in Catarrho reiteranda 43
In Epilepſia. 429
Valida admodum, & frequens in Epilepſia cur ſuſpecta. 429
Particularis ventriculi. 484.485
Purgationis vtilitas in Phreniticis. 159
Pylori munus quod nam ſit. 148

Q

Væſita de Lethargicis. 105
Quæſtio propoſita, & ſedata. 116. *& ſeq.*
Vide Controuerſia.
Qualeæ Vide Coturnices.
Qualitas ſimplex, & venefica quomodo Epilepſiam accerſat. 302
Quartana igne hoc eſt medicamentis calidioribusquando curetur. 405
Quartanæ febres æſtiuæ cur breues, & reliquæ longæ. 292
Quercetani opinio de vſu olei vi trioli confutata. 400.*& ſeq.*
Quot, & quinam ſint ductus Catarrhum deuehentes. 9

R

Atio amittitur in Epilepſia 228
Ratio cur in medio capite. 183
Rationes abijciendæ vbi experientia. 76
Rauenna Vrbs maxima tempore Strabonis. 80
Rauennate Cælum hodie humidum, & nebuloſum adeo non eſt, vt anteactis temporibus, & qua de cauſa. 79.80
Regio indicat peccantes humores & cur. 338
Regiones quæ damnatæ ab Hippocr. 3
Repellentia, ac reſoluentia quando, & quomodo conueniant in Phrenitide. 164.165
Repletio Catarrhum maxime generat. 83
Reſpiratio quomodo ex motu alteretur. 07
Magna, & rara, vel parua, & frequens in qua Phrenitide fiat. 125.126.128
Quæ nam ſit in Lethargicis. 199
Reſpiratio lęditur in Epilepticis. 353. *vſque ad* 357
Eadem *cur inſtituta.* 354
A *quot nam partibus fiat. ibid.*
Voluntaria ne, an naturalis actio ſit. 355
Cur *ſeruetur in* Epilepticis, *&* *Apo-*

Apoplecticis. 358
Reſponſum ferox in modeſto homine febriente quid portendat. 128
Reuulſio quando conueniat. 71
Rhaſis notatur. 359
Eiuſdem pręceptũ limitatũ. 77
Rheuma quid. 4
Roborantia caput, & cerebrum quænam ſint. 74. 75. & alibi ſæpè.
Roma per Vitruuium temperatiſſima. 3
Romanæ febres cuiuſmodi olim forent. In Epiſt. ad Lect.
Romanum Cælum cuius ſit conditionis. 79
Romanus aer cur vocaretur infamis. ibid.
Romæ Auſtri, & Aquilones maximè ſentiuntur. 26
Rondeletij opinio reiecta. 238. 321
Eiuſdem locus. 424
Opinio noua de ſecanda vena in Epilepſia. 450. 451
Rotulę pro pueris Epilepticis. 418
Aliæ ad Epilepſiam. 434
Rutæ mirabilis facultas contra Epilepſiam. 428

S.

SAcculi pro capite Epilepticorum. 432
Sal purgatorius. 484
Sales volatiles in chalcantho qui ſint. 410
Salis vſus in lacte puerorum comitialium. 395
Salis vſti, & non vſti vires, & diſcrimen. 409
Saliuoſa humiditas in pueris cur noctu magis, quã interdiu. 398
Salſamenta cur conueniant Epilepticis. 476
Sanguinis miſſionis vtilitas in Catarrho. 32
In Phrenitide. 153. 154
In Lethargo. 211
In Epilepſia. 444. & ſeq.
Locus, & quantitas in Catarrho. 33
Locus, quantitas, & tempus in Phrenitide. 155. 156. 157
In Lethargo. 211. 212
In Epilepſia. 444. & ſeq.
Sanguinis miſſio a quibus impediatur. 34. 211. 212
Sanguinis extrahendi copia in quibus morbis metuenda. 449
Sanguinis euacuatio ex hæmorroidibus cur, & in quibus laudata. 59
Sanguinis a naribus eruptio quibus, & quouſq; ſalutaris. 118
Sanguis in morbis etiam bilioſis cur mittendus. 154
Sanguis an generet Epilepſiam 280. 449
Sanguis iugulati gladiatoris contra Epilepſiam. 442
Sapientes cur delirare dicantur. 258

Sapores admodum inter ſe affines 406

Scammonÿ vſus an conueniat in Lethargo. 216

Scammonio cur vtatur Auic. in Phrenitide. 159

Scammonium quos educat humores. 218

Schola Salernitana defenſa ab Auctore contra Mercurialem. 30. 31

Scholę Salernitanæ locus explicatus. 147. 148

Scientiæ acquiſitio nulla à primis annis, & cur. 158

Scillæ medicamentum ad Epilep*ſiam.* 434. 435

Scomma Romanorum in Cæſarẽ caluum. 377

Scopi curatiui in Catarr*ho.* 24. 25. 57

In Phrenitide. 143

In Lethargo. 206

In Epilepſia. 382. *& ſeq.*

Scribonÿ Largi *ſententia de veneris vſu in* Epilepticis *explicata.* 470

Scybala excrementa quæ nam ſint. 48

Ex *qua cauſa fiant,* 54

Semen retentum cur dicatur venenoſum. 101

Semen vitiatum cur morbos in filÿs generet. 377. 378

Semen genitale plurimum a capite prouenire quomodo oſtendi poſſit. 376. 377

Semen Epilepticis in acceſſione quamobrem exeat. 360. 361

Seminis definitio ex Zenone. 378

Seminis iaculatio a quibus nam muſculis adiuta. 361

Senectus vigilÿs infeſtatur, & qua de cauſa. 257

Senes obnoxÿ Catarr*ho, & cur.* 16

Senes ab Epilepſ*ia an corripi poſſint.* 308. 309

Senes apoplexię magis, pueri verò Epilep.*cur obnoxÿ ſint.* 313. 314

Senes quam ob cauſam humiditatibus abundent. 336

Senes quomodo ſicci, & humidi. 357

Cur obliuioſi, & fatui. 258

Senex furioſus vermis excretione liberatus. 398

Senſus communis cur cẽtro circuli comparatus. 252

Senſus cur languidi in Phreniticis. 137

Senſu deperdito aliquando motus perſiſtit, & quomodo. 228

Senſus tactus non vnus. 251

Idem cur in ore ventriculi maximè vigeat. 265

Idem in qua corporis parte potiſſimum vigeat. 344

Senſus omnes quamobrem in Epilepſia amittantur. 357

Senum temperatura qualis nam ſit. 257

Septa-

Septalij opinio laudata. 429.460

Septentrionales cur difficilè Epilepſiam incurrant. 462

Serapionis opinio reiecta. 113

Seto an præferendus cauterio. 40

Signa calidi, & frigidi Catarrhi. 22

Dilabentis ad varia loca. ibid.

Ad ventrem. 53

Prognoſtica Catarrhi. 23

Signa tria calidi Catarrhi. 76

Signa diſtinctiua Phrenitidis. 125

Impendentis, & præſentis Phrenitidis. 127. & ſeq.

Signa cauſarum internarũ Phrenitidis. 130

Indicantia affectum, vel in ſubſtantia, vel in membranis cerebri. 129

Hectica Phrenitidis. 130

Veræ, & exquiſitæ Phrenitidis. ibid.

Signa prognoſtica in Phreniticis. 131. vſque ad 143

Signa indicantia futurũ Lethargum. 197.198

Lethargi *præſentis.* ibid.

Diſtinctiua. 201

Prognoſtica. 203.204.205

Signa aſsidentia quæ ſint. 317

Signa impendẽtis Epilepſiæ. 319

Pathognomonica. 347. vſque ad 353

Signa Epilepſiæ *ab humore pituitoſo.* 335. & ſeq.

Ab humore melancholico. 339.340.341

A ventriculo, alijſq; partibus. 341. vſque ad 347

Ab hypochondrijs. 345

A Iecore & à liene. ibid.

Ab vtero. 346

Signa prognoſtica. 365. vſque ad 381

Signum, apud Medicos quid ſit. 317

Signum vniuerſale Epilepſiæ per conſenſum. 341

Siluatici opinio de cauterio puerorum comitialium occipiti nõ affigendo Auctori non probata 393.394

Eiuſdem opinio de abuſu olei vitrioli commendata. 413

Similitudines decipiunt etiam viros doctiſsimos. 200

Similitudo poſt plura genera redit. 378.379

Simiotices vtilitas. 317.318

Simplicia præparantia humorem pituitoſum. 426.431

Melancholicum. 428

Vide medicamenta.

Simplicia multa ad Epilepſ. 432

Sincipiti pars inurendas cum Meſue. 64

Sincipitis cauterium an, & quando conueniat in Catarrho. 39.40

Singultus cur generetur. 302

Singultus natura. 236

Sitis an imperanda in Catarrho, & quando. 28. 29
Sitis in Catarrho an ſemper conueniat. 86
Sitis in febribus quomodo extinguatur. 408
An ſedetur à liquore chalchanthi. 407. 408
Sitis plures enumerantur cauſæ. 408
Socrates fuit melancholicus. 373
Eiuſdem præceptum in viuendi norma. 471
Sol quando magis mouet, quàm reſoluat. 81
Sol quibus ſomnum inducat. 286
Solares radij quando & cur vitandi. 81
Solis, ac Lunæ calores qui differant. 278
Somni vſus in Catarrho. 30. 31. 93. 94. 9æ
Vtilitas in Phrenitide. 151
Somnus longus ſenibus cur conuenit. 95
Somnus quibus remedijs prouocetur. 151. 152
Somnus quomodo fiat in Lethargo. 191
Somnus in Epilepticis cuius modi concedendus, & prohibendus. 464
Somnus multus cur damnatus à Platone, & Seneca. 469
Cur damnandus in Epileps. & frigidis, humidiſq; morbis. 469
Cur longè a cibo ineundus. 469
Somnus Venereus cur Epilepſiam antecedit. 333
Sonticus morbus qui ſit. 225
Sopor in Epilepſia quando, & cur fiat. 361. 362
Spaſmus non proportionatus ad materiam qui ſit. 234. 235
Specierum Eleſcoph facultas. 399
Spiritus animalis generatio, munus, & ſedes. 252. 252
Spuma Epilepticorum an indicet morbum à pituita. 339. 350
Spuma oris peculiaris Epilepſiæ nota. 530
Eadem in apoplexia vt conſideretur. 351
Cur non ſit adeò lethale ſignum in Epilepſia, ac apoplexia. ibid.
Spumæ generatio quomodo, & à quibus cauſis fiat. 349. 350
Stegnoſis quid ſit. 307
Sternutationes cur malæ in morbis pectoris. 73
Sternutationibus genua cur veteres flectebant. 224
Stillæ ſanguinis quæ, & cur malæ. 137. 138
Stillicidium aquarum Thermalium pro capite. 75. 77
Idem arte parandum pro ſtomacho. ibid.
Pro capite Epilepticorum. 432
Strabonis opinio de ijs, qui ad mare habitant. 80
Strepitus inter bibendum in quibus

bus lethale ſignum ſit, & cur. 138
Stypticitas alui vnde oriatur. 53.24
Subeth Rhaſi quid ſit. 185
Subiectum in Phrenitide quomodo cerebrum eſſe probetur. 110. 111.112
In Epilepſia. 227
Succi limonis facultates. 411
Sudores in Cætarrho *vtiliter pao liciuntur.* 46
In Epilep. 433
Suffimentum pro veſtibus Epilepticorum. 432
Sulphuris vſus pro pectore. 76
Eiuſdem temperamentum, & vires. 404
Suilla caro cur damnanda. 84
Suppoſitoria in Phrenitide. 162
In Lethargo. 208
In Epilepſia. 421
Suturæ capitis quãdo ſeparentur. 129
Suturæ capitis quot ſint. 177
Cur ſerratiles, non autem nodoſæ ſint. 178
Earundem vtilitas. ibid.
Syluij opiata ad Epilepſiam. 435
Symptoma quidnam Galeno ſit. 227
Symptomata cur ſigna vocata. 317
Symptomata puerorum vermibus laborantium. 397.398
Symptomata in fine Epilepſiæ *quot, & quænam ſint.* 360
Syncope ex Catarrho *cur fiat.* 12
Syrupi præparantes, Vide medicamenta alterantia.
Syrupus roſaceus cur vtilis in morbis capitis. 161

T

TAciti locus de Vaticano quomodo intelligendus. 79
Alter locus. 371
Temperamenti corporis totius ratio vnde ſumenda. 337
Tempora tria obſeruanda in Epilepticis. 318
Tempus conueniens dormiendi, ac vigilandi. 469
Terebinthi vſus in morbis pectoris. 78
Terminus à quo, & ad quem in Catarrho. 9
Therapeutica quid præſtet. 316
De quibusnam tractet. 370
Theriaca recens cur vtilis Phreniticis. 152
An *pueris Epilepticis exhibenda.* 396
Timor in melancholicis, & Epi*lepticis ab humore melancholico.* 323
Timor, & mæſtitia quomodo & cerebri, & cordis pathemata ſint. 324
Timoris cauſa triplex. 259
Tobias excæcatus cuius nam piſcis felle ſanatus. 270
Torpedinis marinæ vis. 304

Tra-

Tralliani medicamentum defenditur. 217

Eiuſdem opinio *Autori non probata.* 298

Eiuſdem catapotia in Epilepſia *pituitoſa.* 427

In melancholica. 428

Trallianus temerè Galenum *reprehendit.* 35. 36. 60

Trochiſcorum compoſitio mirabilis ad Epilepſiam. 438

Tumultus in ventre quid ſit, & qui fiat. 343

Tuſſis à Catarrho, *& quàm valde metuenda ſit. In* Ep. *ad* Lec.

Tuſſis an ſymptoma lũbricorũ. 414

Ab aſperis cibis qũo fiat. ibid.

V

V*Alleſij opinio de Phrenitidis eſſentia.* 108

Valleſij experimẽtũ fallax. 113

Eiuſdem *opinio reiecta.* 123

Error. 105. 260. 281

De eſſentia Lethargi, *&* Phre*nitidis opinio.* 187

Vapor quot modis Epilepſ. parere poſſit. 300. 301

Varignanæ remedium contra Epilepſiam. 441

Vena ſecanda in Epilep. *à Rondeletio inuenta.* 450. 451

Vena baſilica cur ſecetur in morbis acutiſſimis. 451

Venarum poſt aures inciſio, vel ũſtio an infœcundos homines reddat. 376. 377

In Phrenitide. 157

In Lethargo. 217

In Epilepſia. 459. 460

Veneno eſſentia ſimilis in nobis generari poteſt. 304

Veneris vſus quàm noxius ſit capiti. 470

Eiuſdem *vſus in* Catarrho *an conferat.* 31. 99. 100. 101

In Epilepſia. 469. 470

Ventres cerebri in Epilepſia *an ſemper obſtruantur.* 229

Ventriculi particularis purgatio. 484. 485

Corroboratio. 396. 485. 486

Ventriculus quomodo cerebro conſentiat. 123

Ventriculus inter vicina mẽbra, cur veluti lebes inter ignes. 300

Ventriculus equitatione roboratur. 97

Venus cur inimica ſenibus. 101

Verbenæ vſus in Epilepſia. 440

Vermes vnde, & quomodo gignãtur. 302

In pectore, & pulmonibus an generentur. 414

Vermes pueris etiã in vtero. 397

Quot modis Epilepſiã *gignant.* 398

Vertigo quomodo indicet futuram Epilepſiam. 319

Quomodo generetur. ibid.

Epilepſiæ *affinis.* 320

Veſicantia quando, & cur varijs partibus conueniant. 213

Eo-

Eorundem vſus in Catarrho. 37.38
Victus ratio oſtendit abundantes humores, & qua de causa. 338.339
Victus ratio exquiſita quã iuuet Epilepticos. 461
Victus ratio quàm iuuet alia remedia. 462
Vide Diæta.
Vidij iunioris opinio. 245
Vigiliæ nimiæ quæ mala inuehant. 93
Vina nouella, & vetuſta quid in nobis pariant. 86
Vino an aqua vtendum in Catarrho. 87
Vinum cur vtilius aqua. ibid.
Cur datum hominibus à Deo. ibid.
Quando malum. ibid.
Potens, & aquoſum quibus partibus vtile, et quibus damnnoſum. 88
Auſterũ an cõueniat in Catarrho, & dulce cur ſit pernitiosũ ijs, qui Catarrho laborant. 89
Cur denegandum nutricibus. 385.386
Quando concedendum nutricibus puerorum Epilepticorum. 387.388
In qua ſpetie Epilepſ. Galenus concedat, 481
Vinum purgatorium ad Epilepſiam. 485
Vlcera in pueris cur nõ ſtatim ſananda. 397
Vnguentum metaſincriticũ. 37
Vnguentum ſomniferum. 152
Vnguentum pro vertice puerorũ comitialium. 395
De arthanita quid præſtet. 395
Vomitoria in Lethargo. 218
In Epilepſia. 484
Vomitus quibuſnam populis foret in vſu. 92.93
A Gal. cur damnatus. ibid.
Vomitus vtilitates. ibid.
Vomitus cur matus in Phrenitide 137
In qua ſpecie Epilepſ. cõueniat. (484
Vrina an inſpicienda in morbis capitis. 132
Vrina cũ multa hypoſtaſi, et ſubſidentia in quibus laudata. 133
Vrina alba, & perſpicua cur mala. 131.132
Vrina in Catarrho. 22
In Phren. 129
In Lethargo. 198.199
In Epilepſia. 359
Cur fiat ſubiugalis. 199
Vrina ſanguinem in venis exuperare oſtendens cuiuſmodi ſit. 448
Vrinæ inuoluntaria excretio vnde fiat. 360
Vſta non euadere prorſus frigida. 409
Vterus quõo cerebro cõſentiat. 123
Quomodo ſincipiti. 64

Xe-

X

XEnocrates in quo reprehenſus à Galeno. 413

Xenophontis locus. 83

Z

ZEnonis dictum de vino. 87

Eiuſdem opinio de ſemine. 378

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.7.lege;expurgātur.Pag.11.lege hyoidis.40.l.poteſt.55.l.diarrhœa,loco dyſpnœa.57.l.colluuie:58.l.capite,& deleatur corpore 67.l cœna.& ſic 68.Et vbicunq;reperies dyſpnæam vel orthopnæam, vel diarrhæam veluti phænigmos per æ l per œ.

Pag. 70. poſt, ſanguinis miſſio, adde, & purgatio. 87. l. maduerint, 132. l. defertur. 136. l. celerius. 141. l. Cælius. 149. l. facit, 150. l. permeat. 151. l. βραχυπότας. ibid. l. prouocari. 152. l. capite. 155. l. huiuſmodi. ibid. l. copioſè. ibid. l. Præterea. 160. l. exitia. 163. l. Galenum. 177. non 167. & ibi lege κρωτάφον. ibid. l. Græce. ibid. l. lambdoidis. 178. non 168. & ibi lege part. 180. non 170. & ibi l. oportuit. 189. non 179. & ibi l. quarundam. 221. l. ſtatuere Logici. 229. l. inſequitur. 239. l. quos. 154 l. Phyſionom. 258. l. deſipientia 267. l. palã. 268. l. irato. 281. l. reſerent. 287. l. ratione. 292. l. inter 293. l. vltimum. 307. l. ςέγνωσις. 321. l. Virũ. & non ita poſt l. craſsè. 326. l. monſtruoſa. 329. l. flaua. 350. l. ſaliualioris. 354. l. abdominis. 356 l permeare. 359. l. acceſsio. 366. l. veneris. 368. l. Sextus 370. l. eſitantibus. 371. l. eſitatione 382. l. viro. 383. l. appæreat. 397. l. præſeruantur, 400. l. Exuſtis. ibid. l. tangat, 410. l. ſummitatem. 419. l. ablactati. 422. l. laudatur aqua ſtillatitia, 430. l. excogitata. 440. l. aſſum eſui. 443. l. alcis. 444. l. verbis. 453. l. XLIII. 469. l. 473. 481. l. ſufficiant.

In Indice rerum notabilium vbi cataputia Alexandri l. Catapotia Alex. Vbi legitur Carthami facultas, & vſus in Lethargo, legito in Catarrho. Vbi, Quando ſit cum febre, legito poſt, non ante; Mania à qua bile fiat.

In eodem aliquot alia ſimilia reperiuntur errata, quæ cum reliquis Benignus Lector excuſabit; non oblitus ſupra hominis captum eſſe, non errare.

Regeſtum.

** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.*
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.
Omnes ſunt duerniones præter Kk, quæ eſt folium cum dimidio.



ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M. DC. XVII.
SVPERIORVM PERMISSV.